de la comp. de Jesus de granada

BIBLIOTHECA

# APOSTOLICA

VATICANA

A SIXTO V. PONT. MAX.

IN SPLENDIDIOREM,

COMMODIOREMQ. LOCVM

TRANSLATA,

ET A FRATRE ANGELO ROCCHA A CAMERINO,

*Ordinis Eremitarum S. Auguſtini, Sacræ Theologiæ Doctore,*

COMMENTARIO

VARIARVM ARTIVM,

ac Scientiarum Materijs curioſis, ac difficillimis, ſcituq. dignis refertiſſimo, illuſtrata.

AD S. D. N. GREGORIVM XIV.



ROMÆ, M. D. XCI.

Ex Typographia Apoſtolica Vaticana.

R. 8968

Del Coleg.o de la Comp.a de Jesus de granada.

BIBLIOTHECA

# APOSTOLICA

VATICANA

R. 8168

A SIXTO V. PONT. MAX.

IN SPLENDIDIOREM,

COMMODIOREMQ. LOCVM

TRANSLATA,

*ET A FRATRE ANGELO ROCCHA A CAMERINO.*

*Ordinis Eremitarum S. Auguſtini, Sacræ Theologiæ Doctore,*

COMMENTARIO

VARIARVM ARTIVM,

ac Scientiarum Materijs curioſis, ac difficillimis, ſcituq. dignis refertiſſimo, illuſtrata.

AD S. D. N. GREGORIVM XIV.



ROMÆ, M. D. XCI.

Ex Typographia Apoſtolica VATICANA.

# S.^MO D. N.

# GREGORIO XIV.

# PONT. OPT. MAX.

## *FRATER ANGELVS ROCCHA Auguſtinianus, a Camerino, humillimus ſeruus, perpetuam felicitatem.*

BIBLIOTHECAM Apoſtolicam Vaticanam, PATER BEATISSIME, ceterarum omnium nobiliſsimam, & celeberrimam, & a Sixto V. in inſigniorem locum tranſlatam, atque in elegantiorem formam, ditioremq. ſtructuram redactam, varijs item ac mirificis ornamentis, breuiſsimo temporis ſpatio, atque incredibili omnium admiratione illuſtratam, cum omnes cuiuſcumque ordinis & conditionis viri quotidie, certatimq. vndique confluentes viſerent, Emblematum, atque Hiſtoriarum explanationem optarent, inſcriptionesq. auide perlegerent, ac diligenter excerperent, animum induxi meum, vt omnia ſcitu digniora explicarem, atque, omnium tam Romæ degentium, quàm

 eorum,

eorum, qui ab Vrbe abſunt, commoditati conſulens, typis mandarem. Quod cum præſtiterim, Bibliothecam ipſam Apoſtolicam Vaticanam, hoc eſt omnium artium ac ſcientiarum, reiq. litterariæ antiquitatum Theatrum ampliſſimum S. T. dicare mihi viſum eſt, & iure quidem, cum res Tibi oppignerata tamquam opus ſummorum Pontificum a B. Petro originem trahens, eorumq. præſtitum commoditati, citra ſtellionatus crimen alteri offerri non poſſit. Meus hic certe liber ſi ex virium mearum imbecillitate ſpectetur, munus perexiguum eſſe fateor: ſi ex animo, magnum: quodq. de paupercula illa Muliere Euangelica ſcribitur, quæ duobus tantum obolis largam diuitum omnium opulentiam, atque munificentiam longe ſuperaſſe commemoratur, meis hiſce ſcriptis e pauperculo ingenioli mei Scrinio depromptis, id euenturum ſpero, atque etiam confido. Magis enim prompta & propenſa offerentis voluntas, quàm rei oblatæ pretium perpendi debet; ac, teſte Gregorio Magno, vacua illa manus dici haudquaquam poteſt, ſi Arca cordis optima ſit voluntate repleta. Tu igitur, Beatissime Pater, qui duos Gregorios, Beatiſsimi ſcilicet Gregorij Magni pietatem & ſanctitatem, Gregorijq. XIII. benignitatem, magnanimitatem, ac liberalitatem in te vno Gregorio concludis, humilia ne deſpicias, ſed tuos Gregorios, immo diuinam bonitatem, hoc eſt Salvatoris noſtri exemplum imitatus, ea, (cuiuſmodi eſt hoc munuſculum leuidenſe meum) benigno, quo ſoles, vultu atque animo ſuſcipias, ſicut etiam Pontificiæ dignitatis immenſa hiſce in terris poteſtas pollicetur, tuiq. Gregorij, (benigna tamen tua facie id præſeferente, tuaq. natura non reluctante) iure quidem poſtulant, & expectant: Tui enim Nominis celſitudine, feliciq. aura elucubratio mea, qualiſcumque ſit, erigetur, erectaq. omnibus in Tuo Nomine apparebit. Ego interim ad Beatitudinis Tuæ pedes prouolutus ſuppliciter Deum deprecor, ac deprecabor ſemper, vt te multis annis auctum incolumem conſeruet, ad vniuerſæ Chriſtianæ Reip. dignitatem tuendam, ſeu potius reſtituendam, augendam, exornandam, catholicamq. fidem ac diſciplinam toto denique terrarum orbe propagandam.

Romæ M. D. XCI.
Kal. Mart. Ex Typographia Apoſtolica Vaticana.

# AVCTORVM

## Qui in hoc opere paſſim citantur, nomina, cognomina, origines, monimenta inſigniora, & elogia breuiter conſcripta, atque ex probatiſſimis Scriptoribus deſumpta.

### *A.*

*ABBEN EZra, & Abraam Leuita, & Gedalia Iachia Rabini, quorum primus ſcripſit in II. cap. Danielis, ſecundus de geſtis Romanorum, tertius vero Traditionum cathenam, quamuis ſint ex ijs, qui foris ſunt, donationem tamen Conſtantini fatentur, velint nolint: quorum primi vixerunt circa ann. Dom. 400. tertius vero ætate noſtra vixit.*

*Accurſius Aquilanus, dictus Mariangelus, de Typographicæ artis inuentore, ac de libro primum omnium impreſſo. Floruit circa Ann. Dom. M. D.*

*Ado Viennenſis Archiepiſcopus, Breuiarium Chronicorum ab origine mundi ad ſua vſque tempora, ad ann. ſcilicet ſalutis noſtræ 1353. conſcripſit, quo ſcilicet anno claruit.*

*Adolphus Mekerchus Brugenſis, vir ſane admodum eruditus, qui de recta & veteri pronunciatione linguæ Græcæ ſcripſit Commentarios: eamq. cum Hebraica confert. Edidit etiam Appendicem de accentibus Græcorum. Claruit Anno Dom. M. D. L XIV.*

*Adrianus Papa huius nominis primus, Natione Romanus, vir quidem doctus, & ſanctus, ſcripſit librum de veneratione ſacrarum imaginum, libr. item ad Karolum Imp. & Epiſtolas ad diuerſos. Claruit Anno Domini D. C C. XCV.*

*Aegidius Columna Romanus Archiepiſcopus Bituricenſis, Theologus inſignis Ord. Erem. ſancti Auguſtini, & ſancti Thomæ Aquinatis auditor, multa in artes varias ac diſciplinas more ſcholaſtico, necnon in Scripturam ſacram, atque in libros Sententiarum Petri Lombardi conſcripſit, & alia edidit permulta, ſed doctiſſime ſane omnia, atque ita, vt nomen Fundamentarij merito ei tributum ſit. Claruit Anno Dom. M. CC. LXXX.*

*Aegidius Tſchudus Glaronenſis de priſca ac vera Alpina Rhætia cum*

*reliquo*

reliquo Alpinarum Gentium tractu librum Germanice ſcriptum edidit peragratis locis ijs, Auctorumq. monumentis perlectis. Hinc de illarum Gentium lingua, locorumq. nominibus ſcripſit. Anno Domini M. D. LXXV.

Aelianus Sophiſta Romanus, Pauſaniæ auditor, & a Philoſtrato maxime laudatus, quod Romanus homo tam probe atticiſſarit, tamq. eleganter peregrinam a Patria vocem retinuerit. Scripſit de animalibus, de varia hiſtoria, ac de re militari: quæ omnia in magna habentur exiſtimatione. Claruit ſub Adriano Romanorum Imp.

Aelius Spartianus ſcriptor inſignis, qui quaſdam Cæſarum vitas conſcripſit, hoc eſt Adriani Imperatoris, & Aelij Veri Cæſaris ad Diocletianum Auguſtum. Claruit ſub Diocletiano Auguſto.

Aeneas Siluius Senenſis, qui fuit deinde Pius II. vir bonarum artium peritiſſimus, ſcripſit profectionem in Turcas, quam cum indixiſſet, non potuit perficere Anconæ mortuus, qui Romam tranſlatus ſepultus eſt in Aedibus ſancti Petri prope Altare ſancti Andreæ. Hic edidit deſcriptionem Europæ, Abbreuiationes Blondi, Hiſtoriarum opus imperfectum, Epiſtolas ad diuerſos, multaq. alia, quæ in lucem ſunt edita, præſertim vero lib. de rebus a ſe geſtis. Claruit circa Ann. Domini M. CCCC. LXIIII.

Aldus Manutius iunior, Pauli filius, Aldi Nepos de bonis litteris, ac litteratis optime meritus, varia ſcripſit, multos Auctorum bonorum libros illuſtrauit, & nonnullos ex Græco in Latinum, & ex Latino in Italicum tranſtulit ſermonem. Claret Anno Domini M. D. XCI.

Aloyſius Lippomanus Venetus, & Epiſcopus Veronenſis, qui ſanctorum vitas, Cathenam in Geneſim & Exodum omnibus doctis pergratam, & in Pſalmos conſcripſit, & alia, præſertim vero Cathenam in Leuiticum, quæ in tenebris adhuc latet. Claruit Anno Domini. M. D. XLV.

Alphonſus Ciacon Hiſpanus Biacenſis, vir profecto eruditiſſimus, antiquitatum helluo, librum de ſancti Hieronymi Cardinalitia dignitate docte quidem & exacte conſcripſit, necnon hiſtoriam de anima Traiani a cruciatibus tartareis erepta, & alia, quæ nondum edita ſunt in lucem, circiter viginti volumina. Claret Anno Domini M. D. XCI.

Ambroſius ſanctus, Epiſcopus Mediolanenſis, patria Romanus, & Doctor Eccleſiæ eloquentiſſimus, qui ſacro Baptiſmatis fonte Auguſtinum Chriſto Saluatori noſtro peperit, Commentarios edidit in Scripturam ſacram, multaq. alia pie atque catholice ſcripſit: ritumq. Antiphonarum, Reſponſoriorum, atque Hymnorum e Græca Eccleſia in Latinam, teſte Sigeberto in Chron. Naucl. tranſtulit. Claruit Anno Domini. C C C. LXXX.

Ambroſius Bergomenſis, Ord. Eremitarum S. Auguſt. Calepinus e Calepio dictus Oppido in Cenomanis ad 14. lapidem a Bergomo Brixiam verſus ad Colles in ſiniſtra parte ſito, & a bonitate vini denominato: καλὸς bonus, καὶ πίνω, bibo, Calepinus dictus eſt: erat enim ex Familia Comitum Calepij. Hic diuinarum, humanarumq. litterarum ſtudioſus ac peritus, magno ſane labore, Dictionarium ex innumeris fere Auctoribus collectum non ſolum voces omnes Latinas, & Græcas ad Poetas & Oratores, ad Medicos & Philoſophos, & Mathematicos, necnon ad Doctores Eccleſiaſticos pertinentes, ſed etiam Auctorum, ac locorum omnium, ſiue propoſitionum atteſtationem ipſam comprehendens ordine congeſſit Alphabetico, & in lucem edidit: opus quidem & doctis & indoctis valde vtile, ac pergratum, & cuiuſuis litteraturæ hominibus perneceſſarium, ex eo enim tamquam e cella penaria voces omnes Latinæ, Latiniq. ſcribendi modi, exploſa barbarie, nobis prompte ſubminiſtrantur: quæ item ignorabantur, aut a doctis in dubium reuocabantur, nunc diſcuſſa dubietatis, & ignorationis tenebra, latiſſime patent. Nec audiendi ſunt ij, qui aiunt hoc opus paruum olim fuiſſe codicem: erat enim pergrande, vt ego ipſe ex Exemplari primo omnium edito noui, atque hoc idem Trithemius teſtatur, ipſum pergrande opus appellans. idem ait Iacobus Philippus Bergomenſis in ſupplemento chronicorum, eiq. coætaneus: immo ipſemet Ambroſius opus pergrande appellauit in Epiſtola nuncupatoria, qua Dictionarium Senatui, Populoq. Bergomenſi circa ann. Dom. M. D. dedicauit: nam ſecunda vice M. D. IX. idem Dictionarium Aegidio Viterbienſi ſummo totius Ordinis Auguſtiniani Magiſtro, tertia vero vice Conuentus Bergomenſis eidem Aegidio Cardinali M. D. XIX. dicauit. Dolendum autem eſt, ex hoc Dictionario voces innumeras non ſolum ad Doctores Eccleſiaſticos, verum etiam ad varias artes pertinentes, quæ ſcitu ſunt dignæ, fuiſſe ſublatas. Laudandi tamen ſunt qui ex eodem Dictionario, tamquam e tritico lolium, hoc eſt voces ob Typographorum ſiue aliorum incuriam corruptas ſubſtulerunt, vocibus quibuſdam Latinis ac Græcis adiectis. Claruit Anno

 Dom.

Dom. M. D. I X. & decrepita ætate, atque oculis orbatus. M. D. X. obijt.

Ammianus Marcellinus hiſtoriam Romanam ab anno Chriſti. 98. vſque ad 382. conſcripſit & præſertim de rebus a Conſtantio, Iuliano Apoſtata, & Valentiniano geſtis: qui, quamuis Ethnicus, nonnihil tamen de Conſtantini donatione fatetur. Vixit ſub ijſdem Imperatoribus circa Ann. Dom. C C C. L X X X I I I.

Anaſtaſius Romanus, Apoſtolicæ Bibliothecæ cuſtos diligentiſſimus, atque inſtaurator, vir ſane non ſolum in humanis ſcientijs, verum etiam in diuinis ſcripturis inſigniter eruditus, necnon Græcæ linguæ, ac Latinæ peritus, iubente Nicolao I. cuius Bibliothecarius erat, tranſtulit e Græco in Latinum ſancti Ioannis Eleemoſynarij vitam, vnam Dionyſii Hierarchiam, vitasq. multorum patrum. Scripſit hiſtoriam Eccleſiaſticam, atque ſummorum Pontificum. Claruit Anno Domini. D C C C. L X.

Anaſtaſius Germonius, Archidiaconus Taurinenſis, vir profecto doctus, libros de Immunitatibus Eccleſiaſticis, ac de Indultis Cardinal. conſcripſit, & alia eruditis viris pergrata: edidit enim Seſſiones pomeridianas pro lingua Latina, Paratitla, ſiue Summulas ad quinque libros Decretalium, Animaduerſionumq. libros duos ad ius Cæſareum & Pontificium. Claret ætate noſtra M. D. X C I.

Angelus Politianus, Grammaticus celebris, Philoſophus, Orator, & Poeta inſignis: Græcæ item linguæ, & Latinæ præſertim peritiſſimus, Epiſtolarum libros 12. conſcripſit, & Miſcellanea, librumq. in errores Latinæ linguæ: edidit Elogia, Epigrammata Græca & Latina, Herodianumq. hiſtoricum de Græco vertit, & alia. Claruit ſub Alexandro V I. circa ann. Dom. M. C C C C. X C I I I I.

Antoninus Ordinis Fratrum Prædicatorum, Archiepiſcopus Florentinus, Summam caſuum conſcientiæ ſatis grandem, & Chronicos libros, atque alia edidit. Moritur ſub Federico Imp. I I I. Anno Dom. M. C C C C. L I X. Sexto Nonas Maij.

Appianus Alexandrinus Sophiſta, qui hiſtoriæ Romanæ libros, teſte Volaterrano, 22. conſcripſit, quorum nouem tantum ad nos peruenerunt. Edidit & alia complura de varijs populorum bellis. Floruit ſub Adriani Principis temporibus.

Ariſteas Græcus, Ptolemæi Philadelphi cubicularius, ſeu potius ὑπερασπιςής, ideſt protector qui clypeum ante Regem portabat, hiſtoriam de 72. Interpretibus conſcripſit. Compoſuit etiam librum Mirabilium Orbis, & libr. Fabularum. Claruit ſub eodem Philadelpho, Olympia-



de 124. Anno ante Chriſti Aduentum. C C C. L.

Ariſtoteles Stagyrites Philoſophus inſignis, toteq. terrarum orbe celeberrimus, omniumq. Philoſophorum Peripateticæ ſcholæ princeps: cuius ſcripta, quæ manibus omnium eruditorum ac ſtudioſorum teruntur, longum eſſet recenſere. Huius doctrina tanta eſt apud Philoſophos, ac Theologos ea in facultate, necnon apud omnes bonarum artium profeſſores, quanta vix vnquam verbis explicari poſſet. De Ariſtotele Quintilianus loquitur in hanc verborum formam: Quid Ariſtotelem? quem dubito, ſcientia rerum an ſcriptorum copia, an eloquendi ſuauitate, an inuentionum acumine, an varietate operum clariorem putem. Hæc Quintil. Libros ſupra trecentos, Plutarcho teſte in Sylla, reliquit: vel quadringenta volumina, vt Suidæ placet. Hic fuit ſtatura paruus, gibboſus, & balbutiens, ſed ob ſummam eruditionem ſocius, præceptor, & a ſecretis Alexandri Magni euaſit. Platonem audiuit decem annis, vel viginti, vt ſcribit Laertius. Exceſſit ætatis ſuæ Anno L X V I I I. eodem quo Demoſthenes anno mortuus eſt: hic in Apulia, ille in Eubœa: ambo profugi, Antipatro perſequente.

Arnobius Afer presbyter, philoſophus, & rhetor inſignis in Africa florentiſſime Rhetoricam docuit, & aduerſus Gentes libr. conſcripſit, & Commentarios edidit in Pſalmos, ſcripſitq. alia permulta. Claruit circa Ann. Dom. C C C.

Aſconius Pedianus Patauinus hiſtoricus, qui etiam luculentos in Ciceronis orationes Commentarios edidit. Hic anno ætatis ſuæ 73. captus fuit luminibus: poſtea tamen ſummo cum honore, & hominum gratia vixit annos 12. Euſebio teſte. Floruit circa Neronis tempora circa Ann. Dom. L V.

Athenæus Naucratita Grammaticus, Dipnoſophiſtarum, ideſt argute ſciteq. in conuiuio diſſerentium libros 15. conſcripſit, opus varium & eruditum. Floruit ſub Marci Antonini Principis tempore, circa Ann. Dom. C. X X X I X.

Athanaſius S. Epiſcopus Alexandrinus, Theologus inſignis, qui multa pie, atque catholice ſcripſit, quæ longum eſſet recenſere. Claruit tempore Valentiniani & Valentis Imperatorum, ſed ſub Valente obijt Anno Dom. C C C. L X X I X. Sacerdotij ſui X L V I. Sexto Nonas Maij.

Auguſtinus S. Afer, Tagaſtenſis, Eremitarum Ordinis fundator, baptiſmate a B. Ambroſio ſuſcepto, anno ætatis ſuæ 30. cum dimidio die 5. Maij. Hic deinde anno ætatis ſuæ 36. ſalutis vero 394. creatus fuit Epi-

ſcopus Hipponenſis, & Doctor Eccleſiæ celeberrimus, Doctorumq. iubar fulgentiſſimum, & lux, malleuſq. hæreticorum iure nuncupatus, cuius ſcripta tot tantaq. ſunt, vt nihil fere a quopiam docto ſcribatur, aut dicatur, quod eorum doctrina reſperſum non ſit. Quamuis autem omnia eius opera ſint inſignia, & præſertim de Sanctiſſima Trinitate, opus tamen de Ciuitate Dei ob mirificam rerum, & doctrinarum varietatem celeberrimum eſt, quod inter cœnandum Karolus Magnus ſibi legi curabat. Moritur anno Domini CCCC. XXXIII. ætatis ſuæ LXXVI. Epiſcopatus XL. Quinto Kal. Septembris.

Auguſtinus Triumphus Anconitanus Ord. Erem. S. Auguſtini Theologus inſignis, permulta ad 42. ſcilicet librorum volumina edidit: ſcripſit enim, & doctiſſime quidem in varias artes ac ſcientias, necnon in ſacram Scripturam. Edidit autem opus de Poteſtate Eccleſiaſtica more ſcholaſtico omnibus doctis gratiſſimum, & numquam ſatis laudatum. Milleloquium Auguſtini incœpit, ſed morte præuentus imperfectum reliquit, quod Bartholomæus Vrbinas eiuſdem ordinis perfecit. Claruit ſub Ioanne XXII. Anno Dom. M. CCC. XXVIII. Aetatis ſuæ. LXXXV.

Auguſtinus Steuchus Eugubinus ex congregatione Canonicorum regularium ſancti Saluatoris, Epiſcopus Kiſſami inſulæ Cretæ, & Bibliothecæ Apoſtolicæ præfectus ſub Paulo III. ex nobiliſſima Farneſiorum familia, de perenni philoſophia decem libros edidit, atque de Conſtantini donatione contra Laurentium Vallam ſcripſit, & alia complura, & in ſacram Scripturam, præſertim vero in Pentateuchum. Claruit circa ann. Dom. M. D. XL.

Aulus Gellius, qui noctium Atticarum libros erudite conſcripſit, fuit diligentiſſimus rerũ priſcarũ perſcrutator. Claruit circa ann. C. XLIIII.

Auſonius Gallus Burdegalenſis Auguſtorum præceptor, & Poeta inſignis, cuius extant Epigrammata arguta quidem, & leporis plena de Auguſtis, & aliјs rebus. Epigrammatum librum ex Græcis Poetis acceptum in Latinos numeros conuertit. Varijs item carminibus ſcripſit Epiſtolas, & ſoluta etiam oratione, & præſertim ad Gratianum Imperatorem diſcipulum circa ann. Dom. CCCC.

## B.

BArtholomæus Marlianus, Patritius Mediolanenſis, Topographiam antiquæ Romæ, eiuſdemq. admirandas res conſcripſit. Claruit anno Dom. M. D. LXVI.

Bartho-

Bartholomæus Platina Cremonenſis vir ſuo tempore doctiſſimus, ſcriptor ſeu abbreuiator Apoſtolicus & Sixti IV. familiaris, Bibliothecæq. Vaticanæ præfectus, ſcripſit librum de geſtis & vitis Romanorum Pontificum, de naturis rerum, Epiſtolas, & quædam alia. Moritur Romæ ex peſte ſub eodem Sixto M. CCCC. LXXXI.

Bartholomæus Sibylla Dominicanus, Theologus non ignobilis, qui peregrinas quæſtiones conſcripſit, in quibus multa curioſe tractantur. Claruit Anno Dom. M. D. XXXIV.

Beda Venerabilis Anglicus, vel Britannus, Monachus Benedictinus, Theologus celeber, qui ob vitæ modeſtiam Venerabilis dictus, vel vt alij volunt, quia viſu orbatus dum in itinere quodam concionem haberet ad id faciendum cohortatus ab ijs, qui eum ducebant, dicentes multas illic Gentes ſacrum expectare ſermonem, quamuis nemo adeſſet, audita fuerunt in aere, concione habita, hæc verba: Benedixiſti Venerabilis Beda. Multa in Scripturam ſacram conſcripſit, necnon Chronica ab Orbe condito ad ann. vſque 700. Edidit quoque Martyrologium, & alia permulta. Hic fuit Strabi Gloſſæ ordinariæ frater, cuius diſcipuli fuerunt Rabanus, Alchuinus, & Ioannes Scotus, alius a Franciſcano ſcholaſtico Doctore, & alij Viri inſignes. Moritur ſub Leone Imp. Anno Dom. DCC. XXXII. Aetatis ſuæ LXXII. Prid. Kal. Iunij.

Bernardus S. Burgundus Abbas Clareuallenſis, oraculum ſui temporis, plurima pie atque erudite conſcripſit, & præſertim Commentarios in Cantica, & Super Miſſus eſt, Conſiderationem diuinæ contemplationis ad Eugenium Pontificem: vnde muneris Pontificij ratio narratur. Varias inſuper Epiſtolas edidit, Sermones item in ſollemnibus diebus habitos, & alia permulta. Huius doctrina, diuina potius tradita, quàm labore comparata iudicatur. Claruit ſub Conrado Imp. III. Anno Dom. M. C. XL.

Bernardus Breitembachius Itinerarium Terræ Sanctæ conſcripſit, varias linguas enarrans. Claruit ætate noſtra.

Beroſus Chaldæus, Sacerdos, Aſtrologus, & Hiſtoricus, cui ob prædictiones, quas Athenienſes diuinas exiſtimarunt, ſimulacrum in Gymnaſio inaurata lingua ſtatuerunt, ſeriem rerum Aſſyriæ, & aliorum a diluuio fere vſque ad Ioſue, Gentium item origines Græcis explicauit, & Chaldaicam hiſtoriam ſuam tribus comprehendit libris. Scripſit & de poſteris Noe, ſed perpauca eius extant ſcripta, quæ Annius Viterbienſis produxit: hæc tamen adulterina a do-

ctis

ctis Viris indicantur. Claruit ſub Seleuco Nicanore, & Antiocho eius filio ac ſucceſſore; cui Chaldaicam hiſtoriam dedicauit.

Beſſarion Nicænus, vir ſane doctiſſimus, Patriarcha Conſtantinopolitanus & S. R. E. Cardinalis multa eruditiſſime ſcripſit, Platonicam doctrinam ſecutus, ſuamq. Bibliothecam inſignem Reip. Venetæ dono dedit: cuius tanta erga doctiſſimos viros fuit liberalitas, vt eius domus artium liberalium, litteratorumq. Aſylum diceretur. Moritur ætate confectus ſub Sixto IV. Anno Dom. M. CCCC. LXXXIII.

Blondus Foroliuienſis libros de Italia conſcripſit, & alios hiſtoricos libros, hoc eſt de geſtis Romanorum, de Roma triumphante, & inſtaurata, necnon alia quædam. Claruit ætate noſtra circa ann. Dom. M. C C C C. LXXX.

Bonauentura S. Balneoregienſis Ordinis Minorum, Alexandri de Ales auditor & diſcipulus, & S. R. E. Epiſcopus Cardinalis Albanenſis, atque Eccleſiæ Doctor, qui in Scripturam ſacram, & in quattuor Petri Lombardi Magiſtri Sententiarum libros edidit Commentarios, nec non opuſcula permulta docte ac pie ſcripta, quæ omnium manibus teruntur. De hoc Doctore ſancto hunc in modum ſcribit Trithemius: S. Bonauentura in ſcribendo profundus eſt, non verboſus: ſubtilis, non curioſus: diſertus, non vanus: flammantia, non inflantia verba proferens. Vnde & ſecurius legitur, facilius ab amante intelligitur, vtilius frequentatur: pauci ſcribendo libros docuerunt vtramque. Bonauentura autem & multos ſuperauit, & paucos: dum eius doctrina deuotionem, deuotio inſtruit doctrinam. Si ergo & doctus vis eſſe & deuotus, illius opuſculis eſto intentus. Hæc Trithemius. Doctor iſte ſanctus, a B. Thoma ſanctus, dum viueret, fuit appellatus. Alexander vero de Ales de eo frequenter dicere ſolebat: In Fratre Bonauentura Adam peccaſſe non videtur. Moritur ſub Leone Papa X. in Concilio Lugdunenſi Anno Dom. M. CC. LXXXIII. in Eccleſia cathedrali ſepultus.

Boetius vir conſularis, Orator, Philoſophus, & Poeta, multa, & præſertim de conſolatione philoſophica libros verſu, & proſa conſcripſit. Edidit etiam libros & Commentarios in varias artes ac diſciplinas. Multos Ariſtotelis libros de Attica lingua in Latinam tranſtulit: ingenio ſubtilis, ſenſu promptus atque catholicus, & ſermone Latino Ciceroni non inferior: gener Symmachi Patritij fuit, & ſancti Benedicti amicus. Moritur eodem anno, quo Symmachus Patritius, & Ioannes Papa ſub Anaſtaſio, iuſſu Theodorici Regis apud Rauennam poſt diuturnum exilium in carcere iugulatus Anno Dom. D. XXIII.

## C.

Cato Maior, Orator, qui & cenſorius dictus eſt, originem ex Tuſculano municipio trahens, Græcisq. litteris ab Ennio edoctus in Sardinia, quam ſubegit, ſeptem libros originum conſcripſit. Huius tempore Græcia Romanis nondum ſuas dederat litteras, quas tamen teſte Plinio, inſpiciendas non perdiſcendas eſſe affirmabat: quin Græcos ex Italia expellendos ſentiebat. Claruit ab Vrbe cond. Anno D. LIX. ante Chriſtum. C. XCIII.

Cælius qui dicitur Ludouicus Cælius Rhodiginus antiquarum lectionum libros 30. curioſe, & eruditiſſime quidem conſcripſit. Edidit etiam quaſdam in Ouidij Metamorphoſeon annotationes. Claruit circa ann. Dom. M. D.

Cæſar Imp. dictus Iulius Cæſar, vir ſane celeberrimus, bonarumq. litterarum cultor maximus, Commentarios edidit, & in Aegyptum profectus Faſtos, ſiue Kalendarium Numæ Pompilij, qui lunaribus menſibus annos diſtinxerat, correxit, & ad ſolis curſum reuocauit, vt Plinius lib. 18. cap. 15. teſtatur. Floruit ante Chriſti Aduentum. Anno LXXXVII.

Cæſar Baronius Soranus, vir profecto in ſacris hiſtorijs optime verſatus, Martyrologium eruditis Commentarijs inſignitum edidit, Annalesq. Eccleſiaſticos in lucem emittit, omnibus quidem pergratos. Claret ætate noſtra. M. D. XCI.

Cicero Arpinas vir doctiſſimus, gracili corpore, & infirmo, collo procero ac tenui, vt narrat Genebrardus, Oratorum omnium Romanorum celeberrimus, & Latinæ linguæ parens; exulans poſt oppreſſam Remp. vacuus negotijs forenſibus & ciuilibus multos quidem aureos libros philoſophicos, omnium qui Latine ſcripſerunt, tum doctrina, tum ſermonis elegantia primos, quos enumerat initio lib. 2. de Diuinatione: ſed in tribus de Natura Deorum ſeipſum ſuperauit, Deo prouidente, vt Idololatria per ſuos cultores oppugnaretur, quæ mox per Chriſtum Saluatorem noſtrum eſſet expugnanda, ac triumphanda. Primum enim refellit Deum Epicureorum, deinde Deos Stoicorum, Planetas & alios, denique Deos populares, quos fabuloſos, hominesq. fuiſſe contendit. Extant eiuſdem Ciceronis libri Rhetorices plurimi, Orationum, & Epiſtolarum, quarum aliæ Familiares dicuntur,

dicuntur, aliæ ad Atticum, Brutum, & Q. fratrem ſunt ſcriptæ, quæ manibus omnium teruntur. Claruit ſub Iulio Cæſare, & Octauiano Aug. ante Chriſti Aduentum. Anno LXXXVII.

Claudius Claudianus Alexandrinus Poeta inſignis, quem nonnulli Florentinum fuiſſe volunt, ſed falſo: hic aptus & facilis fuit ad carmen componendum varijs figuris ac ſententijs plenum. Scripſit libros quattuor de raptu Proſerpinæ, libros duos in Ruffinum, duos item in Eutropium, vnum de Bello Gildonico, ac Getico, & alia permulta. Floruit ſub Theodoſii, & Honorij temporibus.

Clemens Alexandrinæ Eccleſiæ presbyter, Pantherij diſcipulus, & Origenis Magiſter, qui tam de diuinis ſcripturis, quàm de ſæcularibus litteris multa conſcripſit. Floruit ſub Seuero, & Antonino Principibus. Anno Dom. C C.

Columella, qui L. Moderatus Columella Gaditanus genere dicitur, libros de re ruſtica abſolutiſſimos edidit. Claruit ſub Claudio Principe.

Cornelius Publ. Tacitus hiſtoricus, Eques Romanus, hiſtoriæ Romanæ ſiue Annalium lib. 16. ab exceſſu Auguſti, necnon libellum annorum 56. atque de Germanorum Populis, moribus, ac ſitu, & alia, conſcripſit. Floruit tempore Claudij Tiberij Neronis anno ab Vrbe condita. D C C. LXVII. Vſque ad Flauij Veſpaſiani tempus, Anno ab Vrbe. D C C C. XXII.

Cyprianus Cæcilius Afer, Eccleſiæ Carthaginenſis Epiſcopus & Martyr, Cæcilio presbytero ſuadente ad fidem conuerſus, a quo ſortitus eſt cognomen, multa ſcripſit opuſcula pie quidem, atque erudite. Martyrio coronatur ſub Valeriano, Anno Dom. C C. XLIX. VIII. Kalendas Octobris.

Cyrillus natione Græcus, & Epiſcopus Alexandrinus, qui Concilio Epheſino contra Neſtorium & Pelagium præſedit, multa ſcripſit opuſcula, doctrina ac ſententijs plena, & præſertim aduerſus Neſtorium, occulta eius venena refellens. Edidit quoque Epiſtolas, Homilias, & Sermones complures. Claruit Anno Domini C C C C. XXXII.

## D.

Damaſus S. Papa, natione Luſitanus, & ſancti Hieronymi amantiſſimus, ſcripſit Summorum Pontificum geſta, necnon Epiſtolas varias, de fide contra hæreticos, carminaq. diuerſa: nam in

pangendis

pangendis verſibus fuit peritus. Claruit Anno Dom. C C C. LXX.

Diodorus Siculus, qui hiſtoriam res Romanas continentem, Bibliothecam inſcripſit, hiſtoriamq. ipſam mille centum ac triginta annorum libris 40. diſtinxit. Claruit ſub Auguſto, teſte Suida.

Diogenes Laertius hiſtoricus inſignis, vitam & mores, decreta, & reſponſa Philoſophorum conſcripſit, idq. omne libris decem comprehendit.

Dion Caſſius cognomento Cocceius, patria Nicæus, vir conſularis, qui Romanam hiſtoriam a Pompeio Magno vſque ad Alexandrum Mamææ 80. libris comprehendit, & vitam Ariani Philoſophi, resq. geſtas Traiani Imp. conſcripſit, Romanam item hiſtoriam edidit, libris 25. comprehendens. Claruit ſub Alexandro Seuero.

Diomedes Grammaticus multi ingenij vir, ſcripſit nonnulla ad grammaticam pertinentia admodum quidem vtilia.

Dioſcorides Pedacius Anaxarbeus Medicus, Marci Antonij & Cleopatræ familiaris libros VIII. de materia Medica conſcripſit, & vnum de lethalibus venenis, eorumq. præcautione, & curatione. Scripſit etiã de ſtirpium, necnon plantarum differentijs. Claruit ſub Iul. Cæſare.

## E.

Epiphanius Cypri Salaminæ Epiſcopus, & ſancti Hieronymi amicus, ad eumq. miſit Epiſtolas, tantaq. vitæ ſanctitate clarus extitit, vt ſpiritu prophetiæ meruerit illuſtrari, ſacrarumq. litterarum ſcientia excellens ſcripſit aduerſus omnes hæreſes, & alia permulta, quæ ab eruditis propter res, a ſimplicioribus propter verba lectitantur. Scripſit & alia, de quibus S. Hieronymus mentionem facit. Hiſtoriam item tripartitam in Latinum tranſtulit. Claruit Anno Dom. C C C. XC.

Ephorus hiſtoricus Cumanus, Iſocratis auditor, ac Theopompi condiſcipulus, quorum alter fræno, alter calcaribus indigebat, teſte Suida, Epitomen hiſtoriarum Herodoti, & quæ Bello Peloponneſiaco geſta ſunt, ſcripſit. Claruit ſub Cæſare, cuius erat familiaris.

Euagrius Monachus, & Macharij Aegyptij diſcipulus, vir ſane doctiſſimus, & Antiochiæ Epiſcopus, quem Hieronymus multos diuerſarum ὑποθέσεων Tractatus eum ſibi legiſſe ait. Scripſit præſertim vitas Patrum, & vitam B. Antonij, & Commentarios in

c Prouerbia

*Prouerbia Salomonis. Claruit Anno Dom. CCC. LXXX.*

*Euſebius ob arctam cum Pamphilo neceſſitudinem Euſebius Pamphili dictus eſt, qui fuit Epiſcopus Cæſarienſis, Chronicos edidit libros, Hiſtoriam Eccleſiaſticam ex Philone, Ioſepho, Clemente Alexandrino, Egeſippo & alijs. Scripſit item de præparatione Euangelica, & alia. Claruit Anno Dom. CCC. XX.*

*Euſtathius Epiphanæus, qui ſcripſit temporum Epitomen ab Aenea Troiano vſque ad Anaſtaſium Principem, ſub quo fuit, & alia quædam. Claruit ſub eodem principe, circa annum Domini CCCC. XCVI.*

## F.

*FEſtus Pompeius, qui & Sextus Pompeius Feſtus dictus eſt, ſcripſit de verborum ſignificatione, ſiue priſcorum verborum cum exemplis, libros viginti. Claruit ſub Auguſto.*

*Flauius Vopiſcus, qui Principum Romanorum Aureliani, Taciti, Floriani, Probi, Firmi, Saturnini, Proculi, Bonoſi, Cari, Carini, Numeriani vitas conſcripſit. Claruit ſub Numeriano.*

*Franciſcus Sanctus Ordinis Minorum inſtitutor, Aſſiſii in Vmbria natus, vir ſane vitæ ſanctitate celeberrimus, ſcripſit Regulam, ac Teſtamentum breue. Claruit Anno Dom. M. CC. XX.*

*Franciſcus Toletus Cordubenſis e Societate Ieſu, Vir ſane vitæ probitate clarus, ac doctiſſimus, ſummorumq. Pontificum multis ab hinc annis concionator, eruditiſſime in Logicam & Philoſophiam Ariſtotelis, necnon in Scripturam ſacram Commentarios valde vtiles, & omnibus pergratos conſcripſit, & ad hanc vſque diem, Euangelio B. Ioannis explanato, & in lucem edito, in Lucæ Euangelium ſcribit, & alia, quæ nunc ſub incudine iacent, lectoribus admodum profutura. Hic enim non minus facilis quàm doctus in ſcribendo ac docendo eſt. hinc ab eruditis de eo paſſim dici ſolet: TOLETVS DOCET. Claret ætate noſtra, Anno Domini M. D. XCI.*

*Franciſcus Alumnus Ferrarienſis ſcripſit permulta ad Italicam linguam emendatiorem pertinentia, Fabricam ſcilicet mundi ac Diuitias inſcripta, opera quidem magni laboris, necnon magnæ ſtudioſorum vtilitatis atque commoditatis. Claruit Anno Dom. M. D. LVIII.*

*Genebrardus*

## G.

*GEnebrardus vir quidem eruditiſſimus, Theologus Pariſienſis, Diuinarum, Hebraicarumq. litterarum profeſſor regius, & noſtra ætate percelebris, vniuerſæ hiſtoriæ Speculum, ſiue Chronographiæ quattuor libros ab Orbe condito ad noſtra vſque tempora conſcripſit, & in lucem edidit, opus profecto admodum vtile, & omni laude dignum. Floret Anno Dom. M. D. XCI.*

*Gratianus Monachus Benedictinus Bononienſis, vel Claſſenſis, ſi credimus Trithemio, qui ex aliena opinione ait eum eſſe Hetruſcum, ſummorum Pontificum Decreta congeſſit: opus admodum vtile, quod Gratiani Decretum vocitatur: cui adiectæ ſunt Decretales Epiſtolæ Gregorij IX. Sextus item Decretalium Bonifacij VIII. Clementinæ conſtitutiones Clementis V. Extrauagantes Ioan. XXII. & Extrauagantes communes aliorum Pontificum. Sunt qui velint Gratianum natum eſſe Cluſii, quod eſt Oppidum Mediterraneum in Tuſcia, vt videre eſt in Pomærio Eccl. Rauenn. ſed in codice vetuſtiſſimo, quod in Bibliotheca Vaticana aſſeruatur, legitur, eum eſſe Bononienſem, & in Cœnobio S. Felicis Bonon. Collegiſſe Decretum: & ab Eugenio III. circa ann. Dom. M. C. LXXXV. approbatum. Claruit Anno Dom. M. C. LI. vel M. C. XX. vt Trithemio placet in libro de Scriptoribus Eccleſiaſticis, vel M. C. XXVII. vt idem Trithemius ait libro 2. de Viris Illuſtribus Ordinis ſancti Benedicti.*

*Gregorius Nyſenus Epiſcopus & Baſilij Cæſarienſis frater ſcripſit librum de Hominis imagine, & libros duos contra Eunomium, quos Hieronymus in Catalogo ſibi & Gregorio Nazianzeno ab Auctore ipſo lectos fuiſſe narrat. Claruit Anno Dom. CCC. LXXX.*

*Gregorius Pontifex Maximus huius nominis primus Patria Romanus ex ordine Benedictino ſanctitate ac doctrina celeberrimus & Eccleſiæ Doctor præcipuus, qui multa in Eccleſia & in Miſſa inſtituit, permulta in Pontificatu etiam ſcripſit, pie, atque catholice omnia, Moralia ceteris excellentiora, & vtiliora, quamuis omnia ſint exiſtimatione digna. Hic propter res præclare geſtas, atque Anglos ad fidem conuerſos, Magnus & Anglorum Apoſtolus dictus eſt, cuius precibus animam Traiani Imp. a tartareis cruciatibus ablatam fuiſſe, Alphonſus Ciacon exacte declarat. Moritur anno ſecundo Phocæ Imp. Anno Dom. DC. V. miraculis clarus. Quarto idus Martij.*

 *Gabriel*

*Gabriel Prateolus Marchoſius de Vitis, Sectis, & Dogmatibus omnium hæreticorum ab Orbe condito ad ſua ipſius vſque tempora libros 21. conſcripſit. Claruit Anno Dom. M. D. LVIII.*

*Gabriel Barrius Franciſcanus Calaber de locis ac rebus Calabriæ ſcripſit, Romanæ linguæ puritate ornatus. Claruit circa Annum Domini M. D. LX.*

## H.

*Henricus Glareanus, doctus quidem Heluetius ex pago Glarona, ſcripſit librum de varijs populis, eorumq. linguis, & præſertim de recta Latini Græciq. Sermonis pronunciatione, necnon & alia complura ad Grammaticam, & alias artes pertinentia: conſcripſit etiam Commentarios, & Scholia in Liuium, & in alios Auctores. Claruit ſub Maximiliano Auguſto circa annum Domini M. D. LXIIII.*

*Herodotus Halicarnaſſeus, quem Cicero lib. 1. de Legibus, hiſtoriæ Patrem appellat, quia fuit e primis Græcorum Hiſtoricis, hiſtoriam ſcribere cœpit a Cyro Perſarum Rege libris nouem, quorum quilibet Muſæ nomine inſcriptus eſt. Strabo tamen libro vltimo hunc non Hiſtoriam ſed Mythihiſtoriam, hoc eſt fabuloſam, edidiſſe ait. Claruit anno ab Vrbe condita* C C C.

*Hieronymus ſanctus presbyter S. R. E. Cardinalis, vt Alphonſus Ciacon recte probat, quem nos item in hac noſtra Bibliotheca ſecuti ſumus, rationes alias & auctoritates in medium afferentes, Patria Stridonenſis, & vir ſane doctiſſimus ac Doctor Eccleſiæ præcipuus, Latinam, Græcam, Hebraicam, & Chaldaicam linguas callens, ac de diuinis Scripturis optime meritus, multa ſcripſit, quæ in maxima habentur exiſtimatione, & manibus omnium eruditorum teruntur: eaq. longū eſſet recenſere. Moritur plenus dierū Anno Do.* CCCC.XXII.

*Horatius ex Venuſia, Oppido Apuliæ, Poeta Lyricus inſignis, ſententijs plenus, ſed moribus obſcœnis, vitaq. incontinentiſſimus, ſectam Epicuream ſecutus, vt ipſemet ait, varia carminum genera edidit, quæ Odæ vocantur. Qua in re tulit palmam. Quod Quintilianus etiam teſtatur, dicens: Inter Lyricos ſolus fere dignus eſt legi Horatius: quoniam & inſurgit aliquando, & plenus eſt iucunditatis & gratiæ, varijsq. verbis & figuris feliciſſime audax. Hæc Quintil. Laudatur item a Perſio, & Ouidio, Apollinari & ab alijs.*

*alijs. Eius natalis, Crinito teſte, fuit duobus circiter annis ante coniurationem Catilinæ, quo tempore celebres erant in Ciuitate, ex Poetis Catullus, ex Oratoribus Cicero, ex Philoſophis Varro, Terentius. Orbilium, quem alicubi plagoſum vocat, a puero audiuit. Amicos ex Poetis habuit Tibullum, Virgilium & alios clariſſimos viros. Artem etiam Poeticam, Epodon lib. Satyras, Epiſtolas & Sermones carmine hexametro conſcripſit: quæ omnia manibus omnium teruntur, & in Scholis leguntur. Hic breui ſtatura fuiſſe traditur, corpore obeſo, oculis lippis, vt ex carmine illius varijs locis colligitur. Floruit ſub Auguſto & Mecœnate, quos miris laudibus celebrauit. Mortuus eſt autem anno ætatis ſuæ ſeptimo, & quinquageſimo, ſi Euſebio credimus.*

## I.

*Iacobus Pamelius, canonicus Brugenſis, & Doctor Louanienſis, qui in ſancti Cypriani opera luculenter conſcripſit, de libris ſacris bene meritus. Scripſit Micrologum de Eccleſiaſticis obſeruationibus, & Catalogum Commentatorum ſelectiorum in Biblia, & alia. Floruit Anno Dom. M. D. LXXXIX.*

*Ignatius Martyr, Antiochenæ Eccleſiæ tertius poſt B. Petrum Epiſcopus, qui Chriſtum poſt reſurrectionem in carne ſe non ſemel vidiſſe omnino affirmat, & præſertim cum Chriſtus ad Petrum & ad alios adiuit, vt narrat Hieronymus in Catalogo, ſcripſit Epiſtolas aliquot, hoc eſt, ad Epheſios, Magneſianos, Trallenſes, Romanos, Philadelphos, Smyrnæos, & ad Polycarpum, in qua Epiſtola mentionem facit de Euangelio tranſlato a Hieronymo id ipſum affirmante: & in hac eadem Epiſtola Chriſtum poſt reſurrectionem ſe vidiſſe ait. Scripſit etiam Epiſtolas duas ad ſanctum Ioannem, & vnam ad Deiparam Mariam ſemper Virginem, Trithemio teſte. Martyrio coronatur Anno Do. C. XI.*

*Innocentius III. Anagninus Pontifex Max. vir ſane doctiſſimus, & non minus probus, quàm doctus, qui Concilium Lateranenſe II. omnium, quæ vmquam fuerunt in Europa, celeberrimum coegit, ſermones doctrina & elegantia plenos, Commentarium in ſeptem Pſalmos ad Pœnitentiam pertinentes, libellum de mundi contemptu, & Epiſtolas Decretales feliciter edidit, & alia quædam. Mortuus eſt autem Peruſiæ anno ſui Pontificatus 18. menſe 7. die 16. Anno Dom. M. C C.*

*Ioannes VIII. Pontifex Max. vir doctus, ſcripſit nonnulla, & præſertim*

*ſertim*

ſertim Epiſtolas aliquot, vt videre eſt in Regiſtro, quod in Bibliotheca Vaticana aſſeruatur. Vixit annos 2. menſem 1. dies 4. in Pontif. Anno Dom. D C C C. L I.

Joannes Chryſoſtomus, quaſi os aureum ob eloquentiam dictus, Patriarcha Conſtantinopolitanus, Doctor Græcus & quidem celeberrimus, permulta, & varia doctiſſime, atque elegantiſſime ſcripſit. Moritur Anno Dom. C C C C. X L. Sexto Kalen. Februarij.

Joannes Potken præpoſitus Eccleſiæ ſancti Georgij Colonienſis, qui Pſalterium Chaldaicum Aethiopicis characteribus imprimendum curauit, adiecto Alphabeto, necnon legendi modo. Floruit circa annum Dom. M. D. L X X V.

Joannes Picus, Mirandulæ comes, ſummus Philoſophus, omnisq. bonæ litteraturæ ſtudioſiſſimus, qui tanta ingenij perſpicacitate doctrinaq. extitit, vt naturæ monſtrum fuerit vocitatus, ſcripſit in Geneſim, & in Pſalmos: nongentasq. concluſiones philoſophicas, multaq. alia edidit opuſcula. Claruit anno Dom. M. C C C C. X C I I I I.

Joannes Nauclerus præpoſitus Tubingenſis, Chronographiam ſcripſit ab exordio mundi breuiter comprehendentem res memorabiles ſæculorum omnium, ac Gentium vſque ad annum Chriſti M. D. His Chronicis adnexum eſt additamentum Nicolai Baſilij ab anno Dom. M. D. I. in annum vſque M. D. X I I I I. huic vero tempori adiecta eſt Appendix vſque ad ann. Dom. M. D. X L I I I I. cuius hiſtoria a Surio Carthuſiano continuata eſt. Claruit anno Dom. M. D.

Joannes Trithemius ex ordine Benedictino Abbas Spanneimenſis, deinde Peapolitanus, librum de Eccleſiaſticis Scriptoribus ſtudioſis admodum vtilem, atque commodum, qui incipit a primitiua Eccleſia ad annum vſque M. C C C C. X C I I I I. Scripſit & Polygraphiam ſex libris diſtinctam, hoc eſt varios ſiue multos ſcribendi modos, qui a Gellio ſcripta furtiua, ab Italis Cifræ vocitantur. Scripſit denique opuſcula pene innumera, quæ in lucem non prodierũt, & præſertim Steganographiam, occultam ſcilicet ſcribendi rationem, vt in Polygraphia legitur, opus quidem admirandum, a voce Græca, ςεγανὸς, ideſt occultus, & γραφὴς ſcriptio, dictam. Claruit ſub Alexandro V I. Anno Dom. M. C C C C. X C I I I I.

Joannes Baptiſta Egnatius Venetus, inſignis bonarum litterarum in Patria profeſſor, tres de Romanis Principibus, vel Cæſaribus libros, & nouem de Exemplis inſtar Valerij Maximi edidit in lu-

cem,

cem, obſeruationes in Ouidium, & Commentarios in Epiſtolas Familiares Ciceronis conſcripſit, & alia. Claruit anno Dom. M. D. L.

Joſaphath Barbarus Venetus, qui ſcripſit duo Itineraria, quorum vnum eſt Tanenſe, alterum Perſianum. Vixit circa ann. Dom. M. C C C C. L X X.

Joſephus Hebræus Patria Hieroſolymitanus, & ſacerdos ſcripſit Bellum Iudaicum, & libr. de Mundi Antiquitatibus, contra Apionem, ac de potentia dicendi, & alia. Hic quamuis Iudæus, genus tamen Chriſtianorum perſæpe laudauit, atque de Saluatore noſtro Jeſu Chriſto in lib. 18. Antiquitatum inſigne teſtimonium ſcriptum reliquit. Huius volumina tantæ auctoritatis apud Romanos adhuc illo viuente fuerunt, vt in Bibliotheca publica fuerint aſſeruata, eiq. poſt mortem ſtatua ærea a Senatu, & Populo fuerit constructa. Claruit Romæ ſub Veſpaſiano, & Tito Principibus, & ad Traiani vſque tempus vixit. Anno Dom. C.

Jrenæus Lugdunenſis poſt Photinum martyrem Epiſcopus Lugduni, & Polycarpi martyris olim diſcipulus, ſcripſit libr. 1. aduerſus Gentes, libr. 5. contra hæreſes, de Monarchia Dei libr. 1. & alia quædam. Claruit ſub Antonino Vero. Anno Dom. C. L X X V.

Jſidorus Iunior Epiſcopus Hiſpalenſis, vir ſane doctiſſimus, ſcripſit Etymologiarum libros viginti, & in totam Scripturam ſacram commentarios, necnon alia permulta edidit, quæ longum eſſet recenſere. Claruit Anno Dom. D C. X X X.

Julius Capitolinus vitas Cæſarum aliquot ad Diocletianum Auguſtum ſcripſit, hoc eſt Antonini Pij, M. Antonini philoſophi, Veri Imp. & Pertinacis, qui poſtremus poſt Aelij Lampridij hiſtorias habetur. Floruit ſub Diocletiano Auguſto, ad quem ſcripſit Cæſarum vitas.

Judas Apoſtolus ſcripſit paruam Epiſtolam, quæ catholica eſt, & in ea fit mentio de libro Enoch.

Juſtinus philoſophus & Martyr, Neapoli Vrbe Paleſtinæ natus, vir quidem doctiſſimus, ſcripſit multos libros aduerſus Gentes, Dialogum contra Iudæos, & præſertim contra Triphonem Iudæorum Principem, contra omnes hæreſes libr. 1. contra Marcionem libr. 1. & alia. Claruit ſub Antonino Pio. Anno Dom. C. L.

Juſtinus hiſtoriographus, qui Epitomen in Trogum tanta ſtyli felicitate conſcripſit, vt aliorum prope inuentum ſibi vendicauerit. Floruit ſub Pio Imperatore.

Juſtus lypſius ſcripſit in Cornelium Tacitum, & in alios Auctores,

necnon

necnon Epiſtolicarum quæſtionum 5. libr. & lectionum antiquarum commentarios edidit, & alia. Claret ætate noſtra. M. D. XCI.

Iuuenalis Aquinas, dictus Decius Iunius, Poeta Satyricus, qui in hoc ſcribendi genere omnes alios antecellit, ſexdecim Satyras conſcripſit. Frontonem Grammaticum primo audiuit, deinde præceptis atque inſtitutis Quintiliani fuit eruditus. In ſatyris conſcribendis ſecutus eſt exemplum Lucilij, & Horatij: qua in re maximam laudem adeptus eſt, teſte Martiali, qui ei plurimum detulit. Floruit ſub Domitiano principe, & ad Neruæ, ac Traiani ætatem peruenit.

## L.

LActantius Firmianus, qui & L. Cœlius dicitur, Arnobij Rhetoris diſcipulus, vir ſane pauperrimus, vt ait Euſebius, ſed doctiſſimus, qui libros de diuinis inſtitutionibus, hoc eſt, de falſa religióne, & de vera & falſa ſapientia pie atque catholice ſcripſit, necnon alia ad Chriſtianam pietatem pertinentia. Senex in Gallia docet, vbi Criſpo Conſtantini filio Magiſter præficitur, vt Hieronymus in Catalogo teſtatur. Claruit ſub Conſtantino Principe, cui fuit amiciſſimus, ſuaq. ſcripta dedicauit. Anno Dom. C C C. XX.

Leo I. Hetruſcus, vel, vt nonnulli volunt, Romanus, rerum geſtarum, doctrinæ, vitæq. ſanctitatis præſtantia Magnus, qui omnium Romanorum Pontificum primus in Baſilica Vaticana ſepultus eſt, Sermones eloquentiæ, ac doctrinæ maieſtate refertos edidit, & alia item conſcripſit. Hic fuit Eccleſiaſticæ dictionis Tullius: ſacræ Theologiæ Mercurius: Rationum fidei Ariſtoteles: Auctoritatis Apoſtolicæ Petrus, & in Chriſtiano pulpito Paulus. Moritur ſub Leone I. Imp. Anno Dom. C C C C. LXI. Quarto Kal. Iulij.

Liuius Patauinus, hiſtoricus inſignis, qui res Romanas miro artificio, luculentoq. ſermone conſcripſit, ad quem, Hieronymo teſte to.3. ep.103. in princ. ad Paulinum, lacteo eloquentiæ fonte manantem de vltimis Hiſpaniarum, Galliarumq. finibus quidam nobiles adierunt: & quos ad contemplationem ſui, vt Hieronymus ait, Roma non traxerat, vnius hominis fama perduxit. Hic Hiſtoriam annor. 750. ab Vrbe condita ad ann. 41. Auguſti, vel ad Chriſti vſque natalem ſcripſit libris 140. vel vt alij volunt, 142. teſte Genebrardo: de quibus non niſi 45. ſuperſunt. Claruit circa annum Dom. XXX. Mortuus eſt Patauij quarto Tiberij anno, vt Euſebius in Chronicis teſtatur.

Lucanus Cordubenſis dictus M. Anneus, Poeta celeberrimus, Senecæ viri grauiſſimi, ac Tragediarum Scriptoris nepos. Hic Bellum ciuile inter Cæſarem, & Pompeium hexametris, & alia conſcripſit, in quibus maximam ingenij ac doctrinæ laudem adeptus eſt. Hunc Martialis valde laudat, dum multis carminibus eius natalem deſcribit. Quintilianus autem ipſum Lucanum magis Oratoribus, quàm Poetis annumerandum eſſe ait. Eſt, inquit, ardens, concitatus, ſententijsq. clariſſimis excellens. In concionibus admirandus atque excultus, adeo vt videatur ſatis exprimere elegantiam, & maieſtatem Virgilij. Vere autem Poeta dici non poteſt, ſi vis poematis, a quo nomen Poetæ ſumitur, perpendatur, vt Ariſtoteles optime docet: non enim verſus, ſed poema facit Poetam. Hic Romam ab infantia delatus, & adoleſcens factus, in Grammatica habuit præceptorem Rhemnium Palæmonem Vicentinum eruditiſſimum, ſed tanta arrogantia virum, vt Marcum Varronem porcum appellaret: & ſecum natas & morituras litteras iactaret. In Rhetoricis præceptorem habuit Flauium Virginium. Græce deinde ac Latine non ſine ſumma audientium admiratione declamauit: & inter ceteros condiſcipulos, Baſſum, & Perſium Satyricos ſingulari dilexit beneuolentia, mutuisq. officijs proſecutus eſt. Vxorem habuit nomine Polam Argentariam, mulierem quidem eruditiſſimam, quæ cum Lucano ipſo tres primos Pharſaliæ libros emendauit: ceteri imperfecti, & inemendati fuerunt relicti propter intempeſtiuum interitum. nam patefacta contra Neronem coniuratione, C. Piſone huius præclari facinoris Principe, Lucanus inciſione venarum interfectus fuit iuſſu Neronis, qui eum prius amabat ob laudes ſibi tributas, ſed poſtea mutauit ſententiam, ægre ferens laudes alienas, hinc carminum Lucani famam deprimebat: & hac detractione Lucanum fortaſſe ad conſpirationem concitarat. Obijt igitur ſub Nerone anno ætatis ſuæ XXX.

Lucretius, qui dicitur Titus Carus Poeta, & philoſophus antiquiſſimus, Epicureorum doctrinam, & Empedoclem poetam ſecutus, teſte Crinito, ſumpto amatorio poculo, ſicut ait Euſebius, tanto furore percitus eſt anno ſuæ ætatis 44. vt manu ſua ſe interfecerit. Sex de rerum natura per inſaniæ interualla conſcripſit libros, quos Cicero, cuius ætatem is non multo anteceſſit, emendauit. Quod autem de Lucano dictum eſt, de Lucretio item dici debet. Hic enim vere Poeta ob eandem rationem dici non poteſt. Lucretij carmen elegantia

elegantia præſtare Quintilianus teſtatur, qui tamen ipſius carmen multum difficultatis retinere ait, non modo propter ipſam materiam difficultatis plenam, verum etiam propter egeſtatem linguæ & rerum nouitatem, vt ille ait. Ab hoc poeta Virgilius, vt ait Crinitus, non ſolum verba aliquot, ſed locos pene integros tranſtulit. De Lucretio hunc in modum ait Ouidius:

Carmina ſublimis tum ſunt peritura Lucreti,
Exitio terras cum dabit vna dies.

*Et Statius:*

Et docti furor arduus Lucreti.

*Hic ex Lucretiorum familia, quæ Romæ inſignis erat, natus cenſetur: & fuit Ter. Varrone, & M. Tullio paulo antiquior.*

## M.

*MAcrobius, Latine longæuus, vir quidem eruditiſsimus, ſcripſit Saturnaliorum libros, & Commentarios edidit in Somnium Scipionis. Claruit circa ann. Dom. D C C C C. L.*

*Marianus Victorius Reatinus, vir eruditiſsimus, & Epiſcopus Reatinus, poſtea Amerinus, qui Scholijs, multiſq. rebus alijs opera ſancti Hieronymi luculenter illuſtrauit. Floruit ſub Pio IV. cui opera omnia ſancti Hieronymi dedicauit circa annum Domini M. D. LXXVIII.*

*Marſilius Ficinus Florentinus, Philoſophus ac Theologus, vir profecto doctiſsimus, & Platonica doctrina perſpicuus & celeberrimus, ac primus omnia Platonis opera e Græco in Latinum feliciter tranſtulit, & in ea edidit argumenta, multoſq. alios Græcos libros in Latinam vertit linguam, & Epiſtolarum libros aliquot, compluraq. alia ſcripſit. Floruit Anno Dom. M. C C C C. XC. Obijt autem ſeptuagenarius eodem anno, quo Laurentius Mediceus, Hermolaus Barb. Politianus, Mirandulanus, Landinus, & Sauonarola mortui ſunt, quorum interitum Ficinus deplorauit.*

*Martialis, dictus M. Valerius Martialis, Poeta lepidiſsimus, ex Bilbili Hiſpaniæ & Celtiberiæ oppido, qui 14. libros Epigrammatum conſcripſit, ingenij acumine, facilitate, feſtiuitate, ac ſalibus reſperſos, laſciuos tamen interdum, & parum caſtos. Marſum Poetam, Pedonem, ac Getulicum ſecutus eſt: Catullum, & Licinium Caluum plurimi fecit in hoc ſcribendi genere claros: & inter amicos præ-*



*cipuos habuit Stellam Patauinum, Silium Italicum, & alios complures, ad quos ſcribit. Claruit ſub Domitiano, Nerua, Traiano, & Adriano Imp. Poſtremo in Patriam redijt, vbi interijt.*

*Martianus Capella Carthaginienſis, multa ingenioſe, ac docte conſcripſit, & præſertim de Artibus liberalibus libros ſeptem, & alia. De huius tempore nihil certi inueniri potuit.*

*Mattheolus Petrus Andreas Senenſis vir ſane eruditus in 6. libros Dioſcoridis Medici ſcripſit Commentarios longe doctiſsimos, ac libr. de Gallici morbi curatione & alia. Claruit circa ann. Domini M. D. L.*

*Meſſalla Coruinus, qui fuit tertius vir Terentiæ Ciceronis vxoris, poſt Saluſtium, Orator nitidus & candidus, Quintiliano teſte libro 10. cap. 1. et, vt Crinitus narrat libro 1. cap. 12. de honeſta diſciplina, ex morbo amiſit rerum omnium, ſuiq. item nominis memoriam. Scripta edidit luculenta, præſertim vero de Auguſti Cæſaris progenie, & mira diligentia, & aſsiduis officijs fouit Tibullum, qui Romæ, vt creditur, natus eſt Hirtio & Panſa Coſſ. qui annus etiam Ouidij Poetæ natalibus fuit inſignis. Hunc Meſſallam euntem in Prouinciam Phæacum Tibullus comitatus, in itinere obijt adhuc iuuenis non ſine maximo mœrore Naſonis Poetæ, necnon Horatij & Macri, quos familiariter dilexit. Claruit Meſſalla ſub Auguſto.*

*Michael Mercatus Miniatenſis Protonot. Apoſt. & vir admodum eruditus, de Obeliſcis perdoctum edidit librum. Scripſit etiam Metallothecam, opus ſane non minus doctum, quàm curioſum, ac principibus dignum, quod propediem in lucem proditurum audiui. Claret ætate noſtra M. D. XCI. ſub Gregorio XIV.*

## N.

*NIcephorus Calliſtus Xanthopulus, hiſtoricus Eccleſiaſticus inſignis ac diligentiſsimus, ſuam Hiſtoriam Eccleſiaſticam a Chriſti natiuitate ad annum vſque 625. decurrentem conſcripſit. Edidit etiam Opuſcula & Epigrammata, omnia ſenarijs (qui non quantitatem, ſed numerum Syllabarum obſeruant vt in ſingulis verſibus ſint Syllabæ 12.) metris conſcripta præter Orationem confeſſoriam, quæ poſtremo loco ſoluta oratione habetur. Claruit Anno*

Domini M. C C C. XXXII. Vel ſecundum alios, M. C C C. LXXXIIII. Sub Paleologo Imp.

Nicolaus Papa Sanctiſſimus, huius nominis primus, Patria Romanus, pijs humilis fuit & manſuetus ac blandus, impijs terribilis, Regibus ac Tyrannis imperans auctoritate plenus. Scripſit Decretales Epiſtolas a Gratiano collectas. Extat etiam eius Epiſtola inſignis ad Michaelem Imp. de Ignatij Patriarchæ Conſtantinopol. iniuſta depoſitione: in qua Epiſtola mentionem facit de Iuſtiniano Imp. qui a Ioanne VII. Canonum ſextæ Synodi confirmationem poſtulauit. Claruit circa ann. Dom. D C C C. LXII.

Nicolaus Lyranus ex Ordine Minorum, natione Anglus, & Hebraicæ linguæ non ignarus, vtiles in vetus ac nouum Teſtamentum Commentarios edidit, & alia complura conſcripſit. Claruit ſub Ioanne XXII. Anno Dom. M. C C C. XX.

Nicolaus Myrepſus Alexandrinus libros edidit 24. medicinales, opus vtile iuxta 24. litteras Alphabeti. De huius tempore nihil certi inueniri potuit.

Nonius Marcellus Tiburticenſis, ſiue (vt putat Aldus Manutius) Tuburbigenſis, ex Hiſpaniæ ciuitate, Grammaticus inſignis aliquot de nominum origine libros erudite conſcripſit, necnon de proprietate ſermonum, & alia ad grammaticam artem pertinentia. De tempore nihil certi habetur.

## O.

ONuphrius Panuinius Veronenſis Ordinis Erem. S. Auguſtini antiquitatum helluo, vt Paulus etiam Manutius in Epiſtolis ait, in rerum antiquitatibus inquirendis fuit curioſiſſimus ac diligentiſſimus, multosq. Scriptorum errores detexit, necnon a rebus multis tenebras abſtulit, dum plurima atque vtilia, omnibusq. eruditis viris pergrata conſcripſit, & in lucem edidit, quæ manibus omnium ſtudioſorum teruntur: fuit enim vir ad omnes Romanas & Eccleſiaſticas antiquitates e tenebris eruendas natus. Scripſit & multa alia, quæ in tenebris deliteſcunt ob illorum cauſam, qui ea penes ſe aſſeruant, nulla publicæ vtilitatis & commoditatis habita ratione. Quæ autem in lucem prodierunt, ſunt Faſti ac Triumphi Romanorum, Commentarij Reip. Romanæ, & in Faſtos conſulares, Chronicon Eccleſiaſticum, & Epitome Romanorum Pontificum, & Cardinalium, ac de ſeptem præcipuis Romæ Eccleſiis. Huius effigies ad viuum ex ære expreſſa in Eccleſia ſancti Auguſtini Romæ viſitur: infra vero Epitaphium honoris cauſſa ab amicis in marmore nigro inciſum legitur. Obijt autem Panhormi Anno Dom. M. D. LXVIII. Decimo octauo Kal. Aprilis anno ætatis ſuæ XXXIX. Alexandrum Farneſium Cardinalem & Vicecancellarium in Siciliam proſecutus, præclaris multis & perfectis & inchoatis induſtriæ ſuæ monumentis relictis.

Orus Apollo Niliacus, qui Hieroglyphicas notas, hoc eſt ſacras Aegyptiorum litteras declarare ſtuduit, easq. paruo comprehendit libello. Huius ſcripta a Plinio lib. 30. cap. 37. citantur. De tempore autem nihil certi inueniri potuit.

Optatus Afer & Mileuitanus Epiſcopus ſex contra Donatiſtas libros conſcripſit, multas item Epiſtolas, & alia edidit. Claruit ſub Valentiniano, & Valente Principibus. Anno Dom. CCC. LXX.

## P.

PAulus Apoſtolus Iudæus, qui ante Saulus, ex Lupo in agnum mutatus, ex perſecutore Eccleſiæ, defenſor factus, & prædicator veritatis, ac Doctor Gentium, multas conſcripſit Epiſtolas tum publicas tum priuatas Chriſtiana pietate ac doctrina refertiſſimas, in quibus nomen IESV quingenties exprimit. Extant eiuſdem Pauli Epiſtolæ ad Senecam ſcriptæ: Paulus enim & Seneca amici ſe mutuis litteris frequenter ſalutarunt, quarum meminit S. Hieronymus in Catalogo, & S. P. Auguſtinus Epiſtola 54. Martyrio coronatur vna cum Petro ſub Nerone Anno Dom. LXIX.

Paulus Oroſius presbyter Hiſpanus, auditor beati P. Auguſtini, cuius hortatu contra Paganos Imperij lacerationem Chriſtianis temporibus tribuentes, hiſtoriam mundi vſque ad Valliam Gothorum III. in Hiſpania regem, vel ad annum vſque 421. ſeptem libris conſcripſit: cuius etiam extant Epiſtolæ ad Auguſtinum, & ad alios, & Commentarij in Cantica Canticorum. Claruit vita & doctrina illuſtris cum ſancto Auguſtino circa Ann. Dom. CCCC. XX.

Paulus Manutius Aldi filius, & iunioris pater, de bonis litteris, litteratisq. optime meritus, atque in Romanæ linguæ puritate alter Cicero nuncupatus, multos edidit Commentarios, & Scholia, Præfationes, & Epiſtolas plurimas, omnia quidem omnibus pergrata, quæ

ta, quæ manibus item omnium teruntur, & maxima exiſtimatione, & auctoritate habentur. Claruit ætate noſtra. Obijt anno Dom. M. D. LXXIIII. Annos natus plus minus LXIII. quo anno Aldus eius pater obijt, Anno Dom. M. D. XLV. & Cicero, Romanæ eloquentiæ pater.

Pauſanias Cæſarienſis Grammaticus, æqualis Ariſtidi ſcripſit librum vnũ de conſtructione, & Problematum alterum, & Geographiam vniuerſæ Græciæ. Claruit ab Vrbe cõdita circa ann. CCC. æqualis fere Herodoto.

Perſius Poeta Satyricus, Volaterris natus Hetruriæ oppido, pauca ſcripſit, docte tamen ſed ſuboſcure. Hinc aiunt Auguſtinum ante conuerſionem ſatyras eius lectitantem, & non ſatis intelligentem, librum in ignem proieciſſe dicentem: Non vis intelligi, nec intelligaris. Præter ſex ſatyras, nihil ſcripſiſſe aliud Quintilianus teſtatur lib. 10. in hanc loquens ſententiam: Multum & veræ gloriæ, quamuis vno libello, Perſius meruit. Idem teſtatur Martialis. Præceptorem in Grammatica Rhemnium Palæmonem Vicentinum, qui graues inimicitias exercuit cum Varrone, in Rhetoricis Flauium Virginium, in Philoſophia Anneum Cornutum: in ſcribendis Satyris Lucilium ſecutus eſt: Lucanum, Cæſium Baſſum, & Macrinum plurimum dilexit. Claruit & probis moribus, & egregia vitæ integritate ſub Domitio Nerone, ſub quo obijt anno ætatis ſuæ XXX.

Petrus Lombardus Nouarienſis, Magiſter ſententiarum dictus, Pariſienſis Epiſcopus, & in Abbatia Sauocina Calabriæ ſepultus, ſummus Theologus, ſcripſit quattuor libros Sententiarum, quibus comprehendit Trinitatem diuinarum perſonarum atque vnitatem eſſentiæ, Mundi creationem, Christi incarnationem, noſtramq. redemptionem, & ſeptem Sacramenta Eccleſiæ, ac denique quidquid ad vniuerſam pertinet Theologiam. Hinc factum eſt, vt docti viri fere innumeri ſcholaſtice, et, vt ſic dixerim, diſputatiue in quattuor illos ſcripſerint libros. Sunt qui velint Petrum Lombardum, Gratianum, qui Decretum conſcripſit, & Petrum Comeſtorem, vel Manducatorem ob ſua ipſius ſcripta refertiſsima crebris ſcripturæ ſacræ auctoritatibus, quas quaſi manducauerit, & ventri memoriæ mandarit, ita dictum, & Scholaſticæ hiſtoriæ Auctorem, ſi nonnullis credimus, fratres nothos fuiſſe. Scripſit item Petrus Lombardus in omnes Pſalmos, in Epiſtolas beati Pauli, & ſermones, atque alia edidit. Claruit ſub Conrado Imp. III. & Ludouico Craſſo Francorum Rege. Anno Dom. M. C. XL.

Petrus

Petrus Crinitus Florentinus vir doctus ſcripſit vitas virorum illuſtrium, qui in bonis litteris floruerunt, & Poetarum præſertim Latinorum. Hic etiam edidit Poematum, ſiue Odarum varij argumenti libros duos, de honeſta diſciplina libros 25. & alia complura. Claruit anno Dom. M. D. V.

Petrus Borrana Lucarnenſis, vel de Lacu maiori, de Broſſago libellum, Corona pretioſa, inſcriptum edidit, in quo e regione conferuntur vocabula linguarum quattuor, Italicæ ſcilicet vulgaris, Latinæ, Græcæ vulgaris, & veteris Græcæ. Idem Borrana teſtatur Græca vulgari lingua, qua nunc vtuntur Græci, Iliadem Homeri tranſlatã fuiſſe atque impreſſam. Claruit Anno Dom. M. D. XLIIII

Philoſtratus Lemnius Sophiſta Veri Lemnij Sophiſtæ nepos, & Iuliæ vxoris Seueri Principis, cuius tempore vixit, Epiſtolarum Magiſter, de vitis Sophiſtarum libros quattuor ſcripſit ad Seuerum, ac de vita Apollonij libros octo. Edidit etiam Declamationes, Epiſtolas amatorias, Epigrammata, & alia quædam. Claruit ſub eodem Seuero.

Pierius Valerianus Bellunenſis, ex ſorore nepos Fratris Vrbani Grammatici Ord. Minorum vir ſane doctiſsimus, ſcripſit opus ſatis grande ad Hieroglyphicorum declarationem, & intelligentiam pertinens, & in Virgilium caſtigationes. Claruit circa Ann. Dom. M. D. L. Sepulti ſunt ambo Venetijs ad ædem Fratrum Minorum.

Plato Athenienſis, Ariſtotelis Magiſter, Apis Attica, & ſcholæ Academicæ Princeps, quem S. P. Auguſtinus lib. 8. cap. 11. de Ciuit. Dei Moyſis, & Hieremiæ libros legiſſe in Aegypto ſentit. Hinc ab Euſebio in libro 10. de præparatione Euangelica cap. 3. & ab alijs Moyſes Athenienſis nuncupatur. Scripſit enim permulta Theologiam præſertim Chriſtianæ fidei ac doctrinæ ſatis adſimilem. Nam in Timæo ſcripſit de mundi Creatione: in Phædone de pœnis Purgatorij temporalibus, de pœnis Inferni æternis, ac de iuſtorum Paradiſo: in Epinomi de ſanctiſsima Trinitate verbis partim myſticis, partim vero apertis mentionem faciens, & præſertim de Patre & Filio: In Alcibidiade innuit Chriſti aduentum, quem Deum & hominem appellare ſatis aperte videtur. Id omne Cyrillus Alexandrinus nitur oſtendere, ac probare lib. 8. contra Iulianum. Auguſtinus item lib. 7. confeſsionum cap. 9. ait ſe legiſſe quoſdam Platonicorum libros e Græca lingua in Latinam tranſlatos, in quibus legebatur ſancti Ioannis Euangelij principium, hoc eſt: In principio erat verbum, & cet. vſque eo: Sine ipſo factum eſt nihil. Idq. verum eſſe multis rationibus inibi, eodem Auguſtino teſte, proba-

probatur. Auguſtinus etiam libro contra hæreſes quinque, longe poſt principium ait, Mercurium Triſmegiſtum conſcripſiſſe librum, in quo legitur: Hic eſt Filius Dei benedicti. Hæc item Richardus 1. Sent. diſtinct. 3. artic. 2. quæſt. 2. enarrat. Quare idem Auguſtinus libro de vera Religione cap. 4. inquit: Platonici, paucis mutatis, Chriſtiani fierent. Hæc de Platone, cuius ſcripta permulta ſunt, vt dixi, quæ longum eſſet recenſere. Natus eſt poſt initia belli Peloponneſiaci. Vixit annos XX. cum Socrate. Floruit circa ann. ab Vrbe condita. C C C C. quo tempore Philippus Macedoniæ regnum adeptus eſt, ſimul & Alexandrum genuit, vt ait Gellius lib. 17. cap. vltimo: paucisq. inde annis poſt, Plato ad Dionyſium Siciliæ tyrannum poſteriorem profectus eſt. Obijt anno ætatis ſuæ LXXXI. dum ad menſam in quibuſdam nuptijs accumberet, teſte Alumno Ferrarienſi.

Plautus Poeta Comicus percelebris e Sarſina in Aemilia, teſte Ioanne Baptiſta Mantuano Carmelita ad Iulium II. vel vt aliqui volunt, Farſina, Aemiliæ item, vel Romandiolæ Ciuitate vetuſta, ceteris Comicis præfertur multorum ſententia, & Varronis præſertim dicentis: Si Muſæ Latinæ loquerentur, Plautino ſermone loquerentur. Hic fuit vir ſane eruditus, & in Romana lingua clarus, ſed ita pauper, vt ſiquando vacabat a mola aſinaria, cui ob magnam paupertatem contractam ex pecunia omni in ſcenicis ornamentis, Crinito teſte, erogata, erat addictus, fabulas componebat, quas deinde venditaret. Gellius itaque libro 7. cap. 18. appellat Plautum parentem ac Principem in omni elegantia Latina. Plautus in conſcribendis fabulis, aut Comœdijs ſecutus eſt Demophilum, Philemonem, & Epicharmum Siculum Poetas Græcos, Horatio teſte: ac de ſe Epigramma, quod infra videre eſt, compoſuit in hanc verborum formam:

Poſtquam eſt morte captus Plautus,
Comœdia luget, ſcena eſt deſerta:
Deinde riſus, ludusq. iocusq. & numeri,
Innumeri ſimul omnes collacrymarunt.

Obijſſe traditur paucis annis poſt Q. Ennium Olympiade C.XLV. illudq. Epigramma in eius ſepulchro inciſum fuit, vt narrat Gellius. Id quod de Næuio etiam, & Pacuuio Poetis affirmatur, eodem Gellio teſte libro 1. cap. 24.

Plinius Secundus Veronenſis, qui Veſpaſiani negotia adminiſtrabat, noctibus, & ſubciſiuis horis (vt ipſe inquit) opus de rerum natura 37. libris diſtinctum conſcripſit, vnius omnium parciſſimus temporis. Claruit ſub eodem Veſpaſiano circa ann. Dom. LXXI. Sed obijt Traiani tempore, vt Nauclerus ait in fine Gen. 4. ab incendio Veſuuij montis, qui a Neapoli vrbe quattuor paſſuum millibus diſtat, abſorptus.

Plutarchus Chæronenſis ex Bœotia philoſophus multæ quidem eruditionis vir, conſcripſit Vitas Virorum Illuſtrium 48. & libros Apophtegmatum, quos Traiano dedicauit. Edidit etiam opuſcula quamplurima, necnon Moralia, quæ ſunt omnis elegantis doctrinæ plena. Scripſit denique de proprietate linguæ Græcæ, ſiue de dialectis apud Homerum, opus valde vtile, cum Appendice Lexici Græco latini, & alia. Claruit ſub eodem Traiano, cuius fuit Magiſter, circa ann. Dom. C.

Polydorus Virgilius Vrbinas vir doctus, diligens, & curioſus, de rerum Inuentoribus opus ſane admodum vtile conſcripſit, necnon Prouerbia, tresq. de prodigijs libros, & alia quædam. Floruit anno Dom. M. C C C C. XCIX.

Pomponius Mela Hiſpanus ex Mellaria Beticæ oppido ſcripſit libros tres de ſitu Orbis. Claruit ſub Claudio Imperatore.

Pomponius Lætus Picentinus, vt Iouius narrat, ex populis maris Tyrrheni accolis, qui ſunt Lucanis proximi, hoc eſt ex ijs, qui loca inter Surrentinum promontorium & Silarum omnem incolunt, ex illuſtri autem, vt idem ait Iouius, Familia Sanſeuerinate. Hic Vallam habuit Præceptorem Romæ, vbi poſtea bonis litteris imbutus ludum litterarium aperuit, & inter viros inſignes, Alexandrum Farneſium, qui deinde fuit Paulus III. Latinis litteris, & perpolitis quidem edocuit. Scripſit de Romanorum Magiſtratibus, Sacerdotijs, Iuriſperitis, & legibus libellum vnum, de antiquitatibus Vrbis Romæ alterum: Compendium item Romanæ hiſtoriæ ab interitu Gordiani Junioris vſque ad Iuſtinum III. necnon de arte Grammatica libellum. Domum habuit in Quirinali, prope Aediculam ſacram ſancti Saluatoris de Cornelijs, in qua hæc leguntur verba:

POMPONII. LAETI. DOMVS.
ET. SOCIETATIS. ECSQVILINAI.

Hac in Inſcriptione ponitur SOCIETAS pro Academia, ad quam viri docti frequenter adibant. Vox illa ECSQVILINAI ſapit antiquitatem Latinorum, qui CS, pro X, & diphtongum Græcam AI, pro AE vſurpabant. Claruit ſub Paulo II. qui eum

c

eum moleſtia affecit, necnon ſub Sixto IV. & Innocentio VIII. quibus gratus fuit. Obijt ſeptuagenarius circa annum Domini M. C C C C. XCII. ſub Alexandro VI. a cuius Familia, eodem Iouio teſte, purpureis veſtibus induta eius exequiæ fuerunt decoratæ: Sepulchrum autem varijs fuit Epigrammatis honeſtatum: inter quæ Pontani Epigramma primum obtinuit locum.

Priſcianus Cæſarienſis Grammaticus de arte Grãmatica ſcripſit ad Iulianum Conſulem, ac Patricium, hoc eſt, de octo partibus orationis libros 16. de conſtructione earumdem libros duos, de duodecim primis Aeneidos librorum carminibus, de accentibus, de verſibus comicis. Scripſit etiam de quæſtionibus naturalibus librum vnum ad Coſroen Perſarum Regem, & Carmina Dionyſii de ſitu orbis in ſermonem tranſtulit Latinum. Hunc ab initio Chriſtianum, deinde fidei deſertorem fuiſſe Volaterranus teſtatur. Claruit Athenis tempore Iuſtiniani principis, atque, vt alijs placet, ſub Heraclio Imp. & ſub Coſroe Perſarum Rege circa ann. Dom. D C. vt Naucleruſ ait, vel D C. X X. vt nonnulli volunt: vel, vt alijs placet, D C. XL. vel tempore Gregorij Magni, vel non multo poſt Gregorium, quem anno Dom. D C. V. vixiſſe ſub Phoca Imperatore Trithemius teſtatur.

Procopius e Cæſariæ Paleſtinæ Orator & Sophiſta ſcripſit de ædificijs Iuſtiniani Imperatoris libros 6. Edidit item hiſtoriam Romanam, bella videlicet, quæ circa Romam, & per Libyam geſta ſunt per Beliſarium Patricium, cuius ſubſcriba & comes in cunctis expeditionibus fuit. Hiſtoriam quoque annorum C. X L I I. pertexuit vſque ad annum Chriſti D. L I I I I. a quo Agathias eodem tempore ſuam deduxit hiſtoriam ad ann. vſque D. L V I. vt Genebrardus etiam teſtatur. Scripſit præterea librum de non edendis, vel non editis, vbi Comœdia quadam, Iuſtiniani, eiuſq. vxoris Theodoræ vituperationem deſcribit, vt Suidas teſtatur. Edidit quoque lib. 1. de Coſmographia, atque item libros tres de bello Gothico; ac duos de bello Perſico, duoſq. de bello Vandalico. Claruit ſub eodem Iuſtiniano, circa ann. Dom. D. L I I I I.

Propertius, qui dicitur Sextus Aurelius Propert. ex Meuania Vmbriæ Oppido, Poeta nobilis 4. Elegiarum libros conſcripſit. Hunc Poetam Quintilianus, cenſor in litteris acerrimus, plurimum commendans, Ouidio, & Gallo in Elegijs præponit, eo quòd ille laſciuior, hic vero durior. Laudatur item Propertius ab Ouidio ipſo, qui eum blandum, tenerum, ac dulcem appellat. Idem ſentit Martialis, qui eius ingenio, & amoribus plurimum tribuit. Floruit Romæ Mæcenatis & Cornelij Galli temporibus, quibus maxime acceptus fuit. Ouidium, Tibullum, & Baſſum maxime coluit. Obijt anno ætatis ſuæ XLI.

Prudentius, qui & Aurelius Clemens Prudentius dicitur, Poeta Chriſtianus, & vir quidem in diuinis, & humanis litteris peritus, necnon metro & proſa excellens, anno ætatis ſuæ 75. mundi vanitate relicta, ad ſacras ſeſe contulit ſcripturas, multaq. vtriuſque Teſtamenti & carmine, ſolutaq. oratione declarauit. Scripſit contra multos hæreticos, Epiſtolas varias, ſacros Hymnos, hiſtoriarumq. librum 1. & alia complura. Sidonius Apollinaris haud omnino contemnendus auctor in legendis, atque obſeruandis antiquis Scriptoribus, cum loquitur de Prudentio Poeta, minime veritus eſt, illum Horatio adiungere. Præcipuam vero laudem conſecutus eſt, doctiorum iudicio, eo ex carmine, aut opere, quo probitatem atque conſtantiam illorum, qui ſe pro Chriſtiana deuouerunt Religione, proſequitur, dum Laurentium, Vincentium, Romanum, Hippolytum, Caſsianum, & alios ſanctos complures laudat. Carmina item eiuſdem Prudentij de Natali Domini, necnon geſtis & miraculis Chriſti, atque de animis expiandis, deq. vitiorum, ac virtutum conflictu non parum commendantur. Floruit ſub Gratiano Imperatore Anno Dom. C C C. L X X X.

Ptolemæus, dictus Claud. Ptolemæus Peluſienſis. Aſtronomus, ac Geographus natione Aegyptius, Alexandriæ profeſſus eſt, artium liberalium, & Græcarum litterarum ſtudij clarus fuit temporibus Antonini, & primus apud Græcos cæli rationem diligentius explicauit, nulliq. priorum in Aſtrologiæ ſcientia ceſsit. Hic Geographiæ libros 8. abſolutiſsime ſcripſit, necnon Almageſtum vulgo ſic dictum magnæ conſtructionis Mathematicæ, ideſt perfectæ cæleſtium motuum pertractationis libros 13. Scripſit etiam Centiloquium, hoc eſt centum ſententias, & alia quædam. Claruit circa ann. Dom. C. XL.

Publius Victor de Vrbis Romæ locis, ac Regionibus libellum edidit. De tempore nihil certi potuit affirmari.

Pythagoras, quem nonnulli Samium, e Samo Calabriæ ciuitate nunc deleta, eſſe contendunt, teſte S. Thoma lib. 1. Metaph. lect. 8. necnon Gabriele Barrio Francicano de ſitu Calabriæ lib. 2. Alij Samium ex Samo Græciæ inſula, alij Locrenſem Calabrum, alij Hetruſcum, vt Plutarchus ait lib. 8. Sympoſ. q. 7. & Clemens Alexãdrinus Strom. 1. Fuit

Italicæ philoſophiæ auctor, primusq. cœpit philoſophus appellari, teſte Auguſtino lib. 8. de Ciu. cap. 2. & lib. 18. cap. 25. Hieronym. in Catal. & Plutarch. de Curioſitate. Nauigauit in Aegyptum, vt Aegyptiacas diſciplinas diſceret, & pro ſuis apud Græcos venditaret. Peregrinatus eſt in Babylonem ac Perſidem, atque Magos conuenit, teſte Cic. lib. 5. Tuſcul. quæſt. & in Danielem incidere potuit, vt ait Genebrardus. Deinde in Calabria apud Crotoniatas, ac denique Metapontum in Apulia non procul a Calabriæ confinio, & in ſinu Tarentino commigrauit, vbi obijt, eiq. Metapontini Templum magnifice ſtruxerunt, ſicut ad hanc vſque diem veſtigia Templi docent. Diſcipulos ad ſexcentos habuiſſe fertur, inter quos fuit Archita Tarentinus. Hic ab omnium animalium carnibus, & a fabis religioſiſſime abſtinebat, Iuuenale ſatyra 15. & alijs id ita eſſe affirmantibus, hoc eſt Callimacho, & Cicerone lib. 1. de Diuin. Gellius tamen libro 4. cap. 11. ex Auctoritate Ariſtoxeni, qui muſicus fuit ac vir litterarum veterum diligentiſſimus, & Ariſtotelis diſcipulus, ait, nullo ſæpius legumine Pythagoram vſum, quàm fabis. Claruit & in Italiam venit, eodem Gellio teſte, Tarquinij Filio regnum obtinente, cui cognomentum Superbus fuit, poſt Vrbem conditam circa ann. C C. XLIIII.

## Q.

Q. Curtius nobilis hiſtoricus, & nihilo inferior Cæſare in ſcribendo, ſcripſit hiſtoriam de rebus geſtis Alexandri Magni. Hunc Aldus Manutius eum eſſe putat, qui a Cicerone ad Q. Fratrem Epiſt. 2. libri 3. nominatur bonus & pereruditus adoleſcens. Scripſiſſe autem eum ſub Auguſto, conijcitur ex eius hiſtoria libr. 10. circa finem.

Quintilianus Rhetor inſignis ex Calagurio Hiſpaniæ Ciuitate in Vaſconibus collocata, primus Romæ ludum aperuit litterarium, & e fiſco ſtipendium tulit. Inſtitutiones Rhetoricas, atque Declamationes conſcripſit. Floruit ſub Domitiano, cuius nepotes inſtituit, circa ann. Dom. LXXXVI.

## R.

RAbanus Maurus Ordinis S. Benedicti, Natione Germanus, ac Sextus Archiepiſcopus Moguntinus, ſcriptor Eccleſiaſticus, pius atque catholicus, ſcripſit in Teſtamentum vetus, & in nouum, atque alia quædam. Claruit Anno Dom. D C C C. LV.

Raphael Volaterranus ex familia Maffeia, quæ etiam nunc Volaterris eſt, hiſtoricus celebris, multa conſcripſit, & præſertim libros octo ac triginta Commentariorum Vrbanorum, & Procopium de bello Perſarum & Vandalorum e Græco in Latinum tranſtulit. Edidit etiam Geographiam, Anthropologiam, & Philologiam. Claruit autem circa ann. Dom. M. D. III.

## S.

SAluſtius, qui Criſpus dicitur, hiſtoricus Romanus, a Quintiliano Thucididi ex Græcis opponitur elegantia ſcribendi, Attica breuitate, ſententiarum crebritate. Quare Martialis lib. vlt. ait:

Hic erit, vt perhibent doctorum corda virorum,
Primus Romana Criſpus in hiſtoria.

Hic ſcripſit coniurationem Catilinariam, & bellum Iugurtinum. Claruit ſub Iulio Cæſare, & Octauiano ante Chriſti aduentum circa ann. XL. ab Vrbe condita DCC.X.

Scaurus, qui dicitur Q. Terentius Scaurus, Grammaticus antiquus edidit librum de Orthographia, ac decem libros Commentariorum in Poeticam Horatij conſcripſit, & librum de Ceſellij Vindicis Grammatici erroribus. Hunc Gellius libro 11. cap. 15. nobiliſſimum appellat, & Adriani temporibus floruiſſe, & contra Ceſellium ſcripſiſſe ait.

Seneca dictus L. Anneus, Natione Hiſpanus, Patria Cordubenſis, Philoſophus Academicus, Socionis Stoici diſcipulus, teſte Hieronymo in Catalogo, niſi textus ſit corruptus, vt præſefert aſteriſcus ibi appoſitus: vel Photini item Stoici diſcipulus, Lucani Poetæ patruus, & Neronis Magiſter, beati item Pauli amicus, ac vitæ continentiſſimæ, vt idem Hieronymus & Auguſtinus teſtantur. Extant Senecæ non ſolum Epiſtolæ ad Paulum, & Pauli ad Senecam ſcriptæ, ſed complura etiam doctrina ac ſententijs refertiſſima ſuperioribus annis diligenter emendata, & in volumen vnum redacta a M. Antonio Mureto, viro ſane eruditiſſimo. Nec ſilentio prætereundum cenſeo, Senecam ante biennium quàm Petrus & Paulus martyrio coronarentur, Neronis & crudelitatis & ingratitudinis vitio valde laborantis iuſſu inciſis venis mortem obijſſe, cum

*in Piſonianæ coniurationis ſuſpicionem veniſſet. Claruit ſub eodem Nerone circa annum Dom. L.*

*Sigiſmundus Gelenius Bohemus vir diuerſis linguis & variarum rerum cognitione doctiſſimus, ſcripſit Lexicon Symphonum, quo 4. linguarum Europæ familiarium, Græcæ ſcilicet, Latinæ, Germanicæ, Sclauonicæ concordia conſonantiaq. indicatur, vbi in omnibus prædictis linguis eiuſdem ſignificationis vocabula e regione ponuntur. Scripſit præterea Annotationes in T. Liuium & in Plinij hiſtoriam naturalem, & multa e Græco in ſermonem tranſtulit Latinum. Obijt circa ann. Dom. M. D. LIIII.*

*Sigiſmundus Liber Baro ſcripſit rerum Moſcouitarum Commentarios. Floruit circa ann. Dom. M. D. XL.*

*Solinus dictus C. Iulius Solinus Polyhiſtor, ideſt multæ hiſtoriæ vir, de mundi miraculis conſcripſit libros. Claruit circa ann. Dom. C. XXII.*

*Sozomenus & Socrates Græci hiſtorici, necnon Theodoretus item Græcus Ciriæ Epiſcopus hiſtorias Eccleſiaſticas eodem tempore, hoc eſt ſub Theodoſio iuniore Imperatore, Anno Domini CCCC. XXX. conſcripſerunt, quas Epiphanius in Latinum tranſtulit ſermonem: & ex ipſis Caſsiodorus Senator & Monachus continuam fecit hiſtoriam vnam, quam Tripartitam appellauit.*

*Stephanus Græcus Chorographus celeberrimus librum de Vrbibus, ac de earumdem, aliorumq. locorum æquiuocis. De tempore non liquet: fuit tamen ante Euſtathium Homeri explanatorem, cum ab eo citetur liber de Vrbibus ſub Tit.* τῶν ἐθνικῶν.

*Strabo Amaſeus philoſophus Cretenſis, Hiſtoricus, & Geographus inſignis, quæ poſt Polybium a Romanis geſta ſunt, libris 43. comprehendit. De Geographia vero libros 17. feliciter conſcripſit. Claruit temporibus Auguſti.*

*Suidas hiſtoricus ordine Alphabetico ſuum opus digeſſit atque edidit, quem Chriſtianum fuiſſe nonnullis reclamantibus, affirmat Genebrardus, dicens: Mirum eſt, nonnullos aſſerere Suidam non fuiſſe Chriſtianum, cum vbique liber ipſius reclamet, ſeorſum in voce* εἱμαρμένη, *qui eſt Epitome libri cuiuſdam Heſychij. Anno Dom. M. XVIII. adhuc Suidas viuebat, vt ipſemet ait in voce, Adam.*

*Suetonius Tranquillus, qui Caius Suetonius dicitur, ſcriptor nobilis, Vitas duodecim Cæſarum conſcripſit, necnon de illuſtribus Rhetoribus atque Grammaticis libellos duos. Floruit ſub Adriano, circa ann. Dom. C. XVIII.*

## T.

*TErentius Carthaginenſis, qui dicitur Publ. Terentius Afer, fuit Poeta Comicus elegantiſſimus ac percelebris, cuius Comediæ ſex, ob ſermonis elegantiam, vt ait Cicero, a Lælio ſcribi putabantur. Huic ſententiæ adſtipulatur etiam Varro: immo Afranius omnibus eum Comicis præfert. Volcatius autem nonniſi ſextum locum ei tribuit inter Comicos, poſtponitq. ipſum Cæcilio, Plauto, Næuio, Licinio, & Attilio Comicis. Phormionem & Hecyram vertit ab Apollodoro Poeta Comico Athenienſi: Andriam, Eunuchum, Adelphos, & Heautontimorumenon a Menandro Poeta item comico Athenienſi, a quibus Terentius integros mutuatus eſt ſibi verſus, & a Menandro præſertim, vt in Bibliotheca Fuluij Vrſini dictum eſt: in qua Terentius litteris maiuſculis manuſcriptus temporibus Alexandri Seueri Imperatoris aſſeruatur: cuius margines Scholijs charactere Longobardico, & nonnullis Menandri verſibus Græcis ab ipſo Terentio in Latinam linguam tranſlatis, & ſuo Poemati inſertis refertiſſimæ ſunt. Hic fuit Terentij Lucani libertus, ſed ob egregiam indolem Lælij & Scipionis opera ad nobiliorem ſtatum peruenit. Claruit ab Vrbe condita circa ann. D C. XX.*

*Tertullianus, qui dicitur Q. Septimius Florens Tertullianus, Latinorum Scriptorum princeps, teſte B. Cypriano, et, vt ait S. Hieronymus in Catalogo, poſt Victorem Pontificem & Apollonium, Latinorum primus omni ſcientiarum genere præditus, acris & vehementis fuit ingenij, cui B. Hieronymus ſcribens ad Paulinum hæc duo potiſſimum illi adſcribit, nimirum quòd ſit in ſententijs creber, & in loquendo difficilis. Cui ſententiæ conſonum eſt quod Lactantius Firmianus in quinto Diuinarum inſtitutionum libro ſcribit. Septimius (inquit) Tertullianus fuit omni genere litterarum peritus, ſed in loquendo parum facilis, & minus comptus, & multum obſcurus. Huius doctrinam Cyprianus magnifaciebat, atque ita, vt ipſum appellaret Magiſtrum, & abſque Tertulliana lectione nullam diem præterire pateretur. Hic opuſcula multa conſcripſit, quæ in lucem edita ſunt, ſed multo plura ſunt, quæ non extant, eloquentiſſime ſcripta, vt B. Hieronymo placet. Hic denique, quamuis*

nis animam corpoream atque item Deum corporeum, non autem effigiatum eſſe ſenſerit, non tamen ob id hæreticus cenſetur, ſed quia tranſiit ad Cataphrygas damnans ſecundas nuptias, teſte Auguſtino libro de hæreſibus ad Quodvultdeum hæreſi 86. Verum poſtea Eccleſiaſticæ præſcriptionis vi conſiderata, eum reſipuiſſe opinandum eſt: Montanum enim, eiusq. æmulos inter hæreticos numerauit in libro de Præſcriptionibus. Claruit Anno Dom. C C.

Theſeus Ambroſius I. V. Doct. Papienſis & Canonicus Lateranen. Introductionem plurium linguarum ſcripſit, hoc eſt Chaldaicam linguam, Syriacam, Armenicam, & decem alias linguas, necnon characterum differentium Alphabeta circiter 40. Claruit ſub Paulo III. Anno Dom. M. D. XXXIX.

Thomas Aquinas Ordinis fratrum Prædicatorum, Alberti Magni auditor ac diſcipulus. Vir ſanctitate, ac doctrina celeberrimus, ingenio acutus, & ſermone clarus, Doctor Eccleſiæ inſignis, & inter Scholaſticos Latinos primatum tenens. Plurima in artes, ac ſcientias, necnon in Scripturam ſacram feliciter conſcripſit, & ob facilitatem, qua in ſcribendo vſus fuit in rebus difficillimis explicandis, Doctoris Angelici nomen iure adeptus eſt, cui etiam a Chriſto Crucifixo, ad quem orabat, dictum fuit: Bene ſcripſiſti de me Thoma. Claruit Anno Dom. M. C C. LXXIIII.

Thomas Linacer Natione Anglus, Medicinæ profeſſor, Vir vtraque lingua doctiſſimus, multa non ſolum de arte medica, verum etiam de Latina lingua, cuius extant Grammaticæ rudimenta, ac de Latini ſermonis emendata ſtructura libri 6. Claruit Anno Dom. M. D. XX.

Thomas Fazellus Siculus Ordinis Fratrum Prædicatorum, de locis ac rebus Siculis conſcripſit Decades duas, quas Frater Remigius Florentinus in Italicam tranſtulit linguam. Claruit ſub Karolo V. cui Decades dedicauit: quas duobus poſt annis emendatas & auctas Philippo eius Filio, qui ſucceſſit ei in Regno, dicauit. Anno Dom. M. D. LX.

## V.

Valerius Maximus hiſtoricus Romanus, qui ſub Sexto Pompeio militauit, vt ipſe de ſe teſtatur eo loci, vbi de inſtitutis antiquis loquitur, factorum, dictorumq. memorabilium exempla ab illuſtribus ſelecta Auctoribus, & in locos communes digeſta, librisq. nouem comprehenſa ad Tiberium Cæſarem ſcripſit, ſed ſubobſcure tum ob voces, tum etiam ob conciſum dicendi modum. Opus tamen ſtudioſis vtile admodum eſt. Claruit ſub eodem Tiberio.

Varro Romanus, Lælij diſcipulus, qui dicitur Marcus Terentius Varro, vir eruditiſſimus, ac Polyhiſtor fuit, hoc eſt, multiſcius, & ab Auguſtino ſancto litteratorum doctiſſimus appellatus, necnon librorum helluo. Hic quadringentos ac nonaginta libros doctiſſime ſcripſit, teſte Gellio libro 3. cap. 10. qui ex ipſius Varronis primo Hebdomadum libro refert, Varronem anno octuageſimoquarto ætatis ſuæ quadringentos & nonaginta libros edidiſſe: vel, vt narrat S.P. Auguſtinus lib.6.cap.3. de Ciuitate Dei, vnum & quadraginta. Et Quintilianus lib.12. cap.vlt. de eo inquit: Varro quàm multa, immo pene omnia tradidit. Quare de Varrone huius generis parœmia orta eſt: Varro tot tantaq. ſcripſit, vt nihil videatur potuiſſe legere: tantum e conuerſo legit, vt nihil potuiſſe ſcribere videatur. Huius librorum Catalogum S. Hieronymus olim conſcripſit, Varroni Origenem conferens: ſed hunc iniuria temporis, hominum incuriæ annexa amiſimus. Vetranius tamen Maurus vir ſane doctiſſimus ac diligentiſſimus, Vitam Varronis deſcribens, eiuſdem librorum Inſcriptiones ex Cicerone, Gellio, Pompeio, Nonio, Fulgentio, Lactantio, Seruio, Macrobio, Auguſtino, Acronio, Porphirione, Priſciano & Plinio collegit, quæ hoc loco recenſendæ non ſunt, cum in Lucem editæ non ſint. Extant de re ruſtica libri tres, quorum Primus eſt de Agricultura, Secundus de re pecuaria, Tertius de Villaticis paſtionibus. Hoc ſolum opus ex tot Varronis libris integrum ad noſtram peruenit ætatem. De Latina lingua libros 24. ſcripſit, quorum pars vna extat: hic enim fuit peritiſſimus Latinæ linguæ, omnisq. antiquitatis, & rerum Græcarum, noſtrarumque, plus tamen ſcientiæ collaturus, quàm eloquentiæ. Claruit ſub Caio Cæſare, tempore Ciceronis, ad quem ſcribit, & nonagenarius moritur anno Imp. Auguſti XV.

Vincentius Gallus Natione Burgundus Patria Bellouacenſis Ordinis fratrum Prædicatorum, quattuor conſcripſit Specula, quorum vnum Hiſtoriale dictum libris 32. Alterum Naturale lib. 33. Tertium Morale lib. 3. Quartum Doctrinale lib. 13. complexus eſt: opus ſane ſtudioſis valde vtile: his enim libris hiſtoriam vniuerſalem ab Orbe condito ad annum vſque Chriſti 1250. comprehendit. Edidit etiam alia quædam. Claruit autem anno Dom. M. C C. XL.

Virgilius

*Virgilius Mantuanus, qui dicitur Publius Virg. Maro a Marone patre ſic nuncupatus, Poeta celeberrimus, primum inter Poetas Latinos obtinens locum. Huius Poetæ Bucolicorum Eclogæ extant decem, & Georgicorum libri quattuor ab eodem Auctore emendati: Aeneidos vero libri duodecim, quibus tertiumdecimum Maphæus Vegius feliciter ſubtexuit, ab ipſo non fuerunt correcti: hinc, aduentante morte, cremari iuſsit: ipſe enim, vt narrat Gellius libro 17. cap. 10. more atque ritu Vrſino verſus edebat, hoc eſt informes, & imperfectos, quos deinde quaſi lambendo perpolitos, atque elegantiſsimos reddebat. His accedunt varia poemata, partim anonyma, partim vero Virgilij, quamuis ea fere omnia ſub ipſius nomine circumferantur. Hic in Bucolicis Theocritum, qui Bucolicos verſus lingua Dorica conſcripſit, in Georgicis Heſiodum, quem ſine vlla quidem controuerſia longe ſuperauit: In Aeneide ſecutus eſt ex Græcis Auctoribus, Parthenium, Piſandrum, Apollonium Rhodium, & in primis Homerum Poetas Græcos feliciſsime imitatus eſt: Ex Latinis Q. Ennium, Liuium Andronicum, Næuium, Lucretium, & alios complures. Virgilij vitam apud Donatum & Crinitũ videre eſt, qui eam copioſe deſcribunt. Claruit ſub Caio Cæſare, & Octauio Auguſto II. Rom. Imp. Nec ſilentio prætereundum videtur quod multi dicunt, & præſertim Vincentius, S. Antoninus part. 1. Chron. cap. 6. Tit. 4. §. 7. & Vinc. lib. 7. Spec. hiſt. cap. 62. & Aug. lib. 10. de Ciuit. Dei cap. 27. de 4. Virgilij Ecloga, quam de Chriſto integram ſcriptam eſſe affirmant, ſicut a Sibylla Cumæa fuerat deſcriptus: quibus verbis conſideratis Secundianus Decij præfectus, Verianus pictor, & Marcellinus Orator Chriſtiani effecti ſunt. Coluit inter præcipuos amicos, Aſinium Pollionem, Corn. Gallum, Quintilium Varum, Horatium Flaccum, & Mæcenatem, cum quibus ſumma vixit familiaritate. Octauio fuit acceptiſsimus, & in Exquilijs ſecundum hortos Mæcenatis habitaſſe traditur. Tarenti perijt, vt Seruius refert: vel, vt alij volunt, Brundiſii, contracta ægritudine ex itinere ad viſendum Metapontum, propter calores, ac nimios æſtus. Eius cadauer delatum eſt ad radicem Montis Pauſilypi non procul a Neapoli, vbi ſepulchrum viſitur ad hanc vſque diem prope Sannazari monumentum, de quo Bembus diſtichon edidit ſepulchro eius marmoreo inciſum in hanc verborum formam:*

Da ſacro cineri flores: hic ille Maronis
Vicinus muſæ, proximus vt tumulo.

*In*

*In ſepulchro autem Virgilij, cuius adhuc extant veſtigia, legitur hoc Diſtichon:*

Mantua me genuit, Calabri rapuere, tenet nunc
Parthenope: cecini paſcua, ~~vna~~ rura, duces.

*Hoc loco Calabri pro Apuli ponuntur: olim enim Apulia & Calabria dicebatur. Deplorauerunt eiuſdem obitum complures docti, & inter ceteros Cornelius Gallus ad Cæſarem ſcribens Auguſtum. Claruit ſub eodem Auguſto. Moritur anno ætatis ſuæ LIII. S. Antonino teſte par. 1. Chron. cap. 6. Tit. 4. §. 7.*

*Vitruuius, qui M. Vitruuius Pollio dicitur, Architectus inſignis, quo etiam omnes huius artis profeſſores tamquam Magiſtro vtuntur, libros de Architectura decem conſcripſit. Floruit ſub Cæſare Auguſto, ad quem ſcripſit.*

*Vopiſcus Flauius hiſtoricus, qui varias Romanorum Principum vitas, hoc eſt, Aureliani, Taciti, Floriani, Probi, Saturnini, Proculi, Bonoſi, Cari, Carini, & Numeriani conſcripſit. Auum ſuum ait Vopiſcus vixiſſe ſub Diocletiano.*

## X.

*Xenophon philoſophus Athenienſis, hiſtoricus laudatus, Socratis diſcipulus, & Platonis æmulus, ſpecioſus, moratus, & gratus omnibus, philoſophorum primus ſcripſit hiſtoriam, Herodotum, & Thucididem ſecutus. Claruit circa ann. ab Vrbe condita CCCC.*

## Z.

*Zenodotus Epheſius Grammaticus & Poeta, qui Bibliothecæ Ptolemæi Philadelphi præfuit, & filiorum Ptolemæi præceptor nonnulla ad artem Grammaticam pertinentia conſcripſit, præſertim vero Prouerbia, primusq. Homeri libros correxit, & in ordinem redegit. Claruit ſub eodem Ptolemæo.*

*Zonaras, dictus Ioannes Zonaras Monachus, & Hiſtoricus, hiſtoriam Græce ab exordio mundi vniuerſalem ad ſua vſque tempora, hoc eſt vſque ad Michaelis VII. Imperatoris Conſtantinopolitani tẽpus conſcripſit. Edidit Chronicam hiſtoriam a Iulio Cæſare vſque ad Alexium Comneum I. Imp. Conſtantinopolitanum: Epitomen item ab initio mundi: Alexandri Magni vitam: Periphraſim etiam in totam Ariſtotelis Logicam.*

*cam.*

*cam. Conſcripſit præterea Compendium hiſtoriarum in tres Tomos diſtinctum, quorum Primus agit de rebus Judaicis ab exordio mundi vſque ad Hieroſolymitanum excidium: Secundus hiſtoriam Romanam ab Vrbe condita vſque ad Conſtantinum Magnum breuiter complectitur: Tertius Jmperatorum res geſtas a Conſtantino Magno vſque ad obitum Alexij Comneni. Canones Conciliorum collegit & expoſuit. Edidit Commentarios in Damaſcenum, & in Acta Apoſtolorum, ac denique Vocabularium compoſuit. Claruit ſub eodem Alexio Comneno, & Ioanne Comneno circa ann. Dom. M. C. XX. quo tempore Georgius Cedrenus, & Glycas floruerunt.*

*Zoſimus Comes, homo Græcus, ſuperſtitioni addictus, & exitioſus, qui hiſtoriam Romanam 414. annorum ab Auguſto ad Honorium vſque Imp. & Athalaricum Gothum, qui Romam diripuit, ſex libris ſcelerata fide conſcripſit: fictis enim laudibus impios, Diocletianum ſcilicet, & Iulianum Apoſtatam exornauit, falſiſq. criminibus pios Principes, Conſtantinum Magnum, Gratianum, Theodoſium, & alios onerat: & ob id a probis viris vt canis proſcriptus, ſed quamuis impijſſimus, tamen velit nolit Conſtantini donationem fatetur, dolore ob hanc rem, quam damnat, affectus. Vixit ſub Honorio Imp. circa ann. Dom. C C C C. III.*

BIBLIO-


SIXTVS V. PONT. MAX.
BIBLIOTHECAM AEDIFICAVIT.
PORTICVS CONIVNXIT
AN. M. D. LXXXIII. PONT. III.
A
5. 10.
P. n. 60.

# BIBLIOTHECA VATICANA A SIXTO V. PONT. MAX. MAGNIFICENTISSIME CONSTRVCTA ET MIRABILITER ILLVSTRATA.

MVLTA profecto ſunt ornamenta, quibus Bibliotheca Vaticana magnificentiſſime conſtructa, egregie quidem & maiorem in modũ illuſtratur, atque oculi, menteſq. hominum eam intuentiũ mirifice paſcuntur, ſummaq. animi voluptate ac ſolatio perfunduntur: e quorũ numero Emblemata illa ſunt, quibus SIXTI V. immortalitate digniſſimi præclare ac feliciter geſta, quæ ad hanc vſque diem prodierunt, repræſentantur, & hinc inde ob oculos ponuntur: necnon in eadem Emblemata Guilielmi Blanci Inſcriptiones: Concilia item præcipua, Scholæ, & Bibliothecæ inſigniores, atque litterarum Inuentores. Sed antequam rerum huiuſmodi expoſitionem aggrediar, id ſciri velim, molem hanc à fundamentis excitatam, tot porticibus ſubleuatam, tot cubiculis & cameris amplificatam, tam vaſto fornice circumductã, tot picturis & imaginibus intus, & extra inſignitã, tot aditibus, & gradibus peruiam, tot feneſtris vndequaque patefactam, vnius anni curriculo, quo vix alius de opere faciundo cogitaſſet, à SIXTO V. ad res ſane pias, heroicas, atque arduas, Principe quidem potentiſſimo, quin Pontifice ſummo ac ſe ipſo digniſſimas, efficiendas & producendas nato, feliciter cœptam, feliciusq. conſummatam:

 in cuius

in cuius rei teſtimonium hæc ad eam partem, quæ Theatrum, ſiue Meridiem ſpectat, legitur Inſcriptio marmore inciſa:

SIXTVS V. PONT. MAX.
BIBLIOTHECAM ÆDIFICAVIT
PORTICVS CONIVNXIT
AN. M.D.LXXXVIII. PONT. III.

Hæc item Bibliotheca Vaticana quattuor habet facies: vnam, quæ vergit ad Orientem, ad Occidentem alteram, tertiam ad Meridiem, poſtremam ad Septentrionem. Porta autem Bibliothecæ primaria eſt ad Orientem, in cuius veſtibulo variæ ſunt picturæ tam ad pictoris arbitrium & ad operis ornamentum, quàm ad librariam & typographicam artem pertinentes. Bibliothecam verò ingredienti, & ſuſpicienti ſtatim fornix ſeſe offert, varijs picturis & imaginibus diſtinctus & inſignitus, in quo pueri aligeri choros, ſiue coronas, repræſentantes, ſibiq. inuicem libros porrigentes cernuntur, & in cuiuſcunque chori medio imago librum manu geſtans & ſcientiam aut artem aliquam præſeferẽs adſtare conſpicitur, multis item id genus alijs picturis, & ornamentis ad ſtemmata gentilitia SIXTI V. non minus ingenioſe excogitatis, quàm venuſte, atque artificioſe vndequaque collocatis, atque ita, vt hæc omnia Cælum ipſum, quatenus humana imaginatio hoc ſibi tale ſtruere poteſt, ante oculos proponere videantur. In parietibus vero inter fornicem & eorundem parietum coronas, varia Emblemata elegantiſſimis Inſcriptionibus explicata, ſeu potius ijſdem tanquam poetico penicillo adumbrata circumſpiciuntur, quæ quidem ſoluta & pleniore oratione enucleanda mihi primum viſa ſunt, vt deinde alia omnia ſingulatim, & ſuo loco explicentur. Id quod pro ingenij mei imbecillitate præſtare conabor.





# DE EMBLEMATIS EORVMQ. INSCRIPTIONIBVS

GVILIELMI BLANCI
INTIMI CVBICVLARII
S. D. N. SIXTI V.

*A Tergo introitus Bibliothecæ ad dextram partem apparet Emblema. I.*

## *DE SIXTI V. CORONATIONE.*

HOC Emblemate, quod ingentem vtriuſque ſexus hominum, & cuiuſcunque ſtatus, gradus, & dignitatis virorum multitudinem in medium affert, SIXTI V. Coronatio celebrata kalendis Maij 1585. ante fores Baſilicæ ſancti Petri Apoſtolorum Principis, ad introitus læuam, tota Vrbe exultante, Illuſtriſſimorumq. Cardinalium Senatu ampliſſimo adſtante, feliciter repręſentatur.

Nec ſilentio prętereundum eſt, cur Coronatio Pontificis ante Ædes ſancti Petri in Vaticano, nõ autem in Baſilica Lateranenſi, quæ ſummi Pontificis Eccleſia epiſcopalis eſt, fiat. Nam, vt paucis agam, hæc Coronatio in Vaticano celebratur, vel quia, vt conijci poteſt, ſummi Pontifices pręſens in tempus hoc in loco ſolent reſidere: vel quia hæc Baſilica, prima ſub nomine ſancti Petri, cuius ſummus quiſque Pontifex eſt Succeſſor, & Chriſti Vicarius, à Silueſtro Papa huius nominis primo mirificis Conſtantini Imperatoris impenſis, qui ab eodem Silueſtro baptiſmum ſuſcepit, conſtructa eſt quinque porticibus per intercolumnia diſtinctis, quas Naues vocant, magnis pulcherrimisq. columnis circiter centũ ſuſtentata, Anno Domini CCC. XIX. vt patet ex vetuſto marmore inciſo lapidem porphyreticum continente, & prope Portam ſanctam ſito:

ſuper quem lapidem oſſa Sanctorum Apoſtolorum Petri, &
Pauli ab eodem Silueſtro diuiſa, & librata fuerunt.
*De Baſil. S. Petri.* Immo, vt ait Onuphrius in libro de ſeptem præcipuis Vr-
bis Romæ Baſilicis, hanc Baſilicam parua Eccleſiæ forma
primus ædificauit ſub ipſa Beati Petri Apoſtoli morte Anacle-
tus presbyter S. R. E. ab eodem Petro ordinatus, & tertius ab
eo poſtea Pontifex Romanus creatus. Hinc Eccleſia hæc in
*3.q.6.c.9.* Decreto appellatur prima, & ceterarũ caput, ideſt, Apoſtolica,
vt exponitur ab Hugone: quia prima, vt dictũ eſt, ſub nomine
ſancti Petri Apoſtolorũ Principis fuit ædificata: ob quã ratio-
nem, necnon ob alias iam aſſignatas Coronatio Pontificis fieri
ſolet ante ſancti Petri Eccleſiã: quæ, vt, occaſione ſeſe offerẽte,
parumper digrediamur, moxq. eo vnde digreſſi ſumus reuer-
tamur, ad Sacellũ vſque ſancti Petri primariũ, in quo SS. Apo-
ſtolorum Petri & Pauli oſſa requieſcunt, protẽdebatur. Sed Iu-
lius II. veteris Eccleſiæ parte poſteriori diſiecta, Bramantis
eximiæ induſtriæ Architecti opera, nouæ Baſilicæ toto Ter-
rarum Orbe celeberrimæ futuræ fundamenta iecit. Huius de-
inde fabricam à Leone X. & Clemente VII. nonnihil, vt
narrat Onuphrius, intermiſſam, Paulus III. ex Michaelis
Angeli Bonarotæ Architectura, auxit. Hæc autem à ceteris
Pontificibus ita continuata eſt, vt, teſtudinibus aliquot factis,
& Sacello Gregoriano mira ſtructura confecto, ampliſſimæ &
mirificæ Baſilicæ formam ob oculos ponat, præſertim vero
SIXTO V. ſedente, qui Abſidam ſeu Tholum, quem vul-
go Cupulam vocant, centum millibus aureorũ, ſingulo quo-
que anno inſumendis per operarios homines ad octingentos,
breuiſſimo temporis ſpatio perficiendum curat. Quæ res
etſi ardua eſt, ac pene olim ab omnibus deſperata, animi
tamen SIXTI V. magnitudo tanta eſt, tamq. rerum om-
nium admirabilis apparatus, vt ſumma diligẽtia Fabij Blondi,
Patriarchæ Hieroſolymitani, cui cura omnis eſt demandata,
necnon Iacobi à Porta Architecti opera, non ſolum ad finẽ de-
ducatur, ſed etiam totius Eccleſiæ fabrica ſuis omnibus nume-
ris, Deo adiuuante, abſoluenda iudicetur. Quod vt eueniat,
boni omnes diuinam benignitatem ſuppliciter deprecantur.
De hoc Tholo Franciſcus Bencius, & alij ex Collegio Societa-
tis Ieſu, necnon Ioſephus Caſtalio iuriſconſultus Latino ſcri-
pſerunt



pſerunt verſu, reiq. magnitudinem mira facilitate, atque felici-
tate explicarunt.

Hæc pauca de opere tam excellenti dicere mihi viſum eſt:
nunc autem ad propoſitam Coronationem redeamus. Inſcri-
nis igitur Auctor huius generis Coronationem tam inſignem,
tamq. ſublimem, qua nulla maior in Terris inueniri poteſt,
ſecum animo reputans, hunc in modum ait.

*INSCRIPTIO EMBLEMATIS.*

*Hic tria Sixte tuo capiti Diademata dantur:*
*Sed quartum in Cælis te Diadema manet.*

CVM ſummus Pontifex, vt breuitati conſulam, corona-
tur, capiti eius Tiara, quam Regnum Mundi appellant,
imponitur, tribus cõſtans Coronis, tres poteſtates, hoc eſt, Im-
peratoriã, Regiam, & Sacerdotalẽ, plenariã ſcilicet & vniuer-
ſalem totius Orbis Auctoritatem repræſentantibus.

Per Tiaram ipſam, quam Regnum Mundi paſſim ap-
pellant, Imperatoria ac temporalis Poteſtas: per Mitram *Inn. III ſerm. 3.*
verò, Pontificia & ſpiritualis Auctoritas ſignificantur: &
quoniam Auctoritas Pontificia prior ac dignior, necnon am-
plior atque diffuſior eſt Imperiali poteſtate, quia Sacerdo-
tium in populo Dei Regnum præceſſit, ſicut Aaron pri-
mus Pontifex Saulem primum Regem, & Noe ipſum Nem- *Exod. 28.*
roth præceſſiſſe leguntur, hinc ſummus Pontifex in ſignum *Gen. 8*
Pontificiæ Auctoritatis ſemper & vbique Mitra vti ſolet: Re- *Inn III. ſerm. 1. de*
gno autem, Imperatoria ſcilicet Corona, non ſemper & vbi- *B. Silueſt.*
que, ſed certis diebus & locis, intraq. Eccleſiam inter eundum
ac redeundum, non autem in diuinis officijs celebrandis,
nec in ſacris faciendis. Sed quoniam qui hoc in mundo le-
gitime certauerit, coronam ſibi in Cælo parat, Auctor inſcri- *2. Tim 2.*
ptionis ait, quartam Coronam SIXTO V. repoſitam eſſe in
Cælis: & hanc ſtabilem & perpetuam eſſe neceſſe eſt. Id quod
etiam figura quadrata ex ſui natura præſefert. Quadrũ enim;
quacunque vertatur, ſtare cernitur: cuius inſtar iuſtus cum ce- *Aug. in*
ciderit non collidetur, quia Dominus ſupponit manum ſuam. *Pſal. 88.*
Manet igitur SIXTVM, ideſt, quartum Diadema expectat *to. 8.*
SIX-

SIXTVM in Cælo, tamquam iuſtum: & vere manet, quia ſtabile eſt: & amitti non poteſt, quia ſibi æternitatem ſortitur.

*A tergo introitus Bibliothecæ ad læuam apparet Emblema. II.*

## DE EPISCOPATVS LATERANENSIS *poſſeſſione adipiſcenda ſiue capienda.*

HOc Emblemate, ſuſceptio Epiſcopatus Lateranẽſis repręſentatur, hoc eſt, cũ SIXTVS V. Pontificia ſollẽnitate, ac pompa, Regibus Iaponẽſibus eũ comitantibus, Baſilicã Lateranenſem, vt moris eſt, tanquã ſuam peculiarem, & primariã Eccleſiam agnouit, ac ſuſcepit. Quo loco cernitur Põtifex aſturconi, quem chineã vulgo appellant, inſidens, præeuntibus longo ordine tã intimis, quàm extimis Cubicularijs, alijsq. nobiliſſimis viris, necnon Vrbis primatibus equitãtibus (vt interim Celeres Equites, ac pedeſtres, & haſtatos Heluetios ſilentio inuoluam) ſubſequentibus vero S. R. E. Cardinalibus Illuſtriſs. Patriarchis, Archiepiſcopis, Epiſcopis, ceteriſq. Præſulibus. Idq. miro conſpicitur apparatu. Eccleſia hæc primaria dicitur, propterea quòd Conſtantinus Imperator eam quarta ſui baptiſmi die intra Palatium Lateranenſe à Laterano ciue Romano dictum, vt in ſexto Emblemate ad læuam Bibliothecæ ſito fuſius explicabimus, Saluatori noſtro conſtruxit, ſummoq. Pontifici Silueſtro primo, à quo baptiſmum ſuſcepit, dono dedit. Hæc item Baſilica fuit prima Eccleſia publice conſtructa: & in hac ſola Eccleſia ligneum eſt Altare arcæ adſimile, vt memoria præteritorum temporum conſeruaretur, quibus, cum tyrannorum perſecutionibus vexaretur Eccleſia, à ſancto Petro vſque ad ſanctum Silueſtrum, Pontificibus locus certus ac definitus non fuit, ſed in cryptis, ſiue in cœmeterijs, aut in piorum ædibus ſuper illo Altari ligneo conſecrare ſolebant. Hinc idem ſanctus Silueſter honoris gratia ſanciuit, vt in eo, quod eſt Altare maius, præter Romanum Pontificem Miſſas nemo deinceps celebrare poſſet. Id quod ad hanc vſque diem executioni mandatur. Nam in dicto Altari non niſi ſummo

*Diſt. 96. c. 14. Conſtantinus.*

mo



mo Pontifici, & Cardinalibus Epiſcopis per Pontificiã diſpenſationem, & in horum defectũ, Cardinalibus presbyteris rem ſacrã facere licet, ſicut de Altari maiori ſancti Petri, ſanctę Marię maioris, ſancti Laurẽtij extra muros, & ſancti Pauli, decretũ huiuſmodi obſeruatur. Sancitum etiam fuit, ſicut in Decreto legitur, vt hæc Baſilica Lateranenſis Saluatori noſtro dicata, & Saluatoris nomine nuncupata, poſtremo autem ſancti Ioannis dicta, principatum haberet non ſolum ſupra Patriarchales Eccleſias, Alexandrinam ſcilicet, Antiochenam, Hieroſolymitanam, & Conſtantinopolitanam, verum etiam ſupra omnes in vniuerſo terrarum orbe Eccleſias Dei. Quare Patriarchatus, Archiepiſcopatus, Metropolis, & Epiſcopatus appellatur: ſummus autem Pontifex, ſummus Patriarcha, ſummus Archiepiſcopus, ſummus Metropolitanus, ſummuſq. Epiſcopus dici poteſt ac debet: ſicut enim Eccleſia hæc, ita & Papa tum nomina, tum effectum horum omnium optimo quidem iure ſibi ſortitur. Baſilica autem ſancti Petri, cuius fabricam, vt legitur in Decreto, Conſtantinus, donatione facta, inſtituit, quamuis prima Beati Petri ſedes dicatur, vt in Emblemate de Coronatione diximus, non tamen Archiepiſcopatus, nec Metropolis, nec Epiſcopatus appellari poteſt, ſed prima dicitur, ideſt, Apoſtolica, vt dictum eſt. Et quamuis Vrbs Roma inſtar vniuerſi Orbis quattuor Patriarchales Eccleſias habeat, hoc eſt, ſancti Ioannis Laterani, ſanctæ Mariæ maioris ad Præſepe, ſancti Laurentij extra muros, & ſancti Pauli; Eccleſia tamen ſancti Petri nec Patriarchalis nec Epiſcopalis Eccleſia eſt, vt dicitur à nonnullis, qui eã Epiſcopo Portuenſi ſubiectam eſſe, & ad eius Diœceſim pertinere dicunt. Præſens tamen in tempus hæc Baſilica ſancti Petri Patriarchalis habetur & vocitatur. Hinc quinque Patriarchales Eccleſiæ in Vrbe nominantur, & ſunt. Hæc dicenda erant, vt ſciretur, cur ſummus Pontifex iuriſdictionem Epiſcopalem, non in Eccleſia ſancti Petri ſuſcipiat, ſed in Baſilica Lateranenſi, quæ Lateranẽſis à loco: Sancti Saluatoris à dedicatione: Conſtãtiniana à conditore, magno Conſtãtino: Fauſtæ, ab vxore Conſtantini, vt Optatus Mileuitanus ait: Aurea ab ornamentis, & diuitijs: Sanctorum, Ioãnis Baptiſtę, & Ioannis Euangeliſtæ ab eorũ inuocatione nuncupata eſt, & Romanorum

*Diſt. 96. c. 14. Cõſtantinus. Ibid. vt ſupra.*

*Aluar. li. 2. de Planctu Eccl. cap. 11.*

*12. q. 1. cap. 15.*

*Aluar. de Planctu Eccleſiæ lib. 2. c. 11.*

norum

norum Pontificum vſui ædificata V. Idus Nouembris circiter annum Chriſti CCC.XVIII. & à ſancto Silueſtro conſecrata. Auctor autem Inſcriptionis de hac ſuſcepta poſſeſſione ſic ait:

*INSCRIPTIO EMBLEMATIS.*

*Ad Templũ Antipodes Sixtum comitantur euntem,*
*Iamq. nouus Paſtor paſcit ouile nouum.*

HIC, vt reor, per Antipodas, Iapones tunc temporis Romæ cõmorantes vt ſummo Paſtori obedientiam præſtarent, ſic dicti quaſi contra noſtros pedes non recta linea, ſed tranſuerſali degentes, intelliguntur: Antipodes enim, ſunt Populi aduerſa nobis veſtigia vrgentes. Per ouile autem nouum vel eſt alluſio ad illã mundi partem tamdiu nobis ignotam, & non multis ab hinc annis à Columbo inuentã: vel Inſcriptionis Auctor Gentẽ illam Iaponum intellexit, partem pro toto ſumens, ac ſi dixiſſet, nouam Gentem ad fidem Chriſti cõuerſam in Catholica Eccleſia tanquã ouile nouum paſci, & gubernari à Paſtore nouo, ideſt, nuper creato. Id quod nõ ſine diuino conſilio factum eſſe credendum eſt: ſicut etiam de illa femina nobiliſſima, quæ tanquam Regina Saba ad ſapientiam Salomonis audiendam, iam inde ab Aphrico ſinu ad SIXTVM V. vna cum alijs eiuſdem Regionis hominibus, ſuperioribus menſibus venit, dicẽdum eſt. Hoc enim nouum aliquod Regnum acquirendum, & ad fidem venturum, vel tale aliud præſagire mihi videtur. Quod ſua Deus benignitate faxit.

*Cic. de ſomnio Scip. & de Acad. quæſt.*

---

## EMBLEMATA AD LÆVAM SITA.

*Emblema. III.*

*De Italia prædonibus & exulibus liberata.*

EMBLEMA, quod Bibliothecam ingredientium oculis primo ad introitus læuam ſeſe offert, liberationem Italiæ complectitur: quæ cum antea nefariorum, perditorumq. hominum, prædonum ſcilicet atque exulum incurſionibus eſſet expoſita, multisq. calamititabus premeretur, SIXTO V. ſedente ab

te ab



te, ab omni infeſtatione liberatur, ac magna quiete perfruitur, exulibus ac prædonibus vndequaque expulſis.

*Liberationis Symbolum.*

OVES triplicem montem circumſtantes inſpiciuntur, in cuius faſtigio poſitus cernitur leo, qui ignita fulmina deorſum torquens, Lupos omnes paſcenti pecori aduerſantes terrore, ac metu concuſſos in fugam hinc inde conijcit. Ouibus populi, Lupis prædones, Montibus qui ſupra reliquam terram ſe extollunt Eccleſia, Leone SIXTVS Pontifex, Fulmine Auctoritas eius & poteſtas repræſentãtur: & ad eiuſdem Pontificis inſignia alluſio eſſe poteſt, in quibus Montes Patriam ſignificantes pinguntur, necnon & Leo, qui dominatum, & magnanimitatem, itemq. fortitudinem, vigilantiam, & cuſtodiam ſignificat. Hinc in ædificiorum, præcipue vero in Fanorum valuis, ſacrarumq. Ædium veſtibulis Leones marmorei ſiue ænei tamquam diuinorum cuſtodes, vt eſt paſſim cernere, ſtatui ſolent.

Leo enim dũ vigilat, oculos clauſos, cum vero dormit reſeratos habere fertur: immo nonnulli putarunt, ſed falſo quidẽ, Leonem ſemper ſomni eſſe expertem, quippe qui magnos cũ habeat oculos palpebraſq. perexiguas, oculos penitus obtegere non poteſt, hinc ſplendor ab eius pupilla emicans inſomnem ipſum repræſentat. Huic autem Emblemati, liberationiſq. ſymbolo, SIXTI V. cum Alcide collatio aptiſſime quadrat, ſi amborum inſignia Leonem habentia, fortitudo, reſq. geſtæ perpendantur. Idcirco Inſcriptionis Auctor hæc ſecum, vt opinor, cogitans, SIXTVM cum Alcide confert, & hunc in modum ait:

*INSCRIPTIO EMBLEMATIS.*

*Alcides partem Italiæ prædone redemit,*
*Sed totam Sixtus: dic mihi, maior vter?*

HÆC Inſcriptio præſefert, maiora SIXTVM præſtitiſſe, quàm Herculem, ab Alcæo, auo paterno, Alcidem,



auctore

auctore Herodoto, dictum: vel ab Ἀλκῆ, quod eſt robur. Hercules enim montem Auentinum, Caco Vulcani filio, prædone infami, teſte Virgilio, extremamq. Calabriæ & Italiæ oram latrone Lacinio, a quo Promontorium Lacinium vocitatum eſt, dumtaxat liberauit, vt apud eundem Virgilium videre licet. Sed SIXTVS V. vniuerſam Italiam a prædonum, & exulum incurſionibus liberauit, ac tranquillam reddidit. Hanc liberationem Simon Cecchinus vtriuſque ſignat. Refer. diſtichis ingenioſe factis feliciter proſequutus eſt.

*Æneid. 8.*

*Æneid. 3.*

---

*Emblema.* II.

*De Obeliſco Vaticano ſanctiſſimæ Cruci dedicato.*

PRIORI Emblemati proximum eſt illud Obeliſci Vaticani altitudinis palmorum 114. citra baſim, olim a Seſoſtridis Filio Nuncoreo, ſeu Phærone in Ægypto exciſi, deinde ab Imperatore Caio Caligula in Vrbem tranſuecti, & in Vaticano locati, Auguſtoq. ac Tiberio Cæſaribus dicati, nunc vero a SIXTO V. ſumma omnium admiratione in mediam Sancti Petri Aream, ante ſacras Ædes tranſlati, ac diuino cultui addicti: cuius faſtigio idem SIXTVS Crucem imponi iuſſit. Hinc Auctor Inſcriptionis rem tantam perpendens, operoſum ſcilicet laborem, & Chriſtianam eiuſdem Pontificis pietatem a ſuperſtitionis memoria ad verum & diuinum cultum, hominum animos auocantem, Diſtichon ex ſuo libro Epigrammatum in eundem Obeliſcum ſuperioribus annis edito depromens inquit multum valere hanc Obeliſci Tranſlationem ad SIXTI V. memoriam ſempiternam, atque hunc in modum ait:

*Plin. lib. 36. ca. 11. Herod. li. 11.*

*INSCRIPTIO EMBLEMATIS.*

*Dum ſtabit motus nullis Obeliſcus ab Euris,*
*Sixte tuum ſtabit nomen, honosq. tuus.*

OBELISCVS, vt nonnihil de eo dicam, eſt lapis aſperrimus in figuram metæ cuiuſdam ſenſim ad proceritatem conſurgens excelſam, vtq. radium imitetur paulatim gracileſcens, ſpecie quadrata in verticem productus anguſtum, manu læuigatus artificis. Huiuſmodi molis inuentor, teſte Plinio, Mytres fuit, qui Heliopoli, hoc eſt in Solis Vrbe cum regnaret, ſomnio iuſſus Soli ipſi, quem Ægypti colebant, Obeliſcum conſecrauit. De hoc autem Vaticano, eiusq. Tranſlatione, ac dedicatione Petrus Galeſinius Proton. Apoſtolicus eleganti ſcripſit oratione. Petrus item Angelius Bargæus de Obeliſco eruditum edidit Commentarium. Scripſit etiam de Obeliſcis et fuſiſſime quidem Michael Mercatus vir in varijs diſciplinis bene verſatus. Multi denique alij de Obeliſci Vaticani Tranſlatione, et verſu et ſoluta oratione ſcripſerunt, quos breuitati conſulens prætermitto. Nunc reliquum eſt, vt Inſcriptiones, quæ dicto in Obeliſco Vaticano inciſæ leguntur, in medium proferantur. Harum duæ ſunt vetuſtæ, hoc eſt:

*Amm. Marcell. lib. 17.*



*Plin. lib. 38. ca. 8.*

I.

DIVO CAESARI DIVI IVLII F. AVGVSTI F. CAESARI DIVI AVGVSTI F. AVGVSTO TIBERIO SACRVM.

II.

DIVO CAESARI DIVI AVGVSTI F. AVGVSTO TIBERIO SACRVM.

Inſcriptiones nouæ ſunt quinque, quarum vna in Obeliſci faſtigio hanc in verborum formulam ſculpta eſt:

I.

SANCTISSIMAE CRVCI SIXTVS V. PONT. MAX. SACRAVIT E PRIORE SEDE AVVLSVM, ET CAESS. AVG. AC TIB. I. L. ABLATVM. M. D. LXXXVI.

Ceteræ Inſcriptiones in Obeliſci Baſi exculptæ cernuntur, vt infra:

II.

ECCE CRVX DOMINI FVGITE PARTES ADVERSAE VICIT LEO DE TRIBV IVDA.

III.

CHRISTVS VINCIT, CHRISTVS REGNAT, CHRISTVS IMPERAT, CHRISTVS AB OMNI MALO PLEBEM SVAM DEFENDAT.

IV.

SIXTVS V. PONT. MAX. CRVCI INVICTAE OBELISCVM VATICANVM AB IMPVRA SVPERSTITIONE EXPIATVM IVSTIVS ET FELICIVS CONSECRAVIT ANNO DOMINI M.D.LXXXVI. PONT. II.

## V.

SIXTVS V. PONT. MAX. OBELISCVM VATICANVM DIS GENTIVM IMPIO CVLTV DICATVM AD APOSTOLORVM LIMINA OPEROSO LABORE TRANSTVLIT ANNO DOMINI M. D. LXXXVI. PONT. II.

---

*Emblema. III.*

*De annona Vrbi, & Italiæ ſubminiſtrata.*

VBERTATIS hoc Emblema eſt. Romam enim SIXTVS V. initio ſui Pontificatus, annonæ caritate laborantem reperit: hinc idem SIXTVS ei prudentiſſime ſuccurrit, & coempto frumento, & in Vrbem aſportato, effecit, vt in ſumma inopia, ſumma eſſet copia. Nec eo contentus, vt non ſolum Vrbi, verum etiam Italiæ vniuerſæ magna ex parte ſuccurreret, ac tempus in poſterum prouideret, Paludes Pontinas Volſcorum iuxta forum Appij haud longe a Tarracina, & ab Vrbe XXIX. paſſuum millibus diſtantes, olim a Cornelio Cethego Conſule, atque ſequentibus ſæculis a Theodorico Gothorum Rege iterum exſiccatas, nunc idem Pontifex ad res egregias omnes, & pias, resq. omnium opinione maximas ac pene deſperatas producendas natus, tertio exſiccandas mandauit: ex quibus longitudine ad viginti, latitudine vero ad ſeptem milliaria factus eſt Ager, ducentis millibus aureis in eam rem impenſis: atque hunc in modum ex Agro Pontino de perpetua annona non ſolum Vrbi, ſed toti etiam Prouinciæ, quin & Italiæ ſapienter prouiſum eſt. Quam rem Blancus in Euchariſtico ad SIXTVM V. deſcribens ait: *Plin. li. 4. cap. 7. et Liu. li. 14.*

*Per te exſiccantur vaſtiſſima ſtagna lacusq.*
*Iamq. ferax ager eſt, quæ fuit ante palus.*

VBERTATIS ſymbolum eſt arbor, Pyrus, fructu onuſtiſſima, ad cuius radicem circumſtant oues, Leone truncum vngulis complectente, & arborem concutiente. Hinc pyris cadentibus, oues paſcuntur. Hoc Emblema venuſtatem habet, alludens ad gentilitia SIXTI V. ſtemmata, quę Leone pyrum tenente conſtant. Quare Auctor Inſcriptionis, vt frumenti



menti affluentiam, SIXTI V. Pontificis Maximi prouidentia, et pietate, omni ex parte laudanda, Italiæ, et Romæ præſertim ſubminiſtratam decantet, hunc in modum inquit:

*INSCRIPTIO EMBLEMATIS.*

*Temporibus Sixti redeunt Saturnia Regna:*
*Et pleno cornu Copia fundit opes.*

NEMINEM latet, regnante Saturno, magnam frumenti in Latio fuiſſe vbertatem, agrosq. mirum in modum excultos, cum ipſe Agriculturam inueniſſe dicatur. Quare Inſcriptionis Auctor tamquã probatiſſimorum Poetarũ omnium familiariſſimus, mutuato ſibi in priori verſu Virgilij hemiſtichio, aurei ſæculi felicitatem ab eodem Poeta inibi decantatam, nunc etiam vigere aperte demonſtrat, & verſu altero alludere ſibi viſum eſt, ni fallor, ad illud Horatij: *Ecloga 4.* *Lib. 1. Ep. ad Iccium.*

*——————Aurea fruges*
*Italiæ pleno diffudit Copia cornu:*

QVIBVS ex verbis Poeta Cornucopiæ Herculi datum innuere videtur. Copia autem apud Poetas pro Dea habita fuit, ſicut etiam ab eodem Horatio expreſſius dictum eſt in Carmine ſæculari, vbi eam appellat beatam inquiens: *Carm. ſæcul.*
*Apparetq. beata pleno Copia cornu:* Nos autem cum affatim omnia ineſſe ſignificare volumus, Cornucopiæ dicimus, & per cornu fructibus, & floribus, frumentiq. ſpicis plenum abundantiam repræſentamus.

---

*Emblema. IIII.*

*De ſancti Petri Statua in Columnæ Traianæ faſtigio erecta.*

EMBLEMA hoc, eſt de Columna Traiana Cochlide, quæ nunc altitudine extat palmorum centum & ſeptuaginta ſeptem, habetq. intus centum & octuaginta quinque gradus, quibus ad ſummum faſtigium aſcenditur: feneſtellas vero 45. quibus lumen excipit, egregijs Traiani præliorum, & ab eo ſubactæ

ſubactæ Daciæ ſculpturis varie inſignita, eiuſdemq. ſtatuam olim in ſummo vertice ſuſtinebat: vel vt alij aiunt, pilam auratam, in qua cineres Traiani aſſeruabantur: nunc vero æneum ſancti Petri Apoſtolorum Principis Simulachrum a SIXTO V. inibi collocatum ſuſtinet, dextra manu librum, quo doctrina Eccleſiaſtica: altera claues, quibus duplex Pontificia poteſtas declaratur, geſtantis. Huius columnæ dedicationem Petrus Galeſinius Prot. Apoſt. ſoluta ſcripſit oratione, et luculenter quidem. Auctor autem Inſcriptionis Dedicationem deſcribens hunc in modum ait:

INSCRIPTIO EMBLEMATIS.

*Vt vinclis tenuit Petrum, ſic alta columna*
*Suſtinet: hinc decus eſt, dedecus vnde fuit.*

ACVTVS eſt hoc loco Inſcriptionis Auctor, ſed eius ſententiā facile aſſequetur qui ſanctum Petrū Neronis iuſſu ad columnam quandā marmoream, quæ etiamnum hodie in Æde Beatæ Mariæ Trans pontem religioſe viſitur, ferreis vinculis alligatum, & inibi verberibus cæſum nouerit. Id quod planum nobis fit ex Altari dicta in Eccleſia ſito, quod Celeſtinus III. Petro & Paulo, quorum columnæ, ad quas dum verberarentur alligati olim fuerunt, inibi viſuntur, cōſecrauit, intra aram ab eodem Pontifice quattuor dentibus ſancti Petri aſſeruatis, vt videre licet ex lapide ſatis vetuſto dictas columnas indicante, & ex lamina quadam ferrea conſecrationem Altaris exponente & nuper reperta, cum ipſa ara in Ædes nouas tranſlata eſt. Cæſar item Baronius ſacrarum hiſtoriarum indagator diligētiſſimus, in Annalibus Eccleſiaſticis dictas Columnas commemorat, atque ijs ſanctos Apoſtolos, Petrum et Paulum alligatos virgis cæſos fuiſſe ait. Id vero non abſque diuino conſilio factum eſſe credendum eſt, ſcilicet tāquam pręcipuas Dei Columnas, et Chriſtianę Fidei Principes ad columnas ligatos vno loco, vna die, vniusq. tyranni ſententia cæſos, martyrioq. fuiſſe decoratos. Ille autem, vt Magiſtrum ſuum Chriſtum tamquam ipſius Vicarius imitaretur, fuit Cruci affixus: hic vero, vt nomen ſuum poſt conuerſionem ſibi inditum factis reſponderet, capite fuit truncatus, ſeu diminutus. Quare, ſicut Romæ

*S. Maximus Epiſ. homil. 5.*



Romæ Beato Petro Columna illa fuit opprobrio, ita hæc Traiana nunc in eius laudem et honorem, piorumq. ſolatium cedit. Et ſicut olim, tamquam Chriſti Athleta fortiſſimus, in columna ſtrenue decertauit, ita nunc in columnæ faſtigio triumphum agit glorioſum. Nam ratione poſtulante, per quæ quis meretur, per eadem honorem aſſequi eum debere, dicendum eſt. Ob id Inſcriptionis Auctor dixit:

*Hinc decus eſt, dedecus vnde fuit.*

Hoc non niſi hiſtoriam enarratam præſeferre videtur: cetera adeo plana ſunt, vt declaratione non egeant. Nunc autem reliquum eſt, vt Inſcriptiones tum veterem, tum nouam in baſi Columnæ cochlidis inciſas hoc in loco apponamus. Vetus inſcriptio Traiano Imperatori Cochlidem dedicatam ad illius montis olim inibi extantis altitudinem erectam fuiſſe docet, vt infra videre eſt.

SENATVS. POPVLVSQ. ROMANVS

IMP. CÆSARI DIVI NERVÆ F. NERVÆ TRAIANO AVG. GERM: DACICO PONT. MAXIMO TRIB. POT. XVII. IMP. III. COS. V. P P. AD DECLARANDVM QVANTÆ ALTITVDINIS MONS ET LOCVS TAN .............. IBVS SIT EGESTVS.

Hac in Inſcriptione Cochlidis Traiano dedicatæ, duo ſemideleta reperiuntur verba: hinc eorum ſenſus deſideratur. Sunt qui eas voces imperfectas in integrum reſtituendas opinantur hoc modo: Tantis operibus. Alij: Tantis viribus. Alij: Tantis ruderibus. Alij autem: Tantis molibus. Inſcriptio autem noua in Columnæ faſtigio ad ſancti Petri pedes inciſa et in quattuor partes diſtincta in hanc formulam legitur:

SIXTVS V. B. PETRO APOST.
PONT. A. III.

Hac Inſcriptione, atque dedicatione videre licet, quanta ſit ſummi Paſtoris pietas numquam ſatis laudata, gentilitatis impietate ac ſuperſtitione ablata, chriſtiana obſeruantia conſeruata et aucta, Vrbeq. vndique illuſtrata. Dum enim ſacra effigies Beati Petri ænea in Traiani Columna tam celebri pijs precibus rite ex Eccleſiæ præſcripto expiata collocatur, honor ſanctis & Apoſtolorum præſertim Principi exhibetur, mentes hominum ad Chriſtianam pietatem excitantur, & Vrbs ipſa pijs ornamentis decoratur. De hac Colum-

Columna, atque ipſius dedicatione, Petrus Galeſinius Proton. Apoſt. Commentarium edidit luculentum.

### *Emblema. V.*

*De Iubileo in initio Pontificatus Sixti V. celebrato.*

HOC Emblemate, illius ampliſſimi Iubilei, quod Anno M. D. LXXXV. pro Dei ope impetranda ad Chriſtianæ Reipublicæ gubernacula capeſſenda SIXTVS V. diuino conſilio aſſumptus per vniuerſum Chriſtianum orbem promulgauit, deſcriptio continetur. Ibi autem videre licet innumeram hominum cuiuſcunque ſexus, conditionis, & ætatis multitudinem, ſupplicem ac demiſſam, turmatim, longoq. ordine ad Baſilicam ſanctæ Mariæ maioris ad Præſepe confluentem.

*INSCRIPTIO EMBLEMATIS.*

*Sixtus Regnum iniens indicit publica vota.*
*Ponderis ô quanti vota fuiſſe vides!*

ALLVDIT, vt opinor, Inſcriptionis Auctor ad antiquã illã conſuetudinem, qua non ſolum inaugurati Pontifices, aut Reges a diuinis precibus, & ſupplicationibus Regnũ, & Pontificatum ſuum auſpicabantur: verum etiam Poetæ ipſi, vt ille omnium optime nouit, operum ſuorum initia ab inuocatione ducebant. Quod autem ſubiungit exclamans:

*Ponderis ô quanti vota fuiſſe vides!* Ingenioſe innuit, qualis & quantus ſit SIXTI V. Pontificatus, vniuerſæq. Eccleſiæ preces illas non fuiſſe irritas, quarum fructum hodie ſumma omnium vtilitate, & maxima Pontificatus gloria manifeſte cognoſcimus, & ſole clariorem videmus. Hinc late patet, publicarum precum tantam eſſe vim, quantam ego verbis explicare numquam poſſem. SIXTO enim ſedente, Chriſtiana diſciplina inſtauratur, et propagatur: pax conſeruatur, et ſecuritas præſtatur: facinoroſi et perditi homines puniuntur: boni remunerantur, et fouentur: virtutes extolluntur, et vitia funditus extirpantur: inopia expellitur, et annona



annona affluenter ſubminiſtratur: Vrbs denique Auctoritatis Apoſtolicæ ſedes, religionis catholicæ arx, dignitatum omnium parens, legum ſanctarum ſeminarium, Chriſtianarum virtutum templum ſanctiſſimum, gratiarum cæleſtium theſaurus refertiſſimus, vniuerſiq. Chriſtiani Orbis theatrum ampliſſimum, egregijs actionibus in dies magis atque magis illuſtratur, commodis item et beneficijs afficitur, ornamentiſq. paſſim decoratur.

### *Emblema. VI.*

*De Palatij Lateranenſis reſtitutione, & Obeliſci dedicatione.*

HOC Emblemate Palatij Lateranenſis reſtitutio, & Obeliſci tranſlatio, ac dedicatio repræſentantur. Eſt hic Obeliſcus citra baſim ad altitudinem *Obeliſci altitudo.* palmorum centum et nonaginta octo, omniumq. Obeliſcorum, qui in Vrbe extant, maximus atque pulcherrimus, Hieroglyphicis, quorumdã ſcilicet animalium, aliarumq. rerum inſignitus notis, Heliopoli, hoc eſt, in Solis Vrbe Ægyptia erectus, et inde a Conſtantino Magno Alexandriam, vt eum hinc poſtea Romam aſportaret, tranſlatus: quem deinde Conſtantius eiuſdem Conſtantini Filius in Vrbem tranſuexit, et in Circo Maximo locauit: ex quo denique loco SIXTVS V. operoſo labore ante ſacras Ædes Lateranenſes tranſtulit, erexit, et inuictiſſimæ Cruci dedicauit. In huius Obeliſci, cum Conſtantius in Circo Maximo ipſum locauit & erexit, quattuor Inſcriptiones, vt ex fragmentis colligi potuit, fuerunt inſculptæ, ſicut infra videre eſt.

I.

PATRIS OPVS MVNVSQ. SVVM TIBI ROMA DICAVIT
AVGVSTVS TOTO CONSTANTIVS ORBE RECEPTO
ET QVOD NVLLA TVLIT TELLVS NEC VIDERAT ÆTAS
CONDIDIT VT CLARIS EXÆQVET DONA TRIVMPIS
HOC DECVS ORNATVM GENITOR COGNOMINIS VRBIS
ESSE VOLENS CÆSA THEBIS DE RVPE REVELLIT

## I I.

SED GRAVIOR DIVVM TANGEBAT CVRA VEHENDI
QVOD NVLLO INGENIO NISVQ. MANVQ. MOVERI
CAVCASEAM MOLEM DISCVRRENS FAMA MONERET
AT DOMINVS MVNDI CONSTANTIVS OMNIA FRETVS
CEDERE VIRTVTI TERRIS INCEDERE IVSSIT
HAVD PARTEM EXIGVAM MONTIS PONTOQ. TVMENTI

## I I I.

CREDIDIT ET PLACIDO VECTA EST VELOCIVS EVRO
LITTVS AD HESPERIVM POPVLO MIRANTE CARINAM
INTEREA ROMAM TAPORO VASTANTE TYRANNO
AVGVSTI IACVIT DONVM STVDIVMQ. LOCANDI
NON FASTV SPRETI SED QVOD NON CREDERET VLLVS
TANTÆ MOLIS OPVS SVPERAS CONSVRGERE IN AVRAS

## I I I I.

NVNC VELVTI RVRSVS RVFIS AVVLSA METALLIS
EMICVIT PVLSATQ. POLOS HÆC GLORIA DVDVM
AVCTORI SERVATA SVO CVM CÆDE TYRANNI
REDDITVR ATQVE ADITV ROMÆ VIRTVTE REPERTO
VICTOR OVANS VRBIQ. LOCAT SVBLIME TROPÆVM
PRINCIPIS ET MVNVS CONDIGNIS VSQVE TRIVMPIS

*Tropæum, ac Triumpus.*

Hiſce in Inſcriptionibus duæ voces, Tropæum, ſcilicet ac Triumpus, ſeſe mihi offerunt declarandæ, ne eis qui antiquam ſcribendi formam ignorant, menda eſſe videantur. Quod enim Latini Trophæum, Græci, aſpiratione prætermiſſa, Τροπαίον dicunt: quodq. Græci Θρίαμβον, Latini Triumphum appellant: hi namque ſcilicet Latini aſpirationem ex prima ſyllaba huius vocis Θρίαμβον in nouiſſimam transferentes, b, in p, mutata, Triumphum nunc dicunt. Etenim antiquiores Latini non in conſonantibus, ſed in vocalibus aſpiratione vtebantur, græcaſq. diphtongos frequenter adhibebant, vt ex vetuſto lapide ad Pontem Ceſtium clarum fit, ad parie-



parietem ſcilicet cuiuſdam domus, in qua hæc legitur Inſcriptio.

*Heic eſt ſepulcrum, hau pulcrum pulcrai femina*
*Nomen parentes nominarunt Claoudiam, &c.*

*Græcorũ ſcribendi modus.*

Vbi ponuntur heic pro hic, pulcrai pro pulcræ, et Claoudiam pro Claudiam, more Græcorum: et ſepulcrum ac pulcrum abſque aſpiratione. Ita etiam Niceporus, et Stepanus, pro Nicephoro, ac Stephano, et id genus aliæ dictiones permultæ ſine aſpiratione a veteribus ſcribebantur, ſicut Aldus Manutius Iunior, Vir quidem eruditus, et in Latinorum vetuſtiſſimis codicibus manuſcriptis, atque Inſcriptionibus optime verſatus, in ſua maiori Orthographia diffuſe docet. Angelus item Politianus ſuis in Miſcellaneis nummum argenteum apud Laurentium Medicem ſe vidiſſe teſtatur hiſce litteris, Triumpus. Sed ne Librariorum, vel eorum qui litteras incidebant, inſcitia id factum eſſe nonnulli credant, ea quæ de huiuſmodi ſcribendi genere Cicero ait, ſubſcribam. Ipſe enim in libro de Oratore, ſe hanc ſcribendi formam, hoc eſt, ſine aſpiratione in conſonantibus, ſequutum fuiſſe aperte fatetur, dicens: Quin ego ipſe, cum ſcirem ita Maiores locutos eſſe, vt nuſquã niſi in vocali aſpiratione vterentur, loquebar ſic, vt pulcrum, & Cetegos, Triumpos, Cartaginem dicerem: aliquando, idq. ſero, conuitio aurium, cum mihi extorta veritas eſſet, vſum loquendi populo conceſſi, ſcientiam mihi reſeruaui. Hæc Cicero. Nemo igitur admiretur, ſi Tropæum, ac Triumpus abſque aſpiratione pro Trophæo, ac Triumpho ab antiquis Latinis ſcribebantur, vt ex Inſcriptionibus ſuperius poſitis patet.

*Cicero de Orat. lõge poſt med.*

*Cor. Tac. libro 13. Strabo li. 17. Plin. lib. 36. c. 8. & 9. Diod. lib. 4. in prin.*

Notæ illæ inſtrumentorum, aliarumq. rerum, necnon animalium ſpecies, quæ in Obeliſco ipſo videntur inſculptæ, ſunt litteræ, quibus olim Ægyptij vtebantur, vt Strabo, Tacitus, Plinius, & Diodorus affirmant. Nam per ſpeciem Apis mella conficientis Regem indicabant: cui cum iucunditate moderante aculei debent ineſſe: per accipitrem, rem cito factam: per Ceruum, longæuum hominem: per Leonem fortitudinem, et vigilantiam: per manum, hominem ædificationis ſtudioſum, vel hominem laborioſum, ſiue opus: per oculum, prouidentiam: per ſerram maledicentiam: per falcem, tempus: per gladium, crudelitatem ſignificabant, et hunc in

C 2 modum

modum ſcribebant, variosq. animi ſenſus explicabant. Hæc pauca de huiuſmodi Hieroglyphicis, hoc eſt ſacris notis, vel ſculpturis, vt Budæo placet, perfunctorie mihi dicere viſum eſt, ne hoc ſcribendi genus, de quo quidem Orus Apollo, necnon Pierius Valerianus diffuſe ſcripſerunt, intactum penitus a me relinqueretur. Quæ autem hoc in Obeliſco Hieroglyphica cernuntur inciſa quamuis a nemine ad hanc vſque diem, quòd ſciam, fuerint declarata, quid ſcilicet ſingula quæque animalium, aliarumq. rerum nota ſibi velit; eorum tamen omnium ſenſum, vt apud Ammianum Marcellinum videre eſt, Græca interpretatione, Hermapion aliqua ex parte complexus eſt: Ammianus autem duorum tantum Obeliſci Laterum Inſcriptiones in Solis, vel magis in Rhameſtis Regis Ægypti laudẽ inciſas, ceteris duabus omiſſis, declarat: quas etiamſi Petrus Angelius Bargæus, quẽ ſemper honoris cauſa nomino, in Latinam tranſtulerit linguam, Hieronymi tamen Brunelli ex ſocietate Ieſu, Viri quidem eruditiſſimi, et optime Græcum Idioma callentis, verſionem nondum diuulgatam apponere hoc in loco libuit. Inſcriptiones autem ſunt quæ ſequuntur: *Amm. li. 17.*

*A PARTE AVSTRALI.*

*Hæc ſunt, quæ Regi Rhameſti donauimus: quem Sol amat et Apollo, qui omnem terrarum Orbem cum gaudio regit. Potens veritatis amicus, Filius Heronis Deo ſatus, conditor orbis terræ: quem Sol diligit, ac ceteris prætulit, ſtrenuus Martis Rex Rhameſtes, cui omnis terra cum vigore, et audacia ſubiecta eſt. Rex Rhameſtes, Solis Filius in æternum viuens.*

Verſus, vel Ordo ſecundus.

*Apollo potens, qui eſt reuera dominus diadematis, et Aegyptum glorificans poſſidet: qui Solis Vrbem ſplendidam reddidit, quiq. condidit reliquum Orbem terræ, et valde honorat Deos in Solis Ciuitate conſtitutos, quos amat Sol.*

Verſus, ſiue Ordo tertius.

*Apollo potens Solis Filius præfulgidus, quem Sol ceteris præfert, & Mars ſtrenuus muneribus ornat: cuius bona in omni tempore permanent: quem Ammon diligit, qui Phœnicis delubrum bonis expleuit: cui Dij vitæ tempus donauerunt. Apollo potens Filius Heronis, rex orbis terræ Rhameſtes, qui conſeruauit Aegyptum, alia gente deuicta: quem Sol amat: cui multum tempus vitæ donarunt Dij, dominus orbis terrarum Rhameſtes in æternum viuens.*



Alius Verſus, vel Ordo ſecundus.

*Sol Deus magnus Dominus cæli, dono tibi vitam ſine ſatietate: Apollo potens dominus diadematis incomparabilis, cui ſtatuas dicauit in hoc regno dominus Aegypti, et ornauit Solis Vrbem, ſimiliter et ipſum Solem, dominum cæli, qui fecit opus bonum, Solis Filius rex in ſempiternum viuens.*

Verſus, ſiue Ordo tertius.

*Sol Deus dominus cæli Rhameſti regi dono imperium, et in omnes poteſtatem: quem Apollo veritatis amicus, dominus temporum, & Vulcanus Deorum pater delegit, ac prætulit propter Martem Rex omni ex parte lætus Solis Filius, et qui a Sole amatur.*

A parte Orientali primus Verſus, vel Ordo.

*A Solis Vrbe magnus Deus incola cæli Apollo potens, Heronis filius, quem Sol diligit, quem Dij honorant: qui omnem terram regit, quem Sol præ ceteris delegit, ſtrenuus propter Martem Rex, quem Ammon amat, et præfulgidus eligens ſempiternum regem.*

Ceterorum laterum Obeliſci Inſcriptiones ab Ammiano fuerunt prætermiſſæ, quas in Hermapione reperiri credendum eſt, cum idem Ammianus ad earundem Inſcriptionum finem dicat: *Et reliqua:* Immo ex Inſcriptionum ordine multa alia omiſſa fuiſſe dijudicandum eſt. De Hieroglyphicis notis hactenus. Nunc reliquum eſt, vt alteram Emblematis partem Palatij ſcilicet Lateranenſis reſtitutionem exponamus.

Palatium, de quo hic agitur, vetuſtiſſimum erat Laterani cuiuſdam Ciuis Romani Conſulis deſignati, qui iuſſu Neronis interfectus eſt, & vt Hieronymi vtar verbis, Cæſariano truncatus eſt gladio. Poſt Lateranum, Ædes haſce, quas Iuuenalis appellat egregias, incoluit Conſtantinus Imperator, & ad fidem *Hier. to. 1 epi. 30.* *Sat. 10.*

fidem conuerſus, Siluestro Papæ, a quo hic fuerat baptizatus, donauit. Hinc ſancti Ioannis Baſilica, quæ varia ſortitur nomina, vt ſummatim in Emblemate ſecundo dictum eſt, Lateranenſis ad hunc vſque diem vocitatur, quòd eo in loco extructa ſit, vbi olim erat, teſte Hieronymo ad Marcellam, Palatium Lateranenſium clariſſimæ apud Romanos Familiæ. Dicta eſt etiam Conſtantiniana a Conſtantino magno, qui eam ædificauit, necnon Fauſtæ domus, ab eius vxore, Optato Mileuitano teſte: Aurea itē ab ornamētis, & diuitijs: & poſtremo Eccleſia ſancti Ioannis in Laterano, vel ob baptiſterium, in quo fuit baptizatus Conſtantinus a Silueſtro Papa, in ſancti Ioannis Baptiſtæ memoriam & honorem fuit appellata: vel ob Monachorum, ſeu fratrum Monaſterium titulo ſanctorum Ioannis Baptiſtæ, & Euangeliſtæ, & Pancratij ſub Ioanne I I I. Papa conſtructum iuxta eandem Lateranenſem Baſilicam, in qua dicti Fratres, vt Onuphrius in libro de ſeptem Vrbis Eccleſijs narrat, ſacras horas & Pſalmos canebant: Canonici vero ſacra tantum in ea faciebant, & ſacramenta omnia adminiſtrabant. Ea autem Eccleſia appellata eſt Baſilica, quaſi regalis a verbo Græco, vel quia fuit olim domus Imperatoria, vel quia Regi omniū Regum Deo ſacrificia inibi offeruntur. Auctor igitur Inſcriptionis Palatij reſtitutionem, & Obeliſci dedicationem tractans hunc in modum ait:

*Optatus Mileuit. lib. 1. contra Parmen.*

*Onuph. de ſept. Eccl.*

*INSCRIPTIO EMBLEMATIS.*

*Quintus reſtituit Laterana Palatia Sixtus,*
*Atque Obelum medias tranſtulit ante fores.*

HAEC Inſcriptio adeo facilis, & clara eſt, vt expoſitione non indigeat. Addā tamen Inſcriptionis Auctorē hoc in loco minus dixiſſe, & plura ſignificare voluiſſe, Palatij Lateranenſis reſtitutionem exponens, vt ex Palatio SIXTI V. iuſſu a fundamentis reſtituto, & in ditiorem, nobilioremq. formam, & vere Pontificiam redacto, aliaq. inibi inſtaurata, & in auguſtiorem ſpeciem reddita, geminaſq. porticus, & magnificentiſſimas quidem eiuſdem Baſilicæ aditui additas, inferiorem ſcilicet, & ſuperiorem, in qua ſummus Pontifex benedictionem die ſancto Paſchatis elargiri ſolet, necnon



necnon celeberrimam illam Scalam ſanctam pretioſo Chriſti ſanguine conſperſam in inſigniorem, commodioremq. locum translatā, ſacrarumq. hiſtoriarum picturis, alijsq. ornamentis ad deuotionē, meditationemq. excitantibus mirifice inſignitam facile quis intelligat. Nec ab re, vt reor, Blancus illud ingens ſaxum aſperrimum, læuigatum, & quadratum, & excelſum, Obeliſcum ſcilicet SIXTI V. iuſſu a Circo Maximo ante Lateranenſis Baſilicæ fores tranſlatum, & erectum, Obelum nominauit. Obeliſcus enim, vt nonnullis placet, diminutiuum nomen eſt ab Obelo maiore dictum. Hinc huiuſmodi lapidem, vt ſuſpicor, Obelum non Obeliſcum Blancus appellauit Plinium imitatus: eſt enim omnium Obeliſcorum, qui Romæ inuenti ſunt, maximus. Inſcriptiones autem nouæ ſunt quæ infra leguntur:

*Plin. lib. 36. ca. 11.*

I.

CONSTANTINVS PER CRVCEM VICTOR A S. SILVESTRO HIC BAPTIZATVS CRVCIS GLORIAM PROPAGAVIT.

I I.

FL. CONSTANTINVS MAXIMVS AVG. CHRISTIANÆ FIDEI VINDEX ET ASSERTOR OBELISCVM AB ÆGYPTIO REGE IMPVRO VOTO SOLI DEDICATVM SEDIB. AVVLSVM SVIS PER NILVM TRANSFERRI ALEXANDRIAM IVSSIT VT NOVAM ROMAM AB SE TVNC CONDITAM EO DECORARET MONVMENTO.

I I I.

FL. CONSTANTIVS AVG. CONSTANT. AVG. F. OBELISCVM A PATRE LOCO SVO MOTVM DIVQ. ALEXANDRIÆ IACENTEM TRECENTORVM REMIGVM IMPOSITVM NAVI MIRANDÆ VASTITATIS PER MARE TIBERIMQ. MAGNIS MOLIBVS, ROMAM CONVECTVM IN CIRCO MAX. PONENDVM S. P. Q. R. DD.

I I I I.

SIXTVS V. PONT. MAX. OBELISCVM HVNC SPECIE EXIMIA TEMPORVM CALAMITATE FRACTVM CIRCI MAX. RVINIS HVMO LIMOQ. ALTE DEMERSVM MVLTA IMPENSA EXTRAXIT HVNC IN LOCVM MAGNO LABORE TRANSTVLIT FORMÆQ. PRISTINÆ ACCVRATE RESTITVTVM CRVCI INVICTISSMÆ DICAVIT. A. M. D. LXXXVIII. PONT. IIII.

*Emble-*

*Emblema. VII.*

*De Fonte & Aqua Felici.*

HOc Emblemate, Fons a SIXTO V. in Quirinali colle, quem hodie Romanorum vulgus a duobus equis marmoreis, Phidiæ & Praxitelis operibus hoc in colle ſitis, Montem caballum appellant, magnificentiſſime conſtructus repræſentatur.

*INSCRIPTIO EMBLEMATIS.*

*Fons Felix celebri notus ſuper æthera verſu,*
*Romulea paſſim iugis in Vrbe fluit.*

*Aqua felix.* FONTEM hunc Inſcriptionis Auctor Felicem appellat, cuius etiam aquam Felicem ſtatuit nominandam SIXTVS V. qui ſicut olim Felix nomine proprio dicebatur, ita nunc ex re ipſa vocitari poteſt.

Felix igitur tum nomine tum re SIXTVS V. Felix item fons, Felix aqua, ea ſaltem nuncupatione quam Græci Metonimiam, Latini vero tranſnominationem, ſiue nominationem dicunt, hoc eſt, ea ratione qua domus læta nuncupatur, eo quia lætos homines reddit. Hunc ergo in modum hanc aquam Felicē appellare licet; propterea quòd ſua irrigatione felices colles, felices hortos, felices campos, felices denique eorundem locorum incolas reddit, cum dicta omnia ob nimiam aquarum penuriam infelicia quodam modo fuerint ad hāc vſque diem. Nunc enim Felix ipſa aqua ingenti copia & ſalubritate ſua Quirinalem & Exquilinum Colles reddit amænos, hinc excultos, & ſalubres. Hic interea fons a Blanco locutione Virgiliana ſuper æthera notus, appellatur, ideſt, varijs ab ipſo verſuū generibus inſigniter decātatus eo præſertim in libro ſuo, qui, Aquæ felices, inſcriptus eſt, vbi inter alia eleganter & ingenioſè explicata, in Ecloga Mopſi, & Tityri interlocutorum, quattuor verſibus tria comprehendit, mirificam ſcilicet Fontis ſtructuram, expenſas non modicas pro Aquis Felicibus



Felicibus in Vrbem deducendis, & pro hac re agenda incredibilem difficultatem & laborem, dicens:

*Aſpice, quàm longo ducantur fornice riui!*
*Aſpice, vt in Cælum moles ſubſtructa feratur!*
*Naturam ars ſuperat: fontes natura negauit*
*Montibus his: fontes ars montibus ipſa miniſtrat.*

HIS verſibus Blancus in tantarum rerum admirationem, ac ſtuporem tractus, expenſas ingentes innuit, cum dictas Aquas in Vrbem longo fornice, hoc eſt, vigeſimo ab Vrbe lapide collectas, & per longos Aquæductus tam arcuatos, quàm ſubterraneos ad Quirinalem vſque Montem adductas ait. *Fontis, et Aquæductus deſcriptio.* Id quod non niſi maximis impenſis fieri potuit. Difficultatem inſuper oſtendit, cum ipſam Naturam, quæ aquas Quirinali & Exquilino montibus negauit, ab arte ſuperatam fuiſſe inquit, aquæ natura reluctante, cuius eſt deorſum labi, non autem ſurſum ferri. Mirificam Fontis ſtructuram per admirationem innuit, cum molem in cælum vſque, hyperbolicè loquens, ſublatam eſſe dicat. Hic enim fons lapidibus marmoreis extructus, columnis, & ſaxis in Obeliſci formam exciſis, necnon hiſtorijs ad aquam pertinentibus, mira arte exculptis ornatur. Habet autem Fons tria aquæ magna, vt vulgo dicitur, Capita, ſiue Oſtia. Super horum mediū adſtat Moyſis ſtatua marmorea: Ad læuam ſuper alterum aquæ Caput, hiſtoria Gedeonis exculpta *Iudic. 7.* cernitur, quando ex decem millibus hominum trecenti tantum ſelecti fuerunt ad prœliandum: & hi ſunt qui ad aquas ducti, inſtar canum aquas lambere viſi ſunt, ceteris, qui cernui biberant, a prœlio excluſis. Ex altera parte ſuper tertium aquæ caput hiſtoria Moyſis, cum ex ſaxo ad Hebræorum *Num. 20.* murmurationem, aquam excuſſit. Qua de re extat ingenioſiſſimum Blanci Epigramma, quod eſt:

*Aegypti deſerto abiens, e viſcere montis*
*Antiquus Moſes eliciebat aquas:*
*Nunc alter Moſes in ſicci culmina montis*
*Sixtus aquas Roma ducit ab Vrbe procul.*
*Magna ambo: ſed vter fecit maiora, requires?*
*Mons illi, hic monti ſuppeditauit aquas.*

CERNVNTVR infra, ad Columnarum baſes, Leones quattuor marmorei aquam faucibus euomentes, quorum duo ſunt ex marmaridum lapide ſubnigro ſub ſuis baſibus cum Hieroglyphicis litteris. Hi autem in area Pantheonis inter duo porphyretica labra olim videbantur.

Supra fontis verticem inter duos Obeliſcos inſpiciuntur inſignia SIXTI V. a duobus Aligeris ſubleuata, ſuper quibus Montes Cruce ſanctiſſima inſigniti locati ſunt. In marmore autem hæc Inſcriptio cubitalibus litteris inſculpta legitur:

SIXTVS V. PONT. MAX. PICENVS
AQVAM EX AGRO COLVMNAE VIA
PRAENEST. SINISTRORSVM MVLTARVM
COLLECTIONE VENARVM DVCTV SINVOSO
A RECEPTACVLO MILL. XX. A CAPITE XXII.
ADDVXIT, FELICEMQ. DE NOMINE
ANTE PONT. DIXIT.

*Paulo Inferius:*

COEPIT PONT. A. I. ABSOLVIT III.
M. D. LXXXVII.

In huiuſce item rei teſtimonium intra Vrbis mœnia prope portam ſancti Laurentij, in arcu ipſius aquæductus ad eandem rem erecto hæc inſculpta extat Inſcriptio:

SIXTVS V. PONT. MAX.
DVCTVM AQVAE FELICIS
RIVO SVBTERRANEO MILL. PASS. XIII.
SVBSTRVCTIONE ARCVATA VII.
SVO SVMPTV EXTRVXIT.
ANNO DOM. M. D. LXXXV. PONT. I.

VT autem hoc tandem Emblema concludam, dicam tantum, Felicē Aquam huius Fontis in multas Vrbis partes late, & copioſe diffundi: ex eaq. Vrbem ipſam ſeſe quodā modo recreaſſe. Hinc Blancus in altero Inſcriptionis verſu ait: *Romulea paſſim iugis in Vrbe fluit*: hoc eſt, Roma a Romulo dicta, occultiori denominatione poſthabita, iugiter, multisq. in locis, Felicibus aquis irrigatur, opera & induſtria Ioannis Fontanæ, qui eas in Vrbem feliciter deduxit.



*In fronte Bibliothecæ ad læuam apparet*

*Emblema VIII. De Vijs.*

HOc Emblemate, Viæ nouæ & ampliſſimæ quidem repræſentantur, quas SIXTVS V. ab Exquilino monte in quandam ſideris formam ad loca diuerſa aperuit ac ſtrauit, collibus, & montibus explanatis. Quod quantam commoditatem populis ſacras Ædes extra Vrbem nouam viſentibus afferat, haud facile dici poteſt. Qua ex re peruigilem ſummi Paſtoris curam circa gregem ſuum nemo non ignorans velit nolit fateri cogitur, viam ampliorem, atque faciliorem ſibi reddi, qua quiſque ad ſacratiſſimas Baſilicas ire, ac demum inde ſideream ſibi Domum comparare queat. Id quod meo quidem iudicio ſiderea illa Viarum forma nos docet. Hinc Blancus ait:

*Viæ formã ſideris repræſentantes.*

INSCRIPTIO EMBLEMATIS.

*Dum rectas ad templa vias ſanctiſsima pandit,*
*Ipſe ſibi Sixtus pandit ad aſtra viam.*

MIRVM eſt, quanta carminis facilitate, & felicitate præſtet Blancus, qui non ſolum ob ingenij acumen cum Martiali, vt dixi, ſed etiam ob dicendi puritatem & facilitatem cum Ouidio eſt conferendus. Quod qui cetera, eaq. varia illius ſcripta non perſpexerit, vel ex hoc Diſticho facile iudicabit: & velut ex vngue Leonem dignoſcet. SIXTVS igitur V. vt dicam quod ex Blanci Diſticho deſumpſi, dum nobis nouas aperit Vias, & facile ad Baſilicas monſtrat iter, ampliſſimam ſibi ipſe Viam aperit ad Cælum.

De his Vijs in Arcu aquæductus Felicis aquæ intra Vrbis mœnia prope portam ſancti Laurentij hæc legitur Inſcriptio lapide inciſa.

SIXTVS V. PONT. MAX.
VIAS VTRASQVE
ET AD SANCTAM MARIAM MAIOREM
ET AD SANCTAM MARIAM ANGELORVM
AD POPVLI COMMODITATEM
ET DEVOTIONEM
LONGAS, LATASQ. SVA IMPENSA STRAVIT
ANNO DO. M. D. LXXXV. PONT. I.

---

*In fronte Bibliothecæ ad dextram partem apparet*

*Emblema.* IX.

*De Triplici continentia, ſiue caſtitate.*

EMBLEMATE hoc repræſentatur illud, quod prouidentia SIXTI V. opera, diuinoq. conſilio de ſeruanda continentia virginali, maritali, & viduali ſancitum fuit. Eſt autem hoc loco alluſio ad ipſum Pontificem per tres illos albos Montes in eiuſdem inſignibus poſitos, necnon per tres illas coronas Pontificias ad id quod Regnum mundi appellatur ſpectantes. Ponitur enim in ſummitate alborum Montium, qui puritatem & caſtitatem ſignificant, Virginum Chorus intra Coronam locatus, & circumſeptus. Secundo loco Viduarum Chorus altera Corona cernitur circumdatus. Poſtremo autē loco coniugatorum tertia Corona circumuallatus, & *Cōci. Flo. Decr. 10.* cuſtoditus cōſpicitur. Nam ſicut Virginitas Viduitati, ita nuptijs caſta viduitas laude ac merito præferenda eſt. Hic ordo adſimilis eſt verbis Matthæi loquentis de fructu centeſimo, ſaxage-



*Matt. 13.* ſexageſimo, ac trigeſimo. Virginibus enim centeſimus, Viduis ſexageſimus, Coniugatis vero trigeſimus debetur fructus in fertili Eccleſiæ agro, *Amb. lib. de Vid. to. 4.* quem integritatis flore vernantem; quem viduitatis grauitate pollentem; quem coniugij fructibus redundantem SIXTVS V. tamquam verus cultor omni labore colit, omniq. induſtria exornat, & omni denique vigilantia cuſtodit, vt Virginitas Angelorum vita hiſce in terris floreſcat, fructuq. centeſimo non defraudetur: viduitas fidei Magiſtra vigeat, & ſexageſimo non careat fructu: coniugaliſq. ſocietas fœcundet, fructuq. trigeſimo non priuetur, ſed quaſi in vnum iugum iuncta maneat, & perſeueret. Hinc Blancus de huiuſmodi beneficio a SIXTO V. erga Romam collato, ait:

*INSCRIPTIO EMBLEMATIS.*

*Virgo intacta manet, nec viuit adultera coniux;*
*Caſtaq. nunc Roma eſt, quæ fuit ante ſalax.*

SI QVIS profecto Blancum diligenter examinet, eum Martialem alterum iudicet, niſi quod ille Hiſpanus, hic Gallus: ille laſciuior, & Latini ſermonis non adeo candidus obſeruator, hic pudicitiæ, & puritatis Latinæ linguæ amator, & cultor: ille Domitiani Imperatoris res Romæ geſtas acutis Epigrammatis concludit, hic Mœcenatis ſui SIXTI V. præclara facinora ingenioſis verſibus Romę celebrat. Hoc vero admirabilius eſt, quod quæ Domitiani cecinit ille, hic eadem fere a SIXTO V. facta, ſed ſplendidiora, & Chriſtianam pietatem, Pontificiamq. poteſtatem omnino redolentia nunc decantat. Et vt pleraque alia miſſa faciam, vnum tantum proponam exemplum, quod ad rem noſtram mirifice facit. Ante enim Domitiani tempora adeo Romæ viguerat impudicitia, vt Martialis quodam in Epigrammate Domitiani laudes in reformanda Vrbe extollens, ac temporis acti licentiam, effrænatoſq. libidinis impetus exprobrans in huiuſmodi exclamationem proruperit:

*At prius, ò mores! et ſpado mœchus erat.*

Et alio in loco dum quamplurima eius merita erga Vrbem recen-

recenſet, eiq. Romam ob tot tantaq. beneficia plurimum debere fatetur, hunc in modum Imperatoris laudes concludit:

*Plus debet tibi Roma quòd pudica eſt.*

BLANCVS igitur ad id quod contra Stupratores, & adulteros à SIXTO V. ſancitum fuit, alludens, Romam nunc caſtam appellat, quæ fuit ante ſalax.

---

*Emblema. X.*

*De Sacello Sixtiano.*

HOC Emblemate repræſentatur Sacellum illud Sixtianum numquam ſatis laudatum, tum ob egregiam architecturam, ſtructuramq. magnificentiſſimam, diuerſorum generum lapidibus pretioſis, columnis, & ſtatuis marmoreis, pulcherrimisq. picturis, auroq. ornatam: tum maximè ob Chriſti infantis Domini, & Saluatoris noſtri Præſepe, quod hunc locum magis verendum, omniq. admiratione, atque deuotione ſpectandum, contemplandumq. reddit. Nam SIXTVS V. in ſuum hoc Sacellum tranſtulit dictum Præſepe, & in medio locauit: ad quod per gradus deſcenditur. Ex vno Sacelli latere, & Monumentum & Simulacrum Pij V. Ex altero autem Sepulchrum SIXTI V. ex marmore candenti onychino, aphrico, omnisq. alterius generis nobiliſſimo confecta cernuntur. Infra autem Simulacri Pij V. pedes hæc luculenta Epitaphia leguntur:

PIO V. PONT. MAX.
EX ORD. PRÆDICATORVM
SIXTVS V. PONT. MAX.
EX ORD. MINORVM
GRATI ANIMI MONVMENTVM
POSVIT.

Alterum



Alterum vero, quod illi mox ſubiungitur, in hanc verborum formulam extat:

PIVS V. GENTE GISLERIA. BOSCHI IN LIGVRIA NATVS, THEOLOGVS EXIMIVS: A PAVLO III. IN INSVBRIA HÆRETICÆ PRAVITATIS INQVISITOR, A IVLIO III. SANCTÆ INQVISITIONIS OFFICII COMMISSARIVS GENERALIS, A PAVLO IIII. EPISCOPVS SVTRINVS, DEINDE S. R. E. TT. S. MARIÆ SVPER MINERVAM PRESBYTER CARD. ET A PIO IIII. ECCLESIÆ MONTIS REGALIS, IN SVBALPINIS ADMINISTRATOR FACTVS: EO VITA FVNCTO, SVMMO CARDINALIVM CONSENSV PONT. MAX. CREATVR, QVI VETERES SANCTOS PONTIFICES ÆMVLATVS, CATHOLICAM FIDEM PROPAGAVIT, ECCLESIASTICAM DISCIPLINAM RESTITVIT, TANDEM GESTARVM RERVM GLORIA CLARVS, DVM MAIORA MOLITVR, TOTIVS CHRISTIANÆ REIPVB. DAMNO NOBIS ERIPITVR.
KAL. MAII M. D. LXXII. PONT. ANNO VII.
ÆTATIS SVÆ LXVIII.

Alijs etiam imaginibus vndique colluſtratur, quæ non hiſtoriæ inſtar narrant, ſed ob oculos ponunt præcipua quædam acta. Eſt ea in primis, qua apparatus pompaq. exprimitur, cum Pontifex creatus ſollemni ritu coronatur. A dextera eius cernitur actio figuris expreſſa, cum Marcum Antonium Columnam, claſſis Pontificiæ præfectum pronunciat, & conſtituit. A ſiniſtra extat etiam ad poſteritatem prodita, altera actio, qua Sfortiam, ſanctæ Floræ Comitem, Pontificij auxiliarij exercitus ducem, contra perduelles Karoli Noni, Galliæ Regis, Eccleſiæq. hoſtes decernit. Pugnæ naualis deſignatio, & claſſis Chriſtianæ cõtra Turcas ſtrenue ad Echinadas pugnantis deſcriptio, expreſſa item figuris, alio loco apparet, breuiq. at illuſtri narratur elogio hoc:

SELINVM, TVRCARVM TYRANNVM, MVLTIS INSOLENTEM VICTORIIS, INGENTI PARATA CLASSE, CYPROQ. EXPVGNATA, CHRISTIANIS EXTREMA MINITANTEM, PIVS V. FOEDERE CVM PHILIPPO II. HISPANIARVM REGE, AC REP. VEN. INITO, M. ANTONIVM COLVMNAM, PONTIFICIÆ CLASSI PRÆFICIENS, AD ECHINADAS, HOSTIBVS XXX. MILL. CÆSIS, X. MILL. IN POTESTATEM REDACTIS, TRIREMIBVS, CLXXX. CAPTIS, XC. DEMERSIS XV. MILL. CHRISTIANIS A SERVITVTE LIBERATIS, PRECIBVS, ET ARMIS DEVICIT.

Ex

Ex altera parte imago cernitur prœlij, & victoriæ, quę eo ipſo duce Sfortia, in Gallia de hæreticis reportata eſt: habetq. item inciſam inſcriptionem hanc:

GALLIAM CAROLO IX. REGE, PERDVELLIVM, HÆRETICORVMQ. NEFARIIS ARMIS VEXATAM, VT DE REGNO, DEQ. RELIGIONE ACTVM VIDERETVR, PIVS QVINTVS, SFORTIÆ, COMITIS SANCTÆ FLORÆ DVCTV, MISSIS EQVITVM, PEDITVMQ. AVXILIARIBVS COPIIS, PERICVLO EXEMIT. HOSTIBVSQ. DELETIS, VICTORIAM REPORTAVIT, REGI REGNVM CVM RELIGIONE RESTITVIT. SIGNA DE HOSTIBVS CAPTA, AD LATERANENSEM BASILICAM SVSPENDIT.

Habet præterea Sacellum hoc Sixtianum hemicyclia ſex ſuo loco diſpoſita: in quorum primo, Apoſtolorum Principis Petri, in altero Beati Pauli Apoſtoli, in tertio Sancti Dominici confeſſoris, in quarto Sancti Petri martyris, in quinto ſeraphici Franciſci, in ſexto Sancti Antonij Patauini ſimulacra marmore pulcherrimo exculpta cernuntur.

De his omnibus Petrus Galeſinius Proton. Apoſtolicus in tranſlatione corporis Pij V. eleganti & ſoluta ſcripſit oratione. Hæc igitur, & multo plura, quæ verbis explicare nemo poteſt, contemplatus Inſcriptionis Auctor, mira ſcilicet rerum pulchritudine, ſumma artis excellentia, & loci veneratione captus hunc in modum ait:

INSCRIPTIO EMBLEMATIS.

*Virginis abſiſtit mirari templa Dianæ,*
*Qui fanum hoc intrat, Virgo Maria, tuum.*

HISCE in Verſibus alluſio eſt Dianæ Virginis ad Beatam Mariam ſemper Virginem, Virginem ſcilicet ante partum, in partū, & poſt partum: Virginem ſine exemplo, Virginemq. vt multa paucis complectar, quæ nec ſibi ſimilē viſa eſt, nec habere ſequentem, vt Eccleſia ſacroſancta teſtatur. Blancus igitur, hac alluſione, & comparatione poetica Sacellum hoc ſanctæ Mariæ ad Præſepe dicatum oſtendit admirabilius eſſe Dianæ Templo, quod adnumeratum fuit inter ſeptem Mundi miracula, quæ ſunt Mauſoleum ab Artemiſia

*Antiph. ad Laud. Nat. Do.*

*Li.34.c.7*

miſia



miſia Cariæ Regina in memoriam viri extructum, Coloſſus ſolis apud Rhodios, Iouis olympiaci ſimulacrum ex ebore a Phidia factum, Muri Babylonis quos Semiramis Regina conſtituit, Pyramides in Ægypto, Domus Cyri Medorum Regis, quam Memnon arte prodiga, illigatis auro lapidibus, fabricauit, & Dianæ Epheſiæ Templum quod ſummæ magnificentiæ fuit, & admirationis apud priſcos, ducētis viginti annis factum a tota Aſia: cuius longitudo erat 425. pedum: latitudo vero 220. Columnæ centum viginti ſeptem a ſingulis Regibus factæ, ſexaginta pedū altitudine: & ex his triginta ſex cælatæ, vt apud Plinium fuſiſſime videre licet. Hoc autem Templum Heroſtratus Epheſius, homo ignauus & ſceleſtus ſuis manibus incendit, vt ea re nominis immortalitatem compararet.

*Septem mūdi miracula.*

*Lib.7. ca. 28. & lib. 36. cap. 5. & Strabo lib. 14.*

Vt igitur Blancus Dianæ Templum a Sacello Sixtiano ſuperatum eſſe indicet, Beatam Mariam ſemper Virginem alloquens ait: Qui tuum, Virgo, ingreditur Sacellum, Dianæ Templum admirari abſiſtit, ideſt, deſiſtit. Abſiſtere enim pro deſiſtere ponitur. Sic Virgilius: Abſiſte moueri: Abſiſte rogādo. Sic Claudianus: Abſiſte rogari. Sic & alij hoc verbo vſi ſunt. De hoc Sacello Sixtiano opus elegantiſſimum carmine Heroico in tres libros diſtinctum edidit Franciſcus Badeſius.

*Virg. 6. & 8. Æneid.*

---

*Emblema. X I.*

*De Obeliſco ad Aedes ſanctæ Mariæ de Populo erecto.*

EMBLEMATE hoc ob oculos ponitur Obeliſcus ille Hieroglyphicis inſignitus notis, & in Circo maximo olim locatus: nunc vero ante Ædes ſanctæ Mariæ de Populo a SIXTO V. tranſlatus, & erectus, ad ſanctiſſimā Chriſti Crucem ſuper Montes, ac Stellam in faſtigio Obeliſci poſitam ſuſtinendam, vt ſignificetur, hiſce in terris, atque in cælo Crucem ipſam regnare.

INSCRIPTIO EMBLEMATIS.

*Maximus eſt Obelus, Circus quem maximus olim*
*Condidit, & Sixtus maximus inde trahit.*

CIRCVS, in quo erat Obeliſcus hic, altitudinis centum & ſex palmorum citra baſim, appellabatur Maximus, vel

*Obeliſci altitudo.*

E quia

quia maximus erat Circorum omniū,qui quattuor erāt in Vrbe primarij, vel quia, teſte Annio Viterbienſi,Vertumno Iano Deorum maximo ab ipſis gētilibus ſacratus erat. Hic locus,in quo ludi fiebāt longitudine ſtadiorū triū,hoc eſt paſſuum 437. latitudine vero 125. a Tarquinio primū conſtructus, a Cæſare autē dictatore in ampliorem, & nobiliorem, ditioremq. formam 40000. Sextertijs redactus, ducēta & ſexaginta hominū millia ſedentiū capiebat. Hinc forſan Inſcriptionis Auctor ad magnitudinē Circi maximi alludere voluit dicens,maximum eſſe Obeliſcum,cū tamē Lateranenſi,& Vaticano ſit longe minor. Qui autē eū e Circo maximo ad hunc locum tranſtulit,& erexit,tum nomine, tum re non ſolum Pontificia poteſtate,ſed rebus etiam geſtis vere maximus eſt, & iure dici debet. In huius Obeliſci baſi hæc Inſcriptio olim inſculpta legebatur:

*Circi maximi longitudo,& latitudo.*

IMP. CAESAR DIVI F. AVGVSTVS
PONTIFEX MAXIMVS
IMP. XII. COS. XI. TRIB. POT. XIV.
ÆGYPTO IN POTESTATEM
POPVLI ROMANI REDACTA
SOLI DONVM DEDIT.

Inſcriptiones nouæ in Obeliſci baſi nondum exculptæ ſunt, hinc ipſæ hoc in loco apponi non potuerunt.

---

### *Emblema. XII.*
### *De Domo Mendicantium.*

HOc Emblemate repræſentatur ſumma SIXTI V. pietas, Domusq. Mendicantium vſui,magna liberalitate ab eodem ſummo Pontifice conſtructa. Hic enim tamquam verus Paſtor ſuis ouibus non ſolum panem ſpiritualem, ſed etiam corporalem præbere ſtudet, dum tot pauperes mendicitate laborantes vnum in locum cogit, atque inibi poſt largam annonam Vrbi comparatam, diuino primum verbo, deinde temporali cibo alendos, & cetera humanæ indigentiæ neceſſaria iiſdem ſubminiſtranda diligenter curat: nec amplius tot pauperes, tam ſenes, quàm iuuenes, & filios parentibus orbatos,



& mulieres,necnon Virgines,& Viduas gementes,auxiliumq. poſtulātes per Vrbem, & per Eccleſias turmatim ire patitur. Quod qui hodie fieri nō videt, ſed potius mēdicis Vrbē carere cernit,admirari non deſiſtit. Hinc Inſcriptionis Auctor huius nouitatis causā,interrogatione pręmiſſa,hūc in modū exponit.

*INSCRIPTIO EMBLEMATIS.*

*Quæris, cur tota non ſit mendicus in Vrbe:*
*Tecta parat Sixtus, ſuppeditatq. cibos.*

PVLCHRE dubium diluit, & admirationem tollit Inſcriptionis Auctor: potuiſſet enim vere admirari qui olim tot pauperes,& mendicos in Vrbe vidiſſet: vel qui modo tantū ad Vrbem acceſſiſſet, & in tanta hominū frequētia nullum mendicum cerneret. Itaque Inſcriptionis Auctor ait: *Tecta parat* SIXTVS: Id pertinet ad Ptochodochium, ideſt ad locū mendicis recipiēdis deſtinatum. *Suppeditatq. cibos*: Id ſpectat ad Ptochotrophium,ideſt ad locum mendicis alēdis paratum. Hinc domus hæc Mendicantium dicta,a SIXTO V. conſtructa,& Ptochodochium,& Ptochotrophium ſimul eſt: in quā domum recipiuntur,& inibi aluntur mendici. In cuius rei teſtimonium ad portam Domus hæc Inſcriptio marmore inciſa legitur:

SIXTVS V. PONT. MAX. PICENVS
PAVPERIBVS PIE ALENDIS
NE PANE VERBOQ. CAREANT
MVLTO SVO COEMPTAS AERE
HAS ÆDES EXTRVXIT
APTAVIT AMPLIAVIT
PERPETVO CENSV DOTAVIT
ANNO D. M. D. LXXXVII. PONT. II.

---

### *Emblema. XIII.*
### *De ſtatua ſancti Pauli in Columnæ faſtigio locata.*

HOc Emblemate repræſentatur Dedicatio Statuæ æneæ S. Pauli ſuper Columnam Cochlidem Antonianam a SIXTO V. collocatæ. Hæc Columna altitudinis palmorū 279. citra baſim gradus marmoreos intrinſecus ducentos ſex,& feneſtellas ſexaginta ſex habēs, Antonino Imperatori,cognomento

Pio, ob pietatem, & clementiā ſibi ab hominibus adſcriptam, a M. Antonio philoſopho, eius filio adoptiuo erecta, & varijs eiuſdē geſtis & victorijs miro artificio exſculpta, dedicata eſt.

† *De hac hiſtoria vide infra pag. 283.*

Hic, anno Domini CXXXX. regnare cœpit, & Euſebio teſte, primus permiſit, vt Reſurrectio Dominico die celebraretur. Simulacrum eius in faſtigio huius Columnę, vt in numiſmatis videre licet, olim cernebatur: nunc vero SIXTI V. iuſſu ſanctiſſimo, Statua S. Pauli iure conſpicitur. Quare Inſcriptionis Auctor ait:

*Euſeb. in Chron. Volaterr. & alij.*

*INSCRIPTIO EMBLEMATIS.*

*Iure Antoninum Paulo vis, Sixte, ſubeſſe:*
*Nam vere hic pius eſt, impius ille Pius.*

ELEGANTEM nominis, et rei alluſionem tangit Blancus, dum rationem reddit, cur SIXTVS V. Antonino Pio columnam ademerit, vt eam Paulo daret: nimirum, quia Paulus vere pius, fuit Chriſtianæ pietatis diſſeminator, Doctor egregius, & fortiſſimus Chriſti athleta: ille vero, licet pietatis politicæ nomen ſortitus fuerit, re tamen ipſa ethnica impietate pollutus extitit, & vera fortitudine & eloquentia, quibus Imperator falſo laudabatur, ab eodē Paulo longe ſuperatus fuit. Itaque nō ſolū ob dictas rationes in Columna Antoniana triumphū iure agit, verumetiā ob eam cauſam, quæ de Petro in Columna Traiana triumphū gerente in Emblemate quarto fuit aſſignata. Inſcriptiones nouæ in Columnam incidendæ ad hanc vſque diem inciſæ non ſunt; hinc ipſæ hoc in Emblemate apponi non potuerunt.

---

*Emblema. XIIII.*

*De Tranſlatione Pÿ V.*

PIVS V. Pont. Max. vitæ ſanctimonia clariſſimus in Baſilica ſancti Petri Tumulo non ſatis nobili iacebat: SIXTVS autem V. grato erga illum animo in Sacello ſuo Monumentum magnificentiſſimum eidem extruxit: illiusq. corpus ſollemni pompa, magnaq. cuiuſuis ordinis hominum frequentia eo transferri iuſſit.



*INSCRIPTIO EMBLEMATIS.*

*Transfers Sixte Pium: transferre an dignior alter,*
*Transferri an vero dignior alter erat?*

SVBTILIS eſt Inſcriptionis Auctor, & paucis verbis multa complectitur, dū ait: Transferri Pium V. a SIXTO V. hoc eſt, Pontificem digniſſimum a Pontifice digniſſimo, neque digniorem a digniore potuiſſe transferri. De hac tranſlatione Petrus Galeſinius Proton. Apoſt. eleganter, et erudite ſcripſit.

---

*Emblema. XV.*

*De Obeliſco ad Aedes S. Mariæ ad Præſepe ſito.*

HOC Emblema eſt Obeliſci, quem Octauius Auguſtus erexit in Mauſoleo quod in Valle Martia non procul ab Ædibus ſancti Rocchi ſibi & poſteris Auguſtis magnificentiſſime conſtruxit. In hoc celeberrimo ſepulchro erant ſtatuæ æneæ, atque marmoreæ cum inſcriptione Pacis, & Victoriæ & P. P. ad honorem ipſius Auguſti. Erant præterea ingentes, & pulcherrimæ columnæ cum parietibus marmoreis, porphyreticisq. lapidibus incruſtatis. Mauſoleum autem erat in excelſis fundatum molibus lapide niueo, & perpetuæ viriditatis arboribus coopertum in ſummum vſque verticem ad fluminis ripam exaggeratum: & in eius ſummitate locatum fuerat Cæſaris Auguſti ſimulacrum ex ære fabricatum, duoq. Obeliſci Mauſoleum ornabant, quorū vnus altitud. palmorū 70. eſt: quem ante ſancti Rocchi Ædes humi iacentem ad Baſilicam ſanctæ Mariæ Maioris, vbi eſt Chriſti Præſepe, SIXTVS V. tranſtulit, & erexit. Hinc Inſcriptionis Auctor ait:

*Obeliſci altitudo.*

*INSCRIPTIO EMBLEMATIS.*

*Qui Regum tumulis Obeliſcus ſeruijt olim,*
*Ad cunas Chriſti, tu pie Sixte, locas.*

PAVCA in fronte, ſed a tergo multa hoc videtur continere diſtichon per huiuſmodi antitheton Tumuli, & Cuna-

Cunarum, mortis ſcilicet, & vitæ, Tyrannorum & veri Regis Chriſti, Saluatoris noſtri. Inſcriptionis enim Auctor his duobus verſibus dicta omnia, multoq. plura cōprehendere viſus eſt, dū ait hunc Obeliſcum inſeruijſſe olim Tumulis, & ſempiternæ morti Regum, nunc vero ſeruire naſcenti Chriſto, Regi regū, ac veræ, æternæq. vitæ Auctori. Hinc quanto præſtantior eſt vita æterna, quàm mors numquam finem habitura, ita Obeliſcus præſtantius ſibi munus, & obſequiū comparauit. Quare non immerito Ioannes Chryſoſtomus vitā noſtram e Chriſti ortu naſcentem animo reuoluens, Saluatoris noſtri natiuitatem omnium feſtorum metropolim eſſe aſſeuerauit. Inſcriptiones ſunt quæ ſequuntur:

*Io. Chryſ. to. 3. in fine de beato Philogonio.*

I.

CHRISTVS PER INVICTAM CRVCEM POPVLO PACEM PRÆBEAT, QVI AVGVSTI PACE IN PRÆSEPE NASCI VOLVIT.

II.

CHRISTVM DOMINVM, QVEM AVGVSTVS DE VIRGINE NASCITVRVM VIVENS ADORAVIT, SEQ. DEINCEPS DOMINVM DICI VETVIT, ADORO.

III.

SIXTVS V. PONT. MAX. OBELISCVM ÆGYPTO ADVECTVM AVGVSTO IN EIVS MAVSOLEO DICATVM EVERSVM DEINDE ET IN PLVRES CONFRACTVM PARTES IN VIA AD SANCTVM ROCCHVM IACENTEM IN PRISTINAM FACIEM RESTITVTVM SALVTIFERÆ CRVCI FELICIVS HIC ERIGI IVSSIT, ANNO D. M. D. LXXXVII. PONT. III.

IIII.

CHRISTI DEI IN ÆTERNVM VIVENTIS CVNABVLA LÆTISSIME COLO QVI MORTVI SEPVLCHRO AVGVSTI TRISTIS SERVIEBAM.

---

## *Emblema. XVI.*

### *De Triremibus, ſiue de Claſſe Pontificia.*

EMBLEMA, quod ad dexterā introitus Bibliothecæ Vaticanæ primo cernitur, Claſſem Pontificiā cōplectitur: quam SIXTVS V. ad abigendos piratas, qui noſtra Italiæ maria frequenter infeſtabant, & in ipſum Italicum ſolum non raro incurrebant, & omni ferocitate graſſabantur. De SIXTI V.

Triremi-



Triremibus elegantiſſime & erudite ſcripſit Antonius Quarengus, vir perpolitis quidem litteris ornatus.

Hoc autem animaduerſione dignum eſt, reſpondere ſibi inuicem, & ex aduerſo loco ſita eſſe hæc duo Emblemata, liberationis ſcilicet Italiæ, quod a læua primum apparet: & hoc Claſſis Pontificiæ, quod vt diximus, primum a dextra conſpicitur. Id quod factum eſt, vt ex vna parte, Terra ipſa prædonibus liberata, & ex altera ſit Mare piratis perpurgandum. Hinc Inſcriptionis Auctor ait:

*INSCRIPTIO EMBLEMATIS.*

*Inſtruit hîc Sixtus claſſes, quibus æquora purget,*
*Et Solymos victos ſub ſua iura trahat.*

MIRVM non eſt, hoc loco Inſcriptionis Auctorē non ſolum de piratis expellendis, verumetiam de ſacro bello, & Turcarum extirpatione agere, cum alibi, præſertim vero in ſuo Euchariſtico carmine omnes ingenij ſui vires & neruos videatur intendiſſe ad bellum in Turcas concitandum, & promulgādum. Hoc itē ſuperioribus diebus declarauit elegantiſſimo illo Epigrammate, quod hunc in modum exorditus eſt:

*Poſtquam Italis victos exegit finibus hoſtes*
*Et mihi adhuc reſtant æquora, Sixtus ait.*

Sed quamuis Blancus id aperte dixerit, ego tamen ex eo Nauis Emblemate recondita quædam intelligenda eſſe ſuſpicor, dum arcana contemplor antiquorum, qui hoc commento, ſiue potius Hieroglyphico non ſolum manifeſtam oppugnationem contra hoſtes, tutelam pro ſe, refugium, atque ſecuritatem, verum etiam ſalutem & felicitatem præſeferre ſtudebant. Id quod ex numiſmate Iani, qui in Italiam venit, nobis planum fit, in cuius numiſmatis altera parte Nauis: & ex altera ipſe Ianus geminus in æs incidebantur. Qua de re Ouidius hunc morem ſcrutatus dixit:

*At bona poſteritas puppim ſignauit in ære*
*Hoſpitis aduentum teſtificata Dei.*

Ex hoc numiſmate manauit ad Poſteros luſus quidam, ſed myſticus, & in quibuſdam Europæ partibus ad hanc vſque

diem

diem ſeruatus,& a paucis intellectus, quo pueri denarios in ſublime iactantes,exclamabant, aut caput, aut nauim : quorum altero, poſt firmatum humi nummum, inſpecto, eius erat victoria, qui diuinaſſet : cuius luſus genus hodie in Italia ſub nomine ſanctiſſimæ Crucis, per quem ſalus noſtra aduenit, & ſub Sancti nomine fieri ſolet. Manauit inde in poſteriores Romanos vſus incidendæ Nauis in numiſmata, ſicut videre eſt in Adriani nummo: in cuius altera facie Nauis, cum his litteris: S. C. Cos. III. P. P. cernitur: in altera vero hæc legitur inſcriptio: Felicitati Aug. Idem in Auguſti nummo cum eadem inſcriptione conſpicitur. Nauis item felicitatis, & ſalutis indicium erat apud Athenienſes, vt Plato in Phædone teſtatur. Chriſtiana tandem pietas feliciſſimi ſucceſſus, & ſalutis ſuæ ſignum habet, Nauem ipſam cũ Piſcatore Petro tam in familiari ſummmi Pontificis annulo, quàm in aureis Apoſtolici fiſci nummis expreſſam felicitatem, & ſalutem tot annis antea præmonſtratam, ſed ab ijs, qui verum Deum ignorauerunt, non intellectam. Quod enim Ouidius de Naue Iani dixit:

*Plato in Phædone.*

*Hoſpitis aduentum teſtificata Dei,*

Sumptum fuit ex altiori diſciplina ab eo ignota, qua homines admoniti forent, hoſpitem aduenturum, Petrum ſcilicet Chriſti Vicarium, qui Naue, hoc eſt in Eccleſia, verum Dei cultum, & ſalutem humano generi ſubminiſtraret, vt factum eſt. Quod etiam, ni fallor, numiſmata quædam, quæ nuper ad manus meas peruenerunt, præſeferre videtur: in quorum altera parte SIXTI V. effigies: in altera vero Nauis conſpicitur cum hac Inſcriptione: *Terra, Mari ſecuritas:* quæ profecto ſecuritas, & ſalus ex Pontificatu SIXTI V. mirum in modum in Chriſtiano Orbe vigent.

De omnibus pene rebus hucuſque a me explanatis, & a SIXTO V. Pontifice Maximo præclare geſtis Ioannes Franciſcus Bordinus, varia carmina elegiaca ſuperiori anno edidit, & figuras ipſas ſuo in libello repræſentauit. Hæc de Emblematis. Nunc reliquum eſt, vt ad Bibliothecas accedamus.





# DE BIBLIOTHECIS AD LAEVAM BIBLIOTHECAE VATICANÆ

*PER FEDERICVM RANALDVM Valuen. Bibliothecæ cuſtodem excogitatis, & per Petrum Galeſinium Proton. Apoſt. & Siluium Antonianum ſacri Collegij illuſtriſſimorum S. R. E. Card. ſecretarium diſpoſitis, atque Inſcriptionibus illuſtratis, & per Pictores penicillo repræſentatis.*

BIBLIOTHECARVM vſus apud omnes Populos, Hebræos ſcilicet, Græcos, Latinos, atque Barbaros frequentiſſimus fuit ſemper. Id quod non ſine ratione factum eſſe aſſeuerandum eſt, cum viuos Præceptores habere ſemper nobis nõ liceat, aut ſaltem non ſemper doctos & præclaros Viros. Hinc a Regibus olim, & Imperatoribus, & locupletibus hominibus, bonarumq. artium cultoribus, vel certe earundẽ amatoribus iã inde a priſcis illis temporibus ad hanc vſque diem Bibliothecæ in pretio fuerunt, vt in ijs optimorum auctorum libri reconderentur: & ex ijſdem ſuo item tempore tamquam e penu depromerentur. Inſtitutum, eſt vere inſigne, & omni ex parte laudandum: & antequam Typographica ars fuiſſet inuenta, ſummopere neceſſarium, vt veterum ſcripta ab interitu, & diſciplinæ ab obliuione vindicarentur. Harum rerum, Typographiæ ſcilicet ac Bibliothecæ inſtitutum SIXTVS V. ad omnia præclara, & Pontificia ſane opera, omniq. laude, admirationeq. digna conficienda natus, veterum omnium ingenia, generoſoſq. animos, eorumq. operam tum ingenti rerum geſtarum copia, tum etiam magnitudine, atque præſtantia longe ſuperãs, maiorem in modum præſtitit. Illam enim in Vaticano ad ſanctorum Patrum codices reſtituendos, Catholicamq. diſciplinam

toto terrarum orbe propagandam inſtituit. Hanc autē ad veterum Scriptorum monumenta excolenda, atque conſeruanda publicæ ſtudioſorum commoditati, vniuerſæq. Reip. Chriſtianæ vtilitati, feliciter, vt ſolet omnia, omniũq. admiratione, reſtituit. Ad huius vero Bibliothecæ ornatũ, omniumq. litteratorum ſolatium, inſigniores ac vetuſtiores Bibliothecæ nō ſolum ſacræ, ſed etiã profanæ per Pictores in pariete expreſſæ, repræſentãtur: quarũ prima Hebræa eſt, vt infra videre licet.

---

### *BIBLIOTHECA HEBRAEA*
*in ſiniſtro angulo depicta Bibliothecam Vaticanam ingredienti primum ſeſe offert.*

BIBLIOTHECA Hebræa in Templo erat, vbi Prophetarum libri, & Iudicum ac Regum acta aſſeruabantur: & iam inde a Moyſe ex diuino iuſſu ortum habuit: Deus enim, Amalech deuicto, dixit Moyſi: Scribe hoc ob monimentum in Libro, & trade auribus Ioſue. Hinc de huiuſmodi Bibliotheca in 2. Machabæorum libro apertē legitur hunc in modum: Inferebantur autem in deſcriptionibus & commentarijs Nehemiæ hæc eadem, & qualiter conſtruens Bibliothecam, congregauit de regionibus libros & Prophetarum, & Dauid, & epiſtolas Regum, & de donarijs. Moyſes denique, vt in Deuteronomio legitur, poſtquam verba legis conſcripſit, Leuitis, qui fœderis Arcam portabant, præcepit dicens: Tollite librũ iſtum, & ponite eum in latere Arcę fœderis Domini Dei veſtri, vt ſit ibi contra te in teſtimonium. Id quod in prima ſiniſtri anguli parte repræſentatur, vbi Moyſes Leuitis iuxta fœderis Arcam adſtantibus librum porrigere cernitur. Quam rem Inſcriptio hunc in modum expreſſe declarat:

*Exod. 17.* — *2. Mac. 2.* — *Deut. 31.*

*Moyſes librum legis Leuitis*
*in Tabernaculo reponendum tradit.*

---

EX altera anguli parte nonnullæ imagines depictæ Bibliothecam diligenter tractare videntur, vbi repræſentatur



Bibliotheca illa, quam Eſdras ſacerdos & ſcriba poſt incēſam legem a Chaldæis, cum Iudæi regreſſi ſunt in Hieruſalem, diuino afflatus ſpiritu reparauit, cunctaq. legis ac Prophetarum volumina, quæ fuerunt a Gentibus corrupta, accurate, vt Rabanus Maurus ait, correxit: totumq. vetus Teſtamentum in duos & viginti libros diſtinxit, vt tot libri eſſent in lege, quot litteræ apud Hebræos habentur. Hic item non ſolum libros emendauit, ſed etiam præter illos duos canonicos, qui ſub eius nomine in Biblijs ſacris leguntur, quattuor ac ducentos libros edidit, vt nos teſtatum legimus: ex quibus ſeptuaginta libros non niſi ſapientibus tradendos eſſe ait. Hinc nonnulli ſuſpicati ſunt Cabbalam apud Hebræos ab ipſo collectam fuiſſe, huiusq. generis libros Picus Mirandulanus mirum naturæ Monſtrum ſeſe habuiſſe ſcribit. Hic igitur Eſdras, vt miſſa iſthæc faciamus, non ſolum libros corruptos correxit, aliosq. confecit, ſed Bibliothecam hebræam reſtituit, reſtitutam auxit, & auctam diligenter conſeruandam curauit, vt videtur præſeferre Inſcriptio, quæ in hanc legitur formam:

*Iſid. Hiſpal. li. 7. etymol. cap. 3.* — *De Inſtit. Cler. cap. 54.* — *Geneb. li. 2. Chron.* — *Ex 4. lib. Eſdræ nō canonico cap. 14.*

*Eſdras Sacerdos, & Scriba*
*Bibliothecam ſacram reſtituit.*

---

### *SCHOLA BABYLONICA*
*in primo interfeneſtrio depicta.*

IN primo Interfeneſtrio Schola Babylonica iuſſu Nabuchodonoſor regis inſtituta repræſentatur: in ea enim pueri, in quibus nō erat macula, forma elegātes, & decori, & de regio ſemine orti, litteras & linguam Chaldæorum docebãtur, vt inibi per tres annos victu regio enutriti coram rege deinde ſtare, eiuſdēq. Regis negotia tractare poſſent. Hac in Schola, Daniel Propheta de ſtirpe Dauid regia adhuc fere infans captiuus e Iudæa in Babyloniam perductus vna cum Anania, Azaria, & Miſaele ſocijs puerulis cernitur. Hi Chaldæorum linguam, eorumq. artes, omnes per trium annorum ſpatium

*Anno mũdi 3568.* — *Dan. 1.*

 didice-

didicerunt, non vt doctrinam Babylonicam ſequerentur, ſed vt eam reprobarent, ſicut de Moyſe legitur, qui eodem conſilio omnem ſapientiam Ægyptiorum adeptus fuit. Hi propter abſtinentiam, ac diuinæ legis obedientiam cibis regijs veſci noluerunt, ſed leguminibus tantum,& aqua contenti ceteris ſapientiores, & pulchriores alijs,qui cibo regio veſcebantur, reperti ſunt: per quos deinde apud Chaldæos, & Perſas Dei religio late propagata fuit. Daniel vero omnium viſionum, & ſomniorum intelligentiam a Deo accepit: & vir factus, vt ait Epiphanius, fuit adſpectu aridiſſimus, & ſqualore obſitus: in fauore autem,& gratia perquàm ſpecioſus. Triennio expleto, Daniel cũ ſocijs a Rege accerſitur per Eunuchorum Præpoſitum, qui cum Eunucho, cui horũ puerorum cura demandata fuerat,hac de accerſione nonnullis præſtolantibus loqui præſefert. Hac in ſchola Danielem, treſq. eius ſocios, necnon & alios litterarum ſtudio operam nauantes videre eſt: quorum alij legere, alij ſcribere, alij vero meditari videntur. Huius Scholæ Inſcriptio eſt:

*Diſt. 37. Qui de menſa.* — *Dan. 1.* — *Dan. 2.* — *Epiph. de vita prophet.*

*Daniel, & ſocij linguam, ſcientiamq. Chaldæorum ediſcunt.*

---

EX altera huiuſce Interfeneſtrij parte complures imagines conſpiciuntur, quæ conſultationem,ſiue potius decretum perquirendum de Templi inſtauratione repræſentant, vt Inſcriptio, quæ eo loci legitur, aperte declarat his verbis:

*Eſdræ 1. cap. 5.6.*

*Cyri Decretum de Templi inſtauratione Darij iuſſu perquiritur.*

Vt autem ambiguitates de inſtauratione Templi e medio tollantur, nonnihil dicere operæpretium duxi. Templum Domini a Salomone anno ab Orbe condito 3146. conſtruitur annis centum & quadraginta tribus, prius quam Tyrij Carthaginem Coloniam conderent, Ioſepho teſte. Hoc Templum auguſtiſſimum fuit, & omni admiratione dignum, ita vero, vt illa ſeptem Mundi miracula longe ſuperarit: conſtructumq. fuit centum quinquaginta tribus millibus Proſelytarum inter Iſraelitas inuentis, qui ad lapicidinas,

*Genebr. li. 1. Chrõ. anno mũdi 3146.* — *Libro 8. antiq.* — *2. Paralip. 2. & 3. Reg. 7.*

cidinas,



cidinas, & ad lapides, & ſaxa in opportunũ locum aſportanda operas ſuas præſtarent. Anno vero ab orbe condito 3569. tam Hieruſalem, quàm Templum in tertia captiuitate a Babylonijs ſolo æquatur. Anno autem mundi 3638. Templi inſtauratio a Cyro conceditur, & a Zorobabele,fundamenta iaciũtur, ſed iuſſu Artaxerxis ſtructura intermiſſa,anno 2. Darij longimani perficitur. Anno autem Mundi 4157.& anno Chriſti 69. inuito & renitente Tito, Templum hoc a militibus inceſum fuit,ita vt humana induſtria ignis extingui nõ potuerit. Ter Templum deinde Iudæi inſtaurare conati ſunt, ſub Hadriano,ſub Conſtantino Magno,& Iuliano Apoſtata, qui non ſolum a vita monaſticha, vt fertur, ſed etiam a Catholica fide deſciuit. Hic, vt ait Ioannes Chryſoſtomus, omnium Imperatorum impijſſimus bonos ſanctosq. mores, Chriſtianamq. vitam euertere ſtuduit, dum monaſticham vitam profeſſos fœdiſſima ſæuitia necandos, ſcholas item claudendas, ſacros codices omnes comburendos, & eccleſias deuaſtandas curabat, Eccleſiæq. hoſtes, & apoſtatas fouebat. Hic denique, tamquam Chriſti hoſtis ſceleſtiſſimus, vt eius nomen omnino deleret, ſi potuiſſet, anno a Chriſti Saluatoris noſtri ortu 356. pro Templo Iudæis iterum,hoc eſt tertia vice, ædificãdo, etſi ipſe Idolis ſeruiebat, pecunias tamen contulit, & artifices vndique euocauit furens,vt Domini ſententiam euerteret, qui Templum Salomonicum deinceps inſtaurari non patitur. Hinc, vt ait Ioannes Chryſoſtomus, cum artifices hoc tam impium ſcelus tentaſſent, fundamentaq. aperire cœpiſſent, multamq. terram exhauſiſſent, reſtaretq. vt iam ſtructuram aggrederentur; protinus ignis exiliens e fundamentis multos exuſſit, & intempeſtiuam atque impiam pertinaciam interrupit. Quare hoc exemplo Iudæi, ſuum ipſorum ſtatum funditus deletum eſſe, nec eum amplius inſtauratum iri monentur, Deo ita iubente, qui cum infirmitati noſtrę prouidens Eccleſiam ſuam ſanctam, & catholicam amplificari vellet, omnia illa ſubuerti & penitus tolli ita voluit,vt ſine vlla cunctatione illis ceſſantibus, hæc vera eſſe, pro quibus in illis typus præceſſerat,crederemus. Erat enim prius Hieruſalẽ vrbs magna et regalis, at vbi Templum Dei CHRISTVS venit, qui cæleſtis Hieruſalẽ cœpit aperire myſteria, deleta illa terrena,

*Genebr. li. 1 Chrõ. anno mũdi 3146. & 3638.* — *Eſdr. 1. cap. 3.4.* — *Eſdræ lib. 3. non canonico c. 5. & 6.* — *Geneb. li. 2. Chron. an. Chriſti 69.* — *Homil. 3. aduers. Iudæos to. 5.* — *Homil. vt ſup. ad finem.* — *Geneb. li. 2. Chron. anno mũdi 4157.*

eo in

eo in templo lapis ſuper lapidem non remanſit. Erat prius Pontifex ſanguine taurorum, & hircorum purificans populum: ſed ex quo verus apparuit Pontifex, qui credentes ſuo purificaret ſanguine, nuſquam eſt ille Pontifex prior, nec vllus ei locus relictus. Altare fuit prius, & ſacrificia celebrabantur: ſed vbi venit verus AGNVS qui ſeipſum hoſtiam obtulit DEO, cuncta illa velut in tempus poſita ceſſauerunt. Hæc ex Origene. Non eſt igitur quòd Iudæi tertium Templum materiale amplius expectent: tertium enim Templum ſpirituale aduenit CHRISTVS, qui de ſeipſo, hoc eſt de Templo corporis ſui dixit: Diſſoluam Templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud. Inſtauratio autem, quæ hoc in loco memoratur, eſt de ſecundo Templo, quod Zorobabel inchoauit, vt in tertio libro, qui Eſdræ dicitur, videre eſt. Hic enim & quartus quãuis canonici non ſint, ſunt tamen alicuius auctoritatis. Hæc de Schola Babylonica, necnon de Templi inſtauratione. Nunc reliqua perſequamur.

*Hom. 10. in Leuit.*

*Mar. 14.*

*Eſdr. lib. 3. cap. 5.*

---

## BIBLIOTHECA GRAECA.

IN ſecundo Interfeneſtrio Bibliotheca Græcorum repræſentatur: in cuius priori parte Piſiſtratus Athenienſium Tyrannus, in ſecunda vero Seleucus Macedoniæ Rex, Nicanor dictus, vna cum alijs imaginibus depicti cernuntur. Piſiſtratus enim primus in Græcia creditur Bibliothecam inſtituiſſe: quam deinceps ab Athenienſibus auctam Xerxes Perſarum Rex Athenarum potitus abſtulit, & ad Perſas aſportauit. Seleucus vero longo poſt tempore Athenas referendam curauit. Id quod Inſcriptiones, quæ infra leguntur, aperte docent: quarum prior in hanc legitur formam:

*Gell. li. 6. Noct. ca. 17.*

*Piſiſtratus primus apud Græcos*
*Bibliothecam inſtituit.*

Altera vero:

*Seleucus Bibliothecam a Xerxe*
*aſportatam referendam curat.*

BIBLIO



## BIBLIOTHECA ALEXANDRINA.

POST Græcam Bibliothecam in eodem Interfeneſtrio ſequitur Bibliotheca Alexandrina, ab Alexandria Ciuitate nomen ſuſcipiẽs, & a Ptolemæo Philadelpho; Ægypti Rege, & Stratonis diſcipulo, constructa. Hic enim, quod ad Bibliothecæ ſtudium pertinet, cum Piſiſtratum æmularetur, maximis impenſis vndique conquiſitos libros deſcribi curauit, ſeptuagintaq. vel vt ait Gell. ſeptingentis voluminum millibus Bibliothecam inſtruit, quam vt ſacris etiam codicibus inſigniret, vetus Teſtamentum ex Hebræo in Græcam linguã per ſeptuaginta duos Interpretes ab Eleazaro Iudæorum Pontifice ad hanc rem pręſtandam ſelectos trecentis plus minus ante Chriſtum natum annis transferri curauit. Quod vt ab eodem Eleazaro facilius impetraret, Iudæos, ad centum viginti millia libertati reſtituit, & auri quinquaginta talenta ad crateras, & libatoria faciẽda, necnon & gemmas fere innumeras Hieroſolymam miſit. Hi autem ſeptuaginta duo viri apud Pharum Nili inſulã in ſingulis cellulis ſinguli, vt ait Auguſtinus, ſeorſum locati Biblia interpretati ſunt, tanta Spiritus ſancti virtute, vt in omnibus plane conuenirent, & ne in minimo quidem verbo diſcreparent, oracula de CHRISTO obſcuriora, necnon de Sanctiſſima Trinitate Spiritus ſancti inſtinctu contegentes, ne Ptolemæo eorum myſteriorum non capaci ſcandalum afferrent, & ne canibus ſanctum darent. Bello tandem Alexandrino, quod Iulius Cæſar contra Ptolemæum geſſit, vt Cleopatram ab ipſo pulſam reſtitueret, cum Vrbs a Cæſare fuiſſet incenſa, hæc etiam Bibliotheca deflagrauit, Tranſlatione ſeptuaginta Interpretum, ob diuinam prouidentiam, ſeruata. Huius Bibliothecæ Præfectus erat Demetrius Phalereus vir doctiſſimus, ac Theophraſti diſcipulus. Quare in prima huius Interfeneſtrij parte Ptolemæus rex, Demetrius Bibliothecarius, & Ariſteas ὑπερασπιςὴς Regis, cernuntur, dum ille Bibliothecam ingenti librorum copia ſtruendam curat, & Veteris Teſtamenti tranſlationem procurandam ſtudet. In altera vero parte ſeptuaginta Interpretes ſacros Codices Ptolemæo

*Ioſeph. li. 11. cap. 2. Euſeb. li. 5. hiſt. Eccl.*

*Gell. li. 6. Noct. cap. 17.*

*Ariſteas Philadelphi ὑπερασπιςὴς*

*Iuſtinus Mart. Apol. 1. ad Gent.*

*Aug. lib. 18. de Ciuit. Dei c. 42.*

*Geneb. li. 2. chron.*

*Ariſteas protector Regis. Ex Hiero. ep. 104. to. 3.*

lemæo

lemæo Regi offerre conſpiciuntur. Inſcriptiones autem ad haſce res explicandas ſunt duæ, quarum prima eſt:

*Ptolemæus ingenti Bibliotheca inſtructa Hebræorum libros concupiſcit.*

Altera vero eſt:

*LXXII. Interpretes ab Eleazaro miſsi ſacros libros Ptolemæo reddunt.*

---

### *BIBLIOTHECA ROMANORVM in tertio Interfeneſtrio depicta.*

*Pub. Vict.*

*Gell. lib. 11. Noct. cap. 17.*

BIBLIOTHECAE publicæ, vnde triginta fuiſſe Romæ perhibentur, ex ijs autem duas ſaltem præcipuas, Palatinam ſcilicet, & Vlpiam extitiſſe narrant hiſtorici: hæc ab Vlpio Traiano, vt ait Gellius, in Templo fuit inſtituta: illa vero ab Auguſto in Palatino monte & in Apollinis templo tam Græcorum quàm Latinorum codicum copia mirifice fuit conſtructa, vt Suetonius, & Plinius teſtantur. Fuerunt item priuatæ Bibliothecæ permultæ, Domitiana, & Gordiana, necnon Iuliana, ſiue Cæſariana Græcis Latinisq. ſcriptis refertiſſima a Iulio Cæſare Marco Varroni commiſſa. Primus autem qui in Vrbem librorum copiam aduexit, fuit Paulus Æmilius, Porſena Macedonum rege deuicto. Sed Aſinius Pollio Romæ primus tam Græcas quàm Latinas Bibliothecas promulgauit, additis Auctorum imaginibus in atrio de manubijs magnificentiſſime conſtructo.

*Plin. lib. 34. cap. 7.*

*Suet. Trãquillus.*

*Plin. lib. 35. ca. 2. & lib. 7. cap. 30.*

*Gell. li. 1. Noct. cap. 10.*

*Virg. Ecl. 4.*

In hoc autem Interfeneſtrio de libris Sibyllinis hiſtoria, Palatinaq. Bibliotheca repræſentantur: vbi mulier quædam, Sibylla ſcilicet Cumæa, vt ſuſpicor, tres libros venales manu geſtans, coram Tarquinio ſuperbo rege, ſex alijs exuſtis, quos omnes oracula continere affirmabat, adſtare cernitur. Tarquinius enim pretium percontatus eſt: quod cum ſibi nimium & immenſum videretur, riſit, tantiq. eos nouem codices emere noluit: hinc mulier illa foculum coram eo igni appo-



appoſuit, tresq. libros ex nouem combuſſit. Id quod ſecunda etiam vice de tribus alijs factum fuit, Tarquinio de pretio percontante, idemq. pretium de ſex reliquis libris Muliere poſtulante. Hinc tertia vice Tarquinius reliquos tres libros mercatur nihilo minore pretio quàm quod pro omnibus nouem fuerat poſtulatum. Quo facto, Mulier illa, vt ait Gellius, a Tarquinio digreſſa, nuſquam poſtea loci viſa fuit. Tres autẽ libri in Sacrarium repoſiti, Sibyllini fuerunt appellati: & ad eos quaſi ad Oraculum quindecim viri adibant, cum Romani aliqua de re publica falſos conſulere Deos cupiebant. Inſcriptio ad hanc rem pertinens, hiſce legitur verbis:

*Gell. lib. 1. ca. 19.*

*Tarquinius ſuperbus libros Sibyllinos tres, alijs a Muliere incenſis, tandem emit.*

---

IN altera huius Interfeneſtrij parte Auguſtus Cæſar inter litteratos, Virgilium ſcilicet & Horatium Poetas laurea decoratos, ceterosq. bonarũ artium cultores, adſtare cernitur: eiusq. Palatina, & pulcherrima quidem Bibliotheca, Latina videlicet & Græca repræſentatur, in qua Numeriani Imperatoris, & Marci Varronis viuentis Statuæ, teſte Pollione, fuerant locatæ. Inſcriptio huius Bibliothecæ hæc eſt:

*Auguſtus Cæſar, Palatina Bibliotheca magnifice ornata, viros litteratos fouet.*

---

### *BIBLIOTHECA HIEROSOLYMITANA in quarto Interfeneſtrio depicta.*

ECCLESIASTICI Viri, poſt Apoſtolorum tempora, hęreticis paſſim ingruentibus, ſumma cura, & pietate adlaborarũt, vt Catholicorum ſcripta, ſacrarumq. litterarũ interpretationes in Bibliothecas, quas in Templis habebant, reponerentur. Quod factum ſane fuit, vt, cum ab illis viua ſemper voce erudiri homines non poſſint, litterarum ſaltem monimentis erudiantur. Quam profecto rem Alexander Epiſcopus

*Euſeb. li. 6. ca. 14. Et Hierõ. de Viris illuſt. to. 1. Et Niceph. Call. li. 7.*

 Hiero-

Hieroſolymitanus celeberrimus, qui Martyr ſub Decio in carcere obijt, egregie quidem præſtitit. Hic enim Hieroſolymis inſignem Bibliothecam inſtituit, in quam virorum Eccleſiaſticorum ſcripta repoſuit, Berilli, Hippolyti, Caij & aliorum quibus ſe adiutum in ſcribenda hiſtoria Eccleſiaſtica Euſebius teſtatur. Floruit Alexander circa annum Domini 254. temporibus Clementis Alexandrini, Origenis, & Narciſſi: & extrema iam ſenectute, venerandaq. canicie eximius, vt idem ait Euſebius, & per pictores repræſentatur, Cæſareæ perilluſtre Chriſtianæ fidei teſtimonium præſidis tribunali dedit, bonum certans certamen, ſtolamq. ſanguine imbuens Epiſcopalem. Hoc igitur in loco Hieroſolymitana repræſentatur Bibliotheca, in qua tres præſertim viros inſignes, Diaconibus, & Clericis ſcribentibus, & id genus alia facientibus, videre licet, Alexandrum ſcilicet, & Narciſſum, qui, eodem Euſebio teſte, centū & ſexdecim annos vixit, adſidentes, & Origenē adſtantem, cum hic annos circiter triginta tunc temporis natus eſſet. Huius Bibliothecæ Inſcriptio legitur hunc in modum:

*Euſeb. li. 6. hiſtor. Eccl. ca. 32. & in Chro. Niceph. li. 5. cap. 27.*

*S. Alexander Epiſc. & Mart. Decio Imp. in magna temporum acerbitate ſacrorum Scriptorum libros Hieroſolymis congregat.*

---

## BIBLIOTHECA CAESARIENSIS in quinto Interfeneſtrio depicta.

CÆSAREA, Vrbs Paleſtinæ, non procul a Monte Carmelo in littore Maris magni, quæ Turris Stratonis vocitabatur, ab Herode in honorem Cæſaris ædificata, Cæſarea denique nuncupata fuit. Hac in ciuitate Pamphilus Laodicenus Cæſareæ Paleſtinæ presbyter, qui glorioſo tandem martyrio fuit decoratus, Bibliothecam inſignem magno ſtudio conſtruxit, opera Euſebij Epiſcopi, cui maxima familiaritate coniunctus erat, adiutus, Piſiſtratum in ſacrorum codicum ingenti coaceruatione adæquare contendens. Hic enim ſua in Bibliotheca ad triginta voluminum millia habuiſſe, ſuaq. manu maxi-

*Euſeb. in Chron.*

*Hiero. de Viris il-luſt. to. 1.*

mam



mam partem librorum Origenis deſcripſiſſe narratur. Quæ omnia Hieronymus & Gennadius, Eccleſiaſticos ſcriptores toto terrarum Orbe inquirentes, miro ordine proſequuti ſunt: eorumq. ſtudia vno voluminis Indiculo comprehenderunt. Quare hac in Bibliotheca S. Pamphilus, Euſebius Epiſcopus, & Hieronymus conſpiciuntur: Pamphilus videlicet ex vna parte, ex altera vero Hieronymus actum ſcribendi repræſentantes. Ad Hieronymi pedes leo iacere cernitur, ſicut paſſim pingi ſolet, vt ex eo, ſi hac in re coniectari fas eſt, declaretur, maximum ſibi in eremo degenti cum belluis fuiſſe vſum & conſuetudinem, vt ipſemet hiſce fatetur verbis: O quoties (inquit) ego ipſe in eremo conſtitutus, & in illa vaſta ſolitudine, quæ exuſta ſolis ardoribus horridum monachis præſtat habitaculum, putabam me Romanis intereſſe delicijs. Sedebam ſolus, quia amaritudine repletus eram: horrebant ſacco membra deformia: & ſqualida cutis ſitum æthiopicæ carnis obduxerat: quotidie lacrymæ, quotidie gemitus: & ſi quando repugnantem ſomnus imminens oppreſſiſſet, nuda humo vix oſſa hærentia collidebam: de cibis vero, & potu taceo, cum etiam languentes monachi aqua frigida vtantur, & coctum aliquid accepiſſe, luxuria ſit. Ille igitur ego, qui ob gehennæ metum tali me carcere ipſe damnaueram, ſcorpionum tantum ſocius & ferarum, ſæpe choris intereram puellarum. Hæc S. Hieronymus ad Euſtochium ſcribens. Ex quibus verbis eum inter feras in Eremo fuiſſe late patet: hinc, ſi conijcere licet, leonem ſecum habere pingitur. In hac vero Bibliotheca, legendi ſcribendiq. actu ipſe repræſentatur: propterea quòd eam, aliaſq. permultas vidiſſe, contrectaſſe, necnon diligēter lectitaſſe perhibetur. Euſebius autem in medio adſtans libros inquirendi, ſeu poſtulandi actum præſeferre videtur. Ceteri vero vel libros compaginare, vel diſponere hinc inde cernuntur. Huius Bibliothecæ Inſcriptio legitur in hanc verborum formam:

*Hierony. to. 1. ep. 22.*

*Hierō. de viris il-luſt. to. 1.*

*S. Pamphilus Preſb. & Mart. admirandæ ſanctitatis, & doctrinæ Cæſareæ ſacram Bibliothecam conficit, multos libros ſua manu deſcribit.*

*BIBLIOTHECA ROMANORVM PONTIFICVM in angulo ad læuam frontiſpicij Bibliothecæ depicta.*

BIBLIOTHECAM Pontificiam iam inde a Petro, primo Chriſti Vicario ortũ habuiſſe, & a Bibliorum codicibus, præſertimq. Euangelijs, Epiſtolis Petri, Pauli, Iacobi, Ioannis, & Iudæ, necnon Apoſtolorum Actis, & Ioannis Apocalypſi, deinde Epiſtolis Decretalibus, vel Conſultationibus ſiue Conſtitutionibus Synodalibus, vel rebus id genus alijs per ſummos Pontifices eiuſdem Chriſti Vicarios, & Petri ſucceſſores incrementum paulatim accepiſſe credendum eſt. Huius rei indicium luculentiſſimum ex eo haberi poteſt, quòd teſte Hieronymo, ex cunctis Chriſtiani orbis partibus ad Archiuũ Romanũ, in quo œcumenica Concilia aſſeruabantur, pro dubiorũ ſolutione frequẽter confugiebatur, vel, cũ in Canone aliquo quid, corruptum vel deprauatũ eſſe iudicabatur. Id quod etiã ex quodam S. Gregorij Magni loco planum fit, qui, cum dubitatio ſeu difficultas quędã de Epheſino concilio orta fuiſſet, ait: Romani Codices multo veriores ſunt quàm Græci. Ex concilio item Romano Gelaſij tempore celebrato, in quo de Archiuo & Scrinio Romanis, deq. Bibliothecarijs, Scribis, & Notarijs, & Scriniarijs frequens cõmemoratio fit, Eccleſiã Romanam ingenti librorum copia abundaſſe dicendũ eſt. Ex libro denique Pontificali, conſtat Hilarum ſanctum duas in Palatio Lateranenſi conſtruxiſſe Bibliothecas, quæ, vt dictum eſt, a S. Petro originem traxerũt. Hinc in priori anguli parte S. Petrus repræſentatur, qui vni, genuflexo, alijs adſtantibus, mandare videtur, vt ſacros Codices ſuper altare poſitos aſſeruandos curaret. Hæc autem ſacros Codices aſſeruandi cura fuiſſe demandata iudicatur, cum Petrus ab vrbe decedere, & in Galliam, atque in Hiſpaniam, necnon in alias Prouincias proficiſci ſtatuit, vt Chriſtianam fidem propagaret, ac promulgaret, ſicut re ipſa fecit: tunc enim, Linum & Cletum Diaconos, ſuos item diſcipulos, corepiſcopos, ſeu coadiutores inſtituit, eisq. Eccleſiaſticas functiones Romæ commiſit: Cleto autem Clementem, Petri & Pauli auditorem, ſucceſſiſſe

S. Igna-

*Athanaſ. ad Marcũ Papã.*

*Hierõ. ad Pãmach. ep. 52. to. 2. Et Euſeb. li. 18. c. 11.*

*Regiſt. li. 5. ep. 14.*

*Hilarus Pontifex, nõ Hilarius, vt a nonnullis falſo ſcribitur.*



S. Ignatius eiuſdem Petri diſcipulus & Chriſti Martyr affirmat. Id quod ſacro Miſſæ Canoni ſatis conſonum eſſe videtur, vbi prius quidem Linus, deinde Cletus, tertio autem loco Clemens leguntur. Nec ſilentio prætereundum eſt, nonnullos ratos fuiſſe eundem cũ Cleto Anacletum. Hinc Cæſar Baronius in Annalibus Eccleſiaſticis ait ex Ignatij teſtimonio, Clementem Cleto ſucceſſiſſe, atque ita pro Anacleto legendũ eſſe: nam in eiuſdem Ignatij epiſtola, Anacleto Clemens non Cleto ſucceſſiſſe legitur. Sed quia de huiuſmodi hiſtoria, dictorũq. Petri ſucceſſorũ ordine maxima eſt inter Scriptores controuerſia, ſatis eſt eam tetigiſſe, pro ea ſcilicet re exponenda, quæ ad noſtrũ negocium pertinet. Qui vero de hac controuerſia varias Scriptorum opiniones, necnon ſententias videre cupit, ad Annales Eccleſiaſticos Cæſaris Baronij cõfugiat, qui huius generis difficultatem fuſiſſime, & eruditiſſime quidem pertractat. Vt autem ad rem noſtram reuertamur, ſicut Bibliothecam Vaticanam iam inde a Petro ortum traxiſſe, ita etiam ab eodem de ea conſeruãda curam Succeſſori ſuo fuiſſe demandatam, coniectari licet, vt ex Inſcriptione, quæ infra legitur, videre eſt:

*S. Petrus ſacrorum librorum Theſaurum*
*in Rom. Eccleſia perpetuo aſſeruari iubet.*

*S. Ignat. epi. 4. ad Mariam Caſſobolиten.*

*Tomo 1. an. Chriſti 69.*

---

IN altera huius anguli parte Summi Pontifices repræſentantur, qui Bibliothecam Vaticanam inſtituerunt, vel auxerunt, ſiue conſeruarunt. Hæc primum, vt dictum eſt, in Lateranenſi Patriarchio fuit, vbi olim Romani Pontifices reſidebant: deinde Auenionem, quò Romanam ſedem Clemens V. aduexit, tranſlata, Martini V. opera Romam iterum perducta, in Vaticano tandem ſita eſt, vbi Pontifices reſidere ſolent. Quamuis autẽ multi eam in dies auxerint, duo tamen ſummi Pontifices Bibliothecam in Vaticano inſigniter conſtruxerunt, & auxerunt, hoc eſt, Nicolaus V. Pont. Max. natione Lunenſis ex oppido Sarazano, qui miſſis doctis viris conquirendorum vndique Codicum gratia, vt Volaterranus teſtatur, Bibliothecam Vaticanam ampliorẽ reddidit, confuſis eouſque, ſparſisq. libris, neque vllo certo, aut digno loco interclufis.

*Volaterr. libro 22. Anthrop.*

tercluſis. Hanc item Sixtus IV. non ſolum amplificauit, ſed etiam in nobiliorem locum repoſuit, honeſtiori ſtructura exornauit, armarijs, pluteisq. digeſſit; atque Eccleſiæ decori, ſtudioſorumq. conſuluit cõmoditati. Sed SIXTVS V. ita eam rebus quibuſcumque illuſtrem reddidit, vt ceteros omnes, qui Bibliothecas inſtituerunt, facile ſuperarit. Inſcriptio, quæ infra legitur, hæc eſt:

*Romani Pontifices Apoſtol. Bibliothecam magno ſtudio amplificant, atque illuſtrant.*

Huic Vaticanæ, & Apoſtolicæ Bibliothecæ aliquem ſemper & vitæ probitate, ac doctrina Virum inſignem præfuiſſe credendum eſt. Qui autem ipſi Bibliothecæ præerat, in Romana curia & Bibliothecarius & Cancellarius aliquando fuit appellatus, cuius munus erat, codices omnes accuratiſſime cuſtodire, Bullas, ſeu Diplomata, vel Epiſtolas decretales ſummorum Pontificum ſcribere, necnon dictare, actaq. Conciliorum, & ſynodalia, idq. genus alia exſcribere, & conſeruare. Quæ item noſtra ætate Sedis Apoſtolicæ faciunt Cancellarij, ea omnia huius generis Præfectus præſtare ſolebat: isq. Papæ amanuenſis, ſiue ſcribarum princeps, vel a ſecretis poterat nuncupari: Bibliotheca enim Pontificia velut Cancellaria, vtq. hoc tempore loquimur, Secretaria quædam erat.

*De Præfectis Bibliothecæ Vaticanæ.*

*Trittemius de Scrip. Eccle. et Platina in vita Leonis 4.*

GRegorius II. in Patriarchio nutritus, & a Sergio Papa Subdiaconus, & Sacellarius, ac poſtmodum Diaconus creatus Bibliothecæ Lateranenſis curam ſuſcepit, vt Anaſtaſius Apoſtolicæ olim Bibliothecæ inſtaurator, & cuſtos affirmat.

Bartholomæus Platina Cremonenſis vir ſuo tempore doctiſſimus, Scriptor Apoſtolicus, & Sixti IV. familiaris, vt alios Bibliothecarios, de quibus nihil ſcriptum reperire potui, ſilentio inuoluam, Bibliothecæ Vaticanæ ab eodem Sixto IV. Pontificatus Anno VI. M. CD. LXXV. Præfectus fuit inſtitutus: atque huiuſmodi munus perpetuũ fore decretum eſt.

Bartholomæo Platinæ Bartholomæus Manfredus Clericus Britonnenſis Diœceſis, linguarum peritia inſignis, eo demortuo

tuo



tuo, ſucceſſit Anno XI. eiuſdem Pontificatus M. CD. LXXXI. Poſt hos creati ſunt temporibus ſuis qui ſequuntur.

Chriſtophorus perſona Romanus Prior ſanctæ Balbinæ creatus Anno M. CD. XXCIV.

Ioannes de Dionyſijs Venetus Anno M. CD. XXCVII.

Hieronymus Cathalanus Archidiaconus Barcinonẽſis, qui fuit Alexandri VI. cubicularius, Anno M. CD. XCIII. eiuſdemq. Pontificatus anno II.

Ioannes Fonſalida Hiſpanus Epiſcopus Interannẽſis Anno M. CD. XCV.

Fr. Volaterranus Archiepiſcopus Raguſinus Anno M. D. V.

Thomas Ingeramius, alias Phædrus Volaterranus. M. D. X.

Philippus Beroaldus Iunior Bononienſis, An. M. D. XVI.

Fr. Zenobius Accarolus Florentinus ordinis Prædicatorum Anno M. D. XVIII.

Hieronymus Aleander Carnus Archiepiſcopus Brunduſinus Cardinalis, Anno M. D. XXXVII.

Auguſtinus Steuchus Eugubinus Epiſcopus Chiſamenſis cõgregationis ſancti Saluatoris Bononiẽſis, An. M. D. XXXVIII.

Marcellus Ceruinus Politianus Presbyter Cardinalis, qui fuit Pontifex, a Paulo III. creatus, Anno M. D. XLIIX.

Robertus de Nobilis Politianus Diaconus Cardinalis a Paulo IV. creatus, Anno M. D. LV.

Alphonſus Carafa Neapolitanus Diaconus Cardinalis, Anno M. D. LVIII.

Marcus Antonius Amulius Presbyter Cardinalis Venetus, Anno M. D. LXV.

Guilielmus Sirletus Presbyter Card. Calaber, An. M. D. LXXII.

Antonius Carafa Neapolitanus Presbyter Cardinalis a SIXTO V. Bibliothecarius, Anno M. D. XXCV. creatus ad hanc vſque diem Bibliothecæ fungitur præfectura.

*De Cuſtodibus Bibliothecæ Vaticanæ.*

VT autem tot millium librorum curæ, atque conſeruationi melius incumbi poſſet, idem Sixtus IV. duos Cuſtodes fidei ſpectatæ, ac diligentiæ Viros, qui Bibliothecarium iuuarent, inſtituit: atque huiuſmodi cuſtodiam perpetuo duraturam decreuit, ſicut de Bibliothecario dictum eſt. Inter

Cuſto-

Cuſtodes vero, vt ceteros, qui iam inde ab eo tempore fuerunt, præteream, hoc munere functi ſunt, Fauſtus Sabeus, & Nicolaus Maioranus Hydruntinus: huic vero per promotionem ad Epiſcopatum Monopolitanum ſucceſſit Guilielmus Sirletus Squillacenſis. Huic autē per promotionē ad Protonotariatū (qui tādem presbyter fuit Cardinalis, & Bibliothecarius creatus M. D. LX.) ſucceſſit Hieronymus Sirletus Guilielmi frater.

Fauſto Sabeo ſucceſſit Federicus Ranaldus Valuen. & Hieronymo Sirleto ſucceſſit Marinus Ranaldus Valuen. Federici frater: atque ambo tēpus in præſens Bibliothecam ipſam Vaticanam ſumma fidelitate, ſummaq. induſtria, incredibiliq. labore pertractant, cuſtodiunt, omniq. ex parte conſeruant.

*De Librarijs, vel Scriptoribus Bibliothecæ Vaticanæ, Librorumq. numero.*

SIXTVS IV. vt Bibliothecæ Vaticanæ vtilitati, omni conatu conſuleret, tres Librarios, hoc eſt, codices & ſcripta deſcribentes, Latinum ſcilicet, Græcum, & Hebræum inſtituit: quibus Paulus IV. tres alios, duos videlicet Græcos, vnumq. Latinum adiunxit.

Marcellus autem Ceruinus, qui olim Bibliothecarius fuit, librorum correctores, &, vt ſic dixerim, reuiſores duos inſtituit.

SIXTVS vero V. qui in rebus præclaris conficiundis a nemine ſuperatur, ſed ipſe potius ceteros omnes longe ſuperare videtur, vt nihil ad Bibliothecæ Vaticanæ decus & ornamentum, nihilq. ad publicam vtilitatem, atque commoditatem præſtandam deſiderari poſſet, multa alia, multoq. maiora omnia ſtudioſe molitur, Bibliothecamq. ipſam Vaticanam, Viris doctiſſimis ita exornat, vtilitatibus & commoditatibus, ornamentiſq. ita auget, vt nihil hac nobilius, nil celebrius, nil denique, quod ad Bibliothecas pertinet, poſt hominum memoriam glorioſius vmquam fuerit. Hac in Bibliotheca Vaticana omni ſcientiarum linguarumq. genere refertiſſima, Codices præſertim manuſcripti, & innumeri quidem, miro ordine aſſeruantur, & cuſtodiuntur. Hæc hactenus. Nunc reliquum eſt, vt cetera perſequamur.

DE



# DE CONCILIIS AD DEXTERAM
## BIBLIOTHECÆ VATICANÆ depictis.

IAM inde a priſcis illis temporibus tum apud Hebræos tum etiam apud alias Nationes Concilia & Conuētus pro diſſidijs ſeu litibus dirimendis, erroribusq. corrigendis, ſiue rebus decernendis, ac legibus ſanciēdis publice haberi cœperunt. Sic Aegyptios ac Perſas, vt narrat Herodotus, ſic Moyſen & Ioſue habito Populorū Conuentu factitaſſe Ioſephus teſtatur. Sed vt Populi Hebræi, aliarumq. Gētium exempla ad hanc rem pertinētia ſilentio prętermittā, Apoſtolorum Concilia poſt Chriſti aduentum celebrata breuiter recenſebo: deinde ad Synodos Generales in Bibliotheca Vaticana Pictorum penicillo repræſentatas ſtatim aggrediar deſcribendas.

*Hered.l.2. Ioſephus de Antiq.*

Concilium Hieroſolymitanum primum fuit de electione Mathiæ, vt habetur in actibus Apoſtolorum. Secundum de ſeptem Diaconorum electione. Tertium de Circumciſione gentibus non imponenda. Quartum de legalium ad tempus permiſſione donec Synagoga cum honore ſepeliretur, vt Beda, Carthuſianus, & alij teſtantur.

*Act. 1. Act. 6. Act. 15. Act. 21.*

Primum fuit ſtatim poſt Chriſti Aſcenſionem. Secundum anno primo poſt Chriſti mortem ante conuerſionem Pauli, qui & eodem anno conuerſus eſt. Tertium anno quartodecimo poſt Chriſti Aſcenſionem, & Pauli conuerſionem ſub Petro & reliquis Apoſtolis, Claudij tempore Imperatoris. Quartum autem non multo poſt etiam ſub Petro. Sed tunc temporis tam Apoſtolorum quàm Presbyterorum Synodus, vt habetur in Actibus Apoſtolicis, cogebatur. Hinc ſummi Pontifices Concilia habere cœperunt. *Act. 15.*

Cornelius autem primus omnium in Vrbe Roma ſexaginta Epiſcoporum, totidemq. Presbyterorum, ac Diaconorum

H contra

contra hæreſim Nouatianam Synodum habuiſſe creditur: primusq. omnium Marcellus ſanciuit, nullum Conuentum indici licere, nullumq. a quibuſuis actum haberi ratum ſine Romani Pontificis auctoritate. Id quod Iulius etiam, Damaſus, & Gregorius ſummi Pontifices ſtatuerunt, ſeu potius ſtatutum confirmarunt.

Quamuis autem multa Concilia generalia, necnon & alia ab Imperatoribus, ac Regibus fuerint congregata, vt Anaſtaſius Germonius, Archidiaconus Taurinēſis vir in vtriuſque iuris ſcientia apprime eruditus, ac bonarum artium peritiſſimus diffuſe, & exacte quidē in ſuo Libro de Sacr. Immunitat. narrat, ſummorū tamē Pontificum permiſſu, ſeu potius hortatu, vt idem Germonius plene docet, fuerunt indicta. Hæc hactenus: nunc reliquum eſt, vt ad inſtitutum noſtrum accedamus.

*Lib. 2. cap. 12. de Auct. Pot. et Immun. Eccl.*

---

# DE CONCILIO NICAENO PRIMO

## *A tergo introitus Bibliothecæ Vaticanæ ad dextram repræſentato.*

CVM Romani Principes, quorum Imperio Vniuerſus fere terrarum Orbis olim ſubijciebatur, paſſim in Chriſtianum nomen ſæuirent, Concilia Eccleſiaſtica non tam publica quàm priuata fuiſſe credendum eſt.

At vbi Conſtantinus magnus Chriſtianam religionem, volente Deo, complexus eſt per baptiſmum, quem a ſancto Siluestro Papa ſuſcepit, tunc Eccleſiæ catholicæ Romanæ de Chriſtianæ rei ſumma agere publice licuit per eundem Conſtantinum, quo imperante Nicænus frequens Conuentus, itemq. primus ac celeberrimus omnium, Lateranenſi generali ſecundo excepto habitus eſt in Nicæa Bithyniæ Vrbe, Anno Domini 316. vel 324. Epiſcopi trecenti decem & octo ex vniuerſo Chriſtiano Orbe congregati interfuerunt,



fuerunt, atque inibi Arianæ perfidiæ impiam blaſphemiam condemnarunt. Arius enim Alexandriæ Presbyter nomine magis quàm re ipſa, gloriæ atque laudis nouitatisq. improbæ cupidus in ſanctiſſima Trinitate inæqualitatem eſſe affirmabat. Quæ profecto hæreſis ceteris omnibus fuit pernicioſior. Hinc de Myſterio Trinitatis loquens Auguſtinus ſanctus, nil eo difficilius quæri, nullibi periculoſius errari, nihil denique fructuoſius inueniri poſſe ait. Fuit etiam alijs amplior, quia poſt Conſtantini mortē, vt alios prætermittā, Conſtantium & Valentem Imperatores, & Theodericum Gothorum Regem patronos inuenit per totum Terrarum orbem diffuſa, & quamuis in Alexandria, teſte Hieronymo, fuerit ſcintilla erroris, totum tamen orbem depopulata eſt flamma eius. Quare in hoc Concilio Homouſion, hoc eſt eiuſdem cum Patre ſubſtantiæ Filium ſcribi, fateriq. debere firmiſſima omnium ſententia acclamatum, ac per ſymbolum definitum eſt: in quo addita ſunt nonnulla in Symboli Apoſtolorum declarationem contra hæreſes inſurgentes in aliquot fidei articulos. Nam contra errorem Manichæorū, Deum creatorem inuiſibilium, diabolum vero viſibilium creatorem impie aſſeuerantiū, in illo articulo: *Creatorem cæli & terræ*, additum eſt: *Viſibilium, & inuiſibilium*. Contra autem peſtiferam ac deteſtandam blaſphemiam Arij additum eſt: *Ex patre natum*, ſcilicet Filium Deum de Deo, conſubſtantialem Patri. Hæc, et alia pro rei maiori explicatione fuerūt expreſſa.

*lib. 1. de Trin. c. 3. tom. 3.*

*Lib. 3. in Ep. ad Galat. 6. to. 6.*

*S. Thom. 1. p. q. 56. ar. 2. et 22. q. 1. ar. 9. & 10. De his fuſius infra pag. 65.*

Huic Synodo, quæ in Aula Regia per pictores repræſentatur, Pontifex non interfuit, ſed Vitus & Vincentius Romani Presbyteri, quos nunc Cardinales appellamus, & Hoſius Cordubenſis Epiſcopus Conſtātino Imperatori gratiſſimus loco Silueſtri præſederūt. Duo illi Presbyteri, ſeu Cardinales purpureis veſtibus induti cernuntur, vt Cardinales fuiſſe facilius pateat: nam ad illud vſque tempus Cardinales Galero rubro atque purpura donati non erant, cū id in Concilio Lugdunēſi primo ſub Innocētio iiij. Federico ij. Imperāte, factū ſit, vt ſuo loco dicemus. Hoſius vero Cordubēſis vir quidē celeberrimus Epiſcopalibus indumentis ornatus inter dictos Cardinales & Epiſcopos chorū efficientes, & adſidētes, repræſentatur. Huic Concilio Epiſcopi, Archiepiſcopi, & Patriarchæ interfuerunt:

*Hiſt. Eccl. lib. 2. c. 1.*

*Breu. Ro. 6. Decẽbr. Hiſt. Eccl. lib. 2. c. 1.*

inter quos fuit Nicolaus Myræ Epiſcopus, & ceteri vitæ ſanctitate illuſtres, quorum alijs ob catholicam fidem oculus effoſſus, alijs vero ſuræ abſciſſæ erant, adeo, vt reliquiæ Martyrum eò conueniſſe viderentur. Claruerunt autem hoc in Concilio inter ſanctos viros Paphnutius Ægyptius, & Spyridion Cyprius Epiſcopi, duo ex ijs confeſſoribus, qui olim ſub Maximino Imperatore dextro orbati oculo, ſiniſtroq. poplite mutilati ad metalla fuerunt damnati. Hic autem Sanctus ſcilicet Spyridion prophetiæ quoque dono, & ſignorum gloria inclytus fuit, & in eadem Synodo Philoſophum Ethnicum chriſtianæ fidei inſultantem deuicit, & ad fidem perduxit, vt ad læuam Concilij, extra tamen Conuentum, videre eſt, vbi Spyridion venerando aſpectu ſenex, & bacillo innixus oculo dextro orbatus, ac ſiniſtro poplite truncatus, philoſophum cogitabundum & conuictum alloquens repręſentatur.

*Niceph. lib. 8. c. 14. & 19. & Martyrol. 11. Sept.*

*Niceph. lib. 8. c 15. & 42. & Martirol. Rom. 14. Decembr.*

*Hiſt. Eccl. lib. 2. c. 1.*

Ad dextram vero partem extra item Patrum Conuentum ſanctus Athanaſius tunc Diaconus, deinde presbyter ordinatus ab Alexandro Epiſcopo Alexandrino, in cuius locum ſucceſſit, adſtare cernitur, qui cum Alexãdro Epiſcopo, qui alteri philoſopho ſilentiũ impoſuit, contra hæreticos diſputauit.

*Hiſt. Tripart. & Breu. die 2. Maij.*

E regione autem eorum, qui loco Pontificis præſederunt, Conſtantinus Imperator humiliori loco ſedere conſpicitur: quod tamen Epiſcoporum iniuſſu facere auſus non fuit. Hic orationem ad Patres habuit, vniuerſoq. Concilio largiſſimam ex publico ſubminiſtrauit annonam, commeatumq. omnibus pro itinere faciundo ſuppeditauit, & eos præſertim, qui pro Chriſti fide tormenta paſſi fuerunt, exoſculatus eſt non ſemel pro ea ſcilicet veneratione, qua Chriſti fideles proſequebatur maxima. Hinc libellos contra aliquem ſacerdotem accuſationem continentes ab aduerſarijs aut æmulis ſibi oblatos igne comburendos mandauit, dicens: Hæ accuſationes in magni Iudicij die Iudicem ſuum habebunt: mihi enim homini ſacerdotum cauſas iudicare non licet.

*Hiſt. trip. lib. 2. c. 1.*

Ad Concilij læuam in eminentiori loco, ſiue in ſuggeſto, vnde ſermo ad populum haberi ſolet, Diaconus legendi actu cernitur pro Nicænæ fidei acclamatione, Arianæq. blaſphemiæ damnatione promulganda. Arius autem ad inferiorem ſuggeſti partem coram Patribus adſtare conſpicitur: quodq. in corde eius latebat virus, in ipſius facie clare indicatur: ſqualido enim ore, atque inculto, pannis, curis, mœroreq. obſitus per Pictorem repræſentatus eſt: atque ita, vt animam euomere velle videatur, ſicut ei miſerrime eueniſſe narratur. Hic enim Conſtantinopoli ſeceſſum petẽs exonerandi ventris cauſa, effluentibus foras inteſtinis miſeram euomuit animam, mox experturam iudicium eius: de quo ipſum perperam ſenſiſſe, iudicatum fuit.



*Arij obitus ex Volaterr.*

Nec ſilentio prætereundum cenſeo quod de Patrum ſubſcriptione diuinitus factum eſt: Muſonius enim & Chryſanthus, vt Nicephorus narrat, cum ſuum diem obijſſent antequam ſacræ Synodo finis fuiſſet impoſitus, Patrum conſilio Codex Decreta omnia complectens & obſignatus demortuorum Epiſcoporum ſepulchro pro eorundem ſubſcriptione recipienda, diuina ope implorata appoſitus fuit: hinc poſtridie, facto mane, Codex ipſe obſignatus, demortuorumq. Epiſcoporum chirographis proprijs ſuo loco ſubſcriptus; ac munitus, a Concilij Patribus fuit inuentus. Quæ res tantæ admirationi ac ſtupori omnibus extitit, tantæq. auctoritatis, venerationisq. apud omnes fuit, quantã verbis nemo explicare poteſt. Hinc non ſolum ob ingentem Patrum & Sanctorum numerum, aliasq. ob cauſas plurimas, verum etiam ob huius generis factum tam illuſtre, tamq. admirandum, magnum Concilium non immerito dici poteſt.

*Nicephorus lib. 8. cap. 23. de Concilio Nicæno.*

Hoc fuit primũ inter quattuor illa Concilia celeberrima, quibus ſcilicet Nicæno 1. Conſtantinopol. 1. Ephæſ. 1. & Chalcedonenſi tamquã 4. Euangelijs honorem præſtandum eſſe ſanctus Gregorius ille magnus affirmauit. Huius Concilij inſcriptio in hanc legitur verborum formam:

*Reg. lib. 1. c. 24. ſub fine, & lib. 2. cap. 49.*

*S. Silueſtro PP. Fl. Conſtantino Magno Imp. Chriſtus Dei F. Patri conſubſtantialis declaratur, Arij impietas condemnatur.*

Ad dextram Bibliothecæ partem inter primam feneſtram & angulum Concilio Nicæno annexum librorum Arianorum

rum combuſtio repręſentatur, vt ex inſcriptione, quæ legitur eo loco, videre licet.

*Ex Decreto Concilij Conſtantinus Imp. Libros Arianorum comburi iubet.*

*Socrates lib. 1. c. 8. & 22. & Sozomen. lib. 1. cap. 21.*

Hic autem non ſolum Arianorum libros cremari mandauit, ſed eum etiam, qui ipſos celare deprehenſus fuiſſet, capitali ſupplicio afficiendum decreuit.

---

# DE CONCILIO CONSTANTINOPOLITANO I.

## *In primo Interfeneſtrio ad Bibliothecæ Vaticanæ dextram depicto.*

*Iuſtin. lib. 4. Et Plin. lib. 4. c. 11. Cal. Rhodig. lib. 19. antiqu. lect. c. 6.*

CONCILIVM Conſtantinopolitanum primum Conſtantinopoli Thraciæ Ciuitate pulcherrima ac perilluſtri, nec non vtriuſque linguæ, Cælio Rhodigino teſte, monumentis celeberrima, olim Bizantio a Bizante conditore ſeu Bize Megarenſium claſſis præfecto dicta, deinde vero a nomine Conſtantini, qui eam inſtaurauit, & auxit, muroq. cinxit, Conſtantinopoli, & noua Roma olim nuncupata coactum fuit Anno Domini tercenteſimo octuageſimo tertio ex Epiſcopis Orthodoxis centum & quinquaginta, Macedonianis vero triginta ſex tempore Damaſi Papæ, & Theodoſij ſenioris Imperatoris contra Macedonium Epiſcopum Conſtantinopolitanum, qui Spiritum ſanctum Deum eſſe negabat, & creaturam eſſe affirmabat. Quare vt ad Spiritus ſancti alluderetur perſonam, de qua præſertim hoc in Concilio habetur ſermo, ſplendor ingens vel flamma ignea, per quam Spiritus ſanctus ſignificatur, e cælo deſcendens ſuper altare inibi depicto ſtare cernitur.

Huic Concilio interfuerunt quattuor præſertim Patriarchæ,



*Cõcilij Patres præcipui.*

Gregorius videlicet Nazianzenus Patriarcha Conſtantinopolitanus. Timotheus Alexandrinus, Melitius Antiochenus, & Cyrillus Hieroſolymitanus, Theodoſio ſeniore Imperatore præſidente, vt ad dextram huius feneſtrę partem videre eſt. Ad hanc eandem partem Epiſcopus in ſuggeſto adſtare, & ad Patres ſermonem habere cernitur. Ad læuam Interfeneſtrij conſpicitur hiſtoria de abdicatione & depoſitione, electioneq. Epiſcopi Conſtantinopolitani.

*Greg. Nazianz. cur Theologus dicatur.*

Gregorius enim Nazianzenus dum Nazianzi eſſet Epiſcopus ob ſingularem diuinarum litterarum ſcientiam, propter quam Theologi cognomen conſecutus eſt, nec non ob magnam vitæ ſanctitatem Conſtantinopolim ad eam gubernãdam Eccleſiam accerſitus fuit: hinc Ciuitatem hæreſibus laborantem expurgauit & ad catholicam fidem reduxit: quod autem ſummum ei omnium amorem conciliare debebat, multorum ſibi parauit inuidiam.

*Greg. Nazianz. abdicatio.*

Itaque cum inter Epiſcopos magna ob id orta fuiſſet ſeditio, ſponte ipſe cedens Epiſcopatui, illius Prophetæ dictum vſurpauit dicẽs: Si propter me commota eſt hæc tempeſtas, deijcite me in mare vt vos iactari deſinatis. Gregorius igitur cum Nazianzum rediſſet, Timotheus Alexandrinus Maximum quendam Cynicum Apollinaris væſania infectum Epiſcopum Conſtantinopolitanum creauit, quem Patres hoc in Conuentu Conſtantinopolitano antequam ceterarum rerum agendarum ſumeretur initium, dignitate Epiſcopali nudatum ab Eccleſia eiecerunt, Nectariumq. laicum Tarſenſem tunc Prætoris Magiſtratu Conſtantinopoli conſpicuum, virum quidem prudentem, & litteratum, vitęq. probitate, catholicaq. fide inſignem Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ Epiſcopum inſtituerunt, quam ſcilicet Eccleſiam poſt Romanam, primatum obtinere debere decreuerunt, nouamq. Romam eſſe dixerunt.

*Hiſt. Eccl. lib. 9. c. 18.*

Quamuis autem laicum ad Epiſcopalem ſedem ſtatim promouere non liceat, id tamen ob nimiam Clericorum penuriam iure factum fuit: propterea quòd nemo Conſtantinopoli inueniri potuit, qui vel Ariana, vel Macedoniana hæreſi reſperſus non eſſet. Hoc denique in Concilio Macedoniana hæreſis vel blaſphemia damnata eſt, Symbolumq. fidei editum fuit nulla penitus in re ab eo diuerſum, quod nunc in Eccleſia publice canitur, pręterquam quòd

quod ſolum ibi legitur: *Spiritum ſanctum a Patre procedentem,* ſuppreſſa Filij perſona, quæ deinde ad maiorem explicationẽ poſt Nicænum & Conſtantinopolitanum I. fuit expreſſa: vbi

*Symb. Ro.*

enim nunc dicimus: *Et in Spiritum ſanctum Dominum, & viuificantem, qui ex Patre, Filioq. procedit: qui cum Patre, & Filio ſimul adoratur, & conglorificatur,*

*Symb. Cõſtantinop.*

in Symbolo Conſtantinopolitano hunc in modum dicitur: *Et in Spiritum ſanctum Dominum viuificantem ex Patre procedentem, cum Patre & Filio ſimul adorandum, & conglorificandum;*

*De ſymbolo Apoſt. Nicæni, Cõſtantinop. & Athan. multa notatu digna ſcribũtur a S. Bonau. lib. 3. Sent. ar. 1. q. 1.*

Quæ omnia etſi eadem ſunt cum ijs, quæ nunc in Symbolo inter Miſſarum ſolemnia leguntur, pro maiori tamẽ declaratione addita ſunt nonnulla in Concilijs, ad peruerſorũ, impiorumq. hominũ os obſtruendũ, piorumq. ſententiã confirmandã: conſubſtantialemq. cum Patre & Filio Spiritum ſanctũ eſſe, in hac Synodo fuit declaratum. Huius Concilij inſcriptio in hanc legitur verborũ formam:

*S. Damaſo Papa & Theodoſio ſen. Imp. Spiritus ſancti diuinitas propugnatur, nefaria Macedonij extinguitur.*

---

# DE CONCILIO PRIMO EPHESINO

## *In ſecundo Interfeneſtrio ad dextram Bibliothecæ depicto.*

*Neſt. poſt Chryſoſt. Epiſc. Conſtantinop.*

CONCILIVM Epheſinum primum habitum eſt non ſolum contra Pelagium, ſed etiam contra Neſtorium Conſtantinopolitanum Epiſcopum, qui purum hominem e Beata Maria ſemper Virgine natum, vt aliam perſonam carnis, aliam vero faceret diuinitatis, affirmabat: nec vnum Chriſtum in diuinitate & carne ſentiebat, ſed ſeiunctim alterum Dei filium, alterumq. hominis prædicabat. Coactum eſt hoc Concilium ſub Theodoſio iuniore Imp. qui præſens adfuit, & Cæleſtino Pontifice circa annum Domini 436. ducentiſq. Patribus in Ciuitate Epheſina, Vrbe maritima Ioniæ, emporioq. Aſiæ



Aſiæ citerioris celeberrimo, Amazonum opere, Dianæq. templo in primis nobilitato, celebratum fuit.

*Cõcilij Patres præcipui.*

Huic Concilio interfuerunt duo Patriarchę, Cyrillus ſcilicet Patriarcha Alexandrinus, & Arcadius Epiſcopus, necnon Philippus Presbyter, quẽ nunc Cardinalẽ vocitamus, Põtificis loco præſederunt, & in eminentiori parte per pictores repræſentãtur. Cyrillus vero, qui Concilio, præſedit, Mitra & Pallio cernitur inſignitus. Hoc itẽ in Cõcilio, cui S. Auguſtinus morte præuentus intereſſe nõ potuit, nõ modo Nicænæ fidei Symbolum prolixe explicatum eſt, atque ita vt hæc Synodus vniuerſæ doctrinæ chriſtianæ ſumma quædam non immerito dici poſſit, verum etiam Beatam Mariam ſemper Virginem nõ modo χριστοτόκον, id eſt Chriſti Matrem, ſed θεοτόκον, hoc eſt vere filij Dei Genitricem ſiue Deiparam, & in Chriſto vnam eſſe tantum perſonam in duabus naturis, diuina ſcilicet & humana, declaratum fuit.

*B. Maria Virgo Deipara.*

Hinc ad ſuperiorem huius Interfeneſtrij partẽ Maria Virgo filium, Chriſtum Saluatorem noſtrum in ſinu geſtãs conſpicitur. Nec ſine diuino conſilio factũ eſſe credendũ eſt, vt in hac ſcilicet Ciuitate præſertim Epheſina, ſacra hæc Synodus fuerit celebrata: nam ſicut Diana Virgo falſo ac ſuperſtitioſe a Gentilibus inibi colebatur, ita contra factum eſt, vt Beata Maria ſemper Virgo, Virgo, inquam, ante partũ, in partu, & poſt partũ, quæ nec primam ſimilẽ viſa eſt, nec habere ſequentem, vt ſacroſancta teſtatur Eccleſia, Dei Mater declararetur ac nominaretur, debitoq. cultu a Chriſti fidelibus, falſo cultu exploſo, non ſolum tamquam Chriſtotocos, verum etiã tamquam Theotocos iure quidem veneranda, colendaq. eſſet.

*Antiph. ad Laudes Natiu. Domini.*

*Theotocos, Dei Mater.*

Diaconi hinc inde libros legendi actu repræſentãtur, libriq. hæreſibus reſperſi e menſa quadam in terram deijciuntur. Vnus autem prope Cyrillum Patriarcham Alexandrinũ litteras Apoſtolicas publice coram Patribus legere cernitur.

Ad dextram eiuſdem Interfeneſtrij partem peregrinũ, ſiue mendicum quemdam innixum arundini, intra quam incluſæ litteræ ſynodi Epheſinæ ad Patres Conſtantinopoli degentes deferebantur, videre licet. Fautores enim Neſtorij Conſtantinopoli commorantes vbi primum reſciuerunt, Anteſignanum ſuum, Neſtorium ſcilicet in ſynodo Epheſina

I na

na fuiſſe condemnatum, omnes mox vias terra mariq. ita intercluxerunt, & obſeruarunt, vt nemo e Concilio Epheſino Conſtantinopolim, vel Conſtantinopoli ad Concilium ire potuiſſet. Hinc ſingulari Dei prouidentia factum fuit, vt Epiſtola, quam Cyrillus Alexandrinus nomine ſynodi Epheſinæ ad ſanctos Epiſcopos, & Monachos ſcripſit, opera cuiuſdam mendici, qui eam in ſcipione, ſeu arundine incluſam gerebat, perlata fuerit. Hic namque dum ſerio mendicare ſe fingit, vna cum arundine ipſam quoque Epiſtolam dictis Patribus reddidit, vt ex Actis Concilij Epheſini a Theodoro Peltano editis conſtat.

*To.2.c.19. pag.406.*

Nec ſilentio prætereundum eſt, vbi primum Concilio finis fuit impoſitus, luſtrationem, ſiue vt nunc dicimus, proceſſionem Epiſcoporum fuiſſe celebratam: qua in re facienda tapetis, ac periſtromatibus, ſiue auleis ſtratas fuiſſe vias, ac luminibus vndequaque plenas fuiſſe, narratur. Quæ res quoad fieri potuit, hoc in loco ad dextram Interfeneſtrij fuit repræſentata. Inſcriptio autem infra legitur hiſce verbis:

*S. Cæleſtino PP. & Theodoſio Iun. Imp.*
*Neſtorius Chriſtum diuidens damnatur,*
*B. Maria Virgo Dei Genitrix prædicatur.*

---

## DE CONCILIO CHALCEDONENSI IN TERTIO

### *Interfeneſtrio ad dextram Bibliothecæ Vaticanæ depicto.*

*Generale 4.*

*De hoc Euph. templo Euagr. lib.2. c.3.*

CONCILIVM Chalcedonenſe, Chalcedone Aſiæ Vrbe maritima, e regione Bizātij, ſeu Conſtantinopolitanæ Ciuitatis, coactum fuit in Eccleſia ſanctæ Euphemiæ Virginis & Martyris, ſub Martiano Imperatore, & Leone primo magno, qui olim cum Clero & Cruce Attilæ occurrens ipſum placauit terrore affectum. Celebratum autem fuit circa annū Domini 444. a Patribus ſexcentis ac triginta contra Eutichen Conſtantinopolitanum Abbatem, & Dioſcorum, magnū diaboli laqueum, Patriarcham ſcilicet Alexandrinum eius defenſorem, in Chriſto poſt humanitatem aſſumptā diuinam tantum naturā permanere aſſeuerantes: quos hæc ſacra Synodus necnon Neſtorium cum reliquis hæreticis, & Epheſinum conciliabulum ab Eutiche & Dioſcoro congregatū, vna Patrum ſententia damnauit affirmans Chriſtum Dominum de Virgine ſic natum, vt in eo ſubſtantiam diuinæ & humanæ naturæ confiteamur. Hinc Chriſtus Saluator noſter ſupra hoc Concilium in aere crucem manu, altera vero mundum geſtare cernitur.



*Eutiches Archimādrita, i eſt multorum monaſteriorum Pater, vel Abbas.*

Hoc in Concilio loco ſummi Pontificis præſederunt quattuor, duo ſcilicet Epiſcopi, & duo Presbyteri: Martianus autē Imperator concionem Latinā vnam, Græcam vero alteram habuiſſe narratur: qui adfuit præſens vna cum Iudicibus & Senatoribus, qui orationem item ad Patres habuerunt. Huic item Conuētui quattuor Patriarchæ interfuerunt, Conſtantinopolitanus ſcilicet, Anthiochenus, Hieroſolymitanus, & Dioſcorus Alexandrinus, qui præſertim ob libellum, quem ipſe contra Leonem Papam edidit, condemnatus, ab Eccleſia fuit eiectus. Quare in medio Concilij adſtans tamquam reus a duobus Diaconis mitra & pallio ſpoliatur, duoq. presbyteri, totidemq. Diaconi accuſationes in Dioſcorum ſcriptis mandatas ad Concilium detulerunt: ſed hic tantum vnum videre licet. Diaconus item alter prope thronum, ſancti Leonis Epiſtolam actu legendi repræſentatur: quę quidem Epiſtola, maxima omnium acclamatione, lecta fuit.

*Cōcilij Legati quattuor.*

*Cōcilij patres præcipui.*

*Dioſcorus primus cōtra Papā libellū confecit. diſt. 21. c. In tantum.*

Nec ſilentio pertranſeundū eſt, vnum pręſertim ſcitu & admiratione digniſſimum, illud ſcilicet quod de duobus libris narratur: quorum alter Catholicam fidem, alter vero hæreticam perfidiam complectebatur. Hi enim cum in ſepulchro ſanctæ Euphemiæ noctu reconditi fuiſſent, mane actutum, ope diuina prius implorata, reſeratoq. ſepulchro, catholicus liber inuentus fuit in manu ſanctæ Euphemiæ, quæ Patriarchæ Conſtantinopolitano, Martianoq. Imperatori omnium ſtupore, dictum codicem porrexiſſe narratur.

*Nicephorus lib.15. cap. 5. & Metaphr. de inuent. lib. 4. & cap.16.*

Inſcriptio autem ad hoc Concilium pertinens hiſce legitur verbis:

*Leone Magno PP. & Martiano Imp. infelix Euthiches vnam tantum in Chriſto, poſt incarnationem, naturam aſſerens confutatur.*

Concilium hoc fuit vnum ex quattuor illis celeberrimis, quibus ſcilicet Nicæno primo, Conſtantinopolitano primo, Epheſino primo, & Chalcedonenſi tamquam quattuor Euangelijs honorem præſtandum eſſe Magnus ille Gregorius affirmauit, vt ſuis in locis dictum eſt.

*Reg. lib. 1. cap. 24. & lib. 2. cap. 49.*

---

# DE CONCILIO
## CONSTANTINOPOLITANO II.

### *In Quarto Interfeneſtrio ad dextram Bibliothecæ Vaticanæ depicto.*

*Gener. 5. Niceph. Et Euagr. l. 4. cap. 36.*

CONSTANTINOPOLITANVM Concilium II. Conſtantinopoli in Secretario Eccleſiæ adnexo circa annum Domini. 553. ſub Vigilio Papa, & Iuſtiniano Magno Imperatore cõtra Anthymũ olim Epiſcopum Conſtantinopolitanum, & Sergium, ac Theodorum Mopſueſtenum Neſtorianos, necnon Petrum Archiepiſcopum Antiochenum, Theodoritum Epiſcopum, Ibam, & alios. Petrus enim impie aſſeuerauit, Trinitatem ſanctiſſimam fuiſſe crucifixam, & confundens perſonas, duasq. naturas in Chriſto negans, affirmauit Hymnũ Triſagium ſic pronunciãdum eſſe: Sanctus, Sanctus, Sanctus, qui crucifixus eſt pro nobis. Ad hunc Petrum ſanctus Felix Papa monitoriam ſcripſit Epiſtolam.

*To. 2. Concil.*

Huic Concilio centum & ſexaginta quinque Patres interfuere: inter quos fuerunt tres Patriarchæ, Conſtantinopolitanus, Menna videlicet, qui loco Pontificis præſedit, Antiochenus, & Alexandrinus: Patriarcha vero Hieroſolymitanus nomine ſuo Rufum & Cononem Abbates inſignes pro falſis Origenis dogmatibus oppugnãdis ad hanc Synodum legaſſe narratur: cui etiam Monachi Ordinis ſancti Baſilij libellos contra Origeniſtas offerentes interfuerunt, vt videre eſt ad huius Concilij dextram. Hic item ad læuã videre eſt Imperatorẽ in eminentiori loco ſedentẽ, necnon Legatos, & Diaconũ in ſuggeſto impia Petri, & Theodori, aliorũq. hęreticorũ ſcripta corã omnibus lectitantem, Epiſcopos etiã hinc inde libros manibus tenentes & ad Origenis dogmata ſpectantes cernere licet: Inſcriptio huius Cõcilij in hanc verborũ legitur formã.

*Patres Cõcilij præcipui.*



*Vigilio Papa, & Iuſtiniano Imperatore contentiones de tribus capitibus ſedantur, Origenis errores refelluntur.*

Tria illa capita, quæ in Inſcriptione leguntur, ad Theodorum Mopſueſtenum, Theodoritum, & Ibam pertinent. In hoc enim Concilio damnatus eſt Theodorus cum ſuis dogmatibus, quæ erant mira monſtra, miræq. inſaniæ: Impia etiam ſcripta Theodoriti contra duodecim capitula ſancti Cyrilli damnata fuerunt, necnon Epiſtola Ibæ, quam ipſe ad Marim Perſam ſcripſiſſe dicitur, & in ea Verbum de ſancta Genitrice, ſemperq. Virgine Maria incarnatum, hominem factum inficiatur, ſtulte, & impie quidem.

*To. 2. Concil. c. 12. 13. & 14.*

---

# DE CONCILIO
## CONSTANTINOPOLITANO III.

### *Ad dextram Bibliothecæ depicto.*

CONSTANTINOPOLITANVM III. & VI. Generale Conſtãtinopoli ſub Dono Papa indictum, cœptum ſub Agathone, & ſub Leone II. abſolutũ, tempore Conſtantini Imperatoris huius nominis quarti, cognomento Pogonati a ducentis & octoginta nouem Patribus celebratum fuit circa annum Domini, 676. vel 681. in Secretario ſacri Palatij, quod Trullus appellatur, contra Sergium, Paulum, Pyrrhum, & Petrum

*Gener. 6. S. Anton. p. 2. tit. 15. cap. 1. §. 5. ait a Leone II. Decreta huius Synodi ex Græco in Latinũ fuiſſe trãſlata.*

Petrum, monothelitas, & monophyſitas olim omnes Patriarchas Conſtãtinopolitanos, & Cyrum Antiſtitẽ Alexandrinum, Theodorumq. Pharan Epiſcopum, hæreticos omnes impie aſſerentes vnã tantum in Chriſto voluntatẽ,& naturã.

*Concilij Legati.*

Hoc in Concilio tres Legati,duo ſcilicet Presbyteri,Theodorus, & Georgius, & Ioannes diaconus, ab Agathone miſſi, duobus Patriarchis, Conſtantinopolitano, & Antiocheno aſſiſtentibus, præſederunt: & inter alios Patres, Theodori Archiepiſcopi Rauennatis legatus, Ioannes Epiſcopus Portuenſis, Abundantius Epiſcopus Paternenſis Siciliæ: Ioannes Archiepiſcopus Rheginus, Theophilus Epiſcopus Thurinus, Theodoſius Epiſcopus Tropienſis, Epiſcopus Scyllaticus, calabri omnes, Cænobiarchæ ab Vrbe miſſi, huic eidem Synodo interfuerunt.

*Epiſc. Portuen. rem ſacrã ſollemni pompa facit.*

Ad læuam huius Interfeneſtrij nonnulla ſcripta a Diacono obſignantur, ne callide amplius deprauari poſſent. Epiſcopi item libros Catholicorum Patrum attente inibi legere ac conferre cernuntur, vt propoſitiones Patrum ab hæreticis & a Machario præſertim Patriarcha Antiocheno truncatim & per fraudem citatæ, inuenirentur: cuius rei veritate inſpecta Macharius ipſe in medio adſtans mitra & Pallio ſpoliatur, eiuſq. loco Theophanes ſiculus Abbas eligitur, & Stephanus item Monachus eius diſcipulus eodem in loco Diaconatus veſte exuitur. Ad hanc eandem partem in eminentiori loco Imperatorem videre eſt.

Ad dextram vero cernitur Ioannes Epiſcopus Portuenſis, qui die ſancto Paſchatis Miſſam more Latino, & ſacra, ſollemniq. pompa in Eccleſia ſanctæ Sophiæ celebrauit, cui ſollemnitati Cardinales duo, præſertim Legati, & Imperator interfuerunt. Ad eandem partem Diaconus in ſuggeſto conſpicitur, qui ſummi Pontificis Epiſtolas ſententiarum grauitate, verborumq. ponderibus reſperſas, ac ſententiam contra hęreticos legendi, promulgandiq. actu repręſentatur. Huius Concilij Inſcriptio hiſce legitur verbis:

*S. Agathone Papa, Conſtantino Pogonato Imp.*
*Monothelitæ hæretici vnam tantum in Chriſto*
*voluntatem docentes exploduntur.*

Hoc



Hoc denique in Cõcilio ſollẽni ter Miſſa decãtata, proceſſio Epiſcoporum celebrata fuit, vt inibi videre licet. Antiſtes item Rauennas, qui exarchorum fretus potentia, ſedi Apoſtolicæ non obtemperabat, ad obedientiam redijt, decretumq. fuit, vt electio Cleri Rauennatis irrita foret niſi Romani Pontificis auctoritate comprobaretur.

Hæc de ijs, quæ ad huius Interfeneſtrij pertinent picturas: nunc reliquum eſt, vt alia ad eandem Synodum pertinentia, & ſcitu quidem digniſſima explicemus.

*Nic. 2. & Gener. 7. Act. 6. to. 2. Act. 4. id etiam omne explicatur.*

Sexta hæc & vniuerſalis ſynodus (vt Concilij Nicæni Patres tradunt) ſub Conſtantino IIII. cœpta, nullum edidit Canonem, ſed ſub Iuſtiniano II. eius filio poſt obitum patris Imperium ſuſcipiente, quattuor aut quinque poſt annis in Trullo coacta centum & duos edidit Canones, quos Gentianus Heruetus Aurelianen. ex Græcis exemplaribus in Latinam tranſtulit linguam, ſicut frater Bartholomæus Carranza Miranden. inſtituti ſancti Dominici in ſua Conciliorum ſumma teſtatur. *[Act. 5. & explicatius Act. 6. to. 2.]* Horum CII. Canonum in Concilio Generali VII. & Nicæno II. mentionem factam eſſe, Canonemq. octuageſimum ſecundum de imagine Chriſti in figura Agni in fauorem imaginum citatum eſſe conſtat. Horum item Canonum Nicolaus I. in ſua Epiſtola ad Michaelem Imperatorẽ ſcripta meminit, *[To. 2. Concil.]* dicens, Iuſtinianũ II. Imp. eorundẽ Canonum confirmationem a Ioanne VII. humiliter poſtulantẽ accepiſſe: quẽ Imperatorem tanquã pijſſimum Nicolaus I. in Epiſtola eadẽ laudauit. Anaſtaſius etiam Abbas, & Apoſtolicæ ſedis Bibliothecarius in præfatione ſynodi VIII. Generalis ait, in Synodo VI. nullam, præter fidem, regulam fuiſſe editam: ſed quas eius aſſeuerant regulas longe poſt ſextam Synodum ab ipſis conſtat eſſe penes ſe priuatimq. depromptas. Patres item, qui ex Oriente, & Occidente ad Synodum Florentinam conuenerunt, citant hos CII. Canones ſextæ Synodi in Trullo celebratæ. Gratianus denique in Decreto, aliquot Canones, quos nominauimus, citat, & ſextæ Synodo aſcribit, vt ſuis in locis videre eſt. *[Nica. 2. & Gener. 7. Act. 4. to. 2]* Hinc nouem Canones in volumine Conciliorum Coloniæ excuſo appoſiti tamquam nothi, & adulterini reiecti ſunt, & iure quidem, ſicut ex his, quæ hucuſque narrata ſunt, clare patet.

Scitu

Scitu præterea dignum eſt, præfationis loco allocutoriam Patrum 227. ex ijs, qui in Trullo conuenerunt, ad Imp. Iuſtinianum reperiri orationem, in qua oſtendunt, in duabus vniuerſalibus, Synodo quinta ſcilicet, quę fuit Iuſtiniano Magno regnante, & ſexta, quæ fuit Conſtantino Pagonoto imperante, Canones ad Eccleſiarum conſtitutionem, ſicut reliquæ quattuor ſanctæ vniuerſales Synodi fecerunt, editos non fuiſſe: ob idq. Patribus 227. ſub Iuſtiniano II. in Trullo iterum congregatis, hanc Synodum ad duarum ſupplementum fuiſſe celebratam: quæ propterea nec ſexta propriè nominatur, ſed πενθέκτη, ideſt quiniſexta: nam quod quintæ & ſextæ Synodo deerat, repleuit: & vniuerſalis re uera nuncupatur, & eſt. Hæc ex fratre Bartholomæo Carranza ſummæ Conciliorum Auctore.

*Nic. 2. & Gener. 7. Act. 4. & 6. to. 2.*

*In Summa Cõcil. Generale 6. poſt finẽ Act. 18.*

Adde etiam, quòd ſeptima Synodus ait de hac re non eſſe dubitandum: nam, vt ipſa teſtatur Synodus, qui temporibus Conſtantini ſubſcripſerunt, ijdem illi ſub Iuſtiniano dictos Canones ſubſignarunt, vt ex eorundem propriarũ manuum immutabili ſimilitudine clare patet: neceſſeq. erat (inquit) vt poſt Synodũ vniuerſalẽ Canones quoque Eccleſiaſtici ederẽtur. Hinc nõ noua Synodus, ſed Synodi cõtinuatio dici debet.

*Nic. 2. & Gener. 7. Act. 4. & 6. to. 2.*

Præterea Hadrianus primus ad Taraſium Epiſcopũ Conſtantinopolitanum ſcribens, ſextam Synodum cum omnibus ſuis Canonibus ſe recipere aperte ait, eiuſdemq. Taraſij erga ſextam Synodum, & ſacras imagines fidem laudat: immo in eadem Epiſtola, figuram Chriſti in forma Agni digito ſancti Ioannis Baptiſtæ demonſtratam inter dictos Canones diuine, & legaliter promulgandos receptam eſſe teſtatur, ac laudat. De hac vero Epiſtola ad Taraſium Nicolaus Papa primus mentionem facit.

*To. 2. Concil.*

*To. 2. concil. Act. 2. Nic. 2. Gener. 7. & in ſumma Cõcil. can. 82.*

His autem, quæ narrauimus, non refragatur ſecundus dictæ Synodi Canon, qui Canonem Cypriani in Concilio Carthaginenſi de hæreticis rebaptizandis confirmare videtur: non enim Canonem vniuerſum, ſed partem quandam confirmat, quæ ad aliquos certos hæreticos pertinet, præſertim vero Paulianiſtas ſiue Paulianos a Paulo Samoſateno ſic nuncupatos. Hi enim in nomine ſanctiſſimæ Trinitatis non baptizabantur. Quare in Concilio item Nicæno decretum fuit, vt ſi



qui ex illis ad Eccleſiam redirent, rebaptizarentur, quòd veram baptiſmi formam non tenerent, atque adeo nec verum baptiſma ſuſciperent.

*Concil. Generale. 7. c. 19. Et 1. q. 1. c. 53. Paulian.*

Quomodo autem dictus Cypriani Canon recipiatur, Canon 95. eiuſdem ſextæ Synodi aperte declarat, vbi alij hæretici nominantur, qui ad Eccleſiam venientes tamquam Gentiles recipiebantur. Hunc in modum Gelaſius Papa opuſcula Cypriani, ijs videlicet exceptis, quæ Eccleſia reprobauit, ſe recepiſſe fatetur. Nam ante Gelaſium, immo ante S. Auguſtinum opinio Cypriani de hæreticis rebaptizandis damnata fuit.* Qui enim in nomine ſanctiſſimæ Trinitatis, hoc eſt Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, iuxta formam a CHRISTO inſtitutam, vel tantum in CHRISTI nomine ſicut in Actibus Apoſtolorum legimus, baptizati ſunt (vnum quippe, idemq. eſt, vt S. exponit Ambroſius) conſtat eos non eſſe denuo baptizandos vt in Decreto legitur. Forma namque ab Apoſtolis tradita, eſt eadem implicite cum ea, quæ a CHRISTO inſtituta fuit: quam etſi Apoſtoli Spiritus ſancti conſilio ad tempus mutauerunt, vt CHRISTI nomen, quod apud Iudæos contemptui & odio erat, amabile, ac venerandum redderetur, forma tamen ſubſtantialis implicite permanebat: nam ſub CHRISTI nomine intelligitur Pater, Filius, & Spiritus ſanctus. Pater eſt vngens, Filius, qui Græce dicitur CHRISTVS, eſt vnctus, & Spiritus ſanctus eſt ipſa vnctio. Vnde mutatio hæc non ſubſtantiæ, ſed modi potius, ſiue ritus dici debet: et huiuſmodi poteſtas mutandi ſemper in Eccleſia fuit, vt in Sacramentorum ſcilicet diſpenſatione, ſalua illorum ſubſtantia, ſicut ſacroſancta Synodus Tridentina aperte ait, ea ſtatueret, vel mutaret, quæ ſuſcipientium vtilitati, ſeu ipſorum ſacramentorum venerationi, pro rerum, temporum, et locorum varietate expedire iudicaret.

*Concil. Gener. 6. can. 95.*

*S. Aug. contra Donatiſtas li. 2. c. 31. 32. to. 7.*

** Decr. p. 3. De conſecr. diſt. 4. cap. 24.*

*Matt. vlt. Act. 2. 19. Amb. li. 1. de Spirit. ſan. c. 3.*

*S. Bonau. 4. ſent. diſ. 23. art. 1. quæſt. 1. in corp.*

*Seſſ. 21. c. 2.*

Quod autem in hac eadẽ ſexta Synodo ſedem Conſtantinopolitanam Romanæ ſedi æqualem facere videtur, id non præciſe, & omnino intelligitur, ſed quantum ad æqualia priuilegia, ſiue ſimilia vtriuſque Eccleſiæ, hac tamen conditione adiecta, vt Cõſtantinopolitana poſt Romanam ſedem ſecundum locum teneret, ſicut inibi videre licet.

*Can. 36. Et diſt. 22. cap. 6. Renouantes.*

K Quod

*Can.12.et 13.et diſt. 31. c. 14. Aliter.* Quod item de matrimonio olim ſacerdotũ in hac ſexta Synodo decretum fuit,non vniuerſæ Eccleſię,ſed tantum Orientali legem præſcribit, vt ab eodem Carranza optime in eundem Canonem ſcribente animaduerſum eſt: nec illud decretum matrimonij diſſolutionem, ſed potius ſeparationem religioſamq. vitam ob perpetuum ſacrificium comprehendebat: vſus enim ſacerdotalis dignitatis actualem munditiam iure poſtulat: ſiquis autem ex conſenſu vxoris ordinabatur,continebat: ſin ſecus,non ordinabatur.

*Can. 55.* Quod denique in hac eadem Synodo Eccleſiã Romanam die ſabbati, vno excepto, ſancto ſcilicet ſabbato maioris hebdomadæ, non ieiunare obligat, ex inſtituto ſanctorum Apoſtolorum, *Can. 65.* cuius contrarium ad hanc vſque diem ſeruauit Romana Eccleſia, huius Concilij Generalis dignitati non aduerſatur. Quamuis enim vniuerſalis Synodus legitime congregata Romanam Eccleſiam ad id obligare potuerit, cum tamen huius generis decretum de non pertinentibus ad fidem exiſtat, conſuetudoq. foret contraria, hæc locum obtinuit ex *To.2.epiſt. 86. circa finem. & epiſt. 118. c.2. & diſtin. 12. c. 40. Illa.§. alia.* Beati, ac Patris noſtri Auguſtini ſententia ad Caſulanum necnon ad Ianuarium ſcribentis. Quod enim(ipſe ait) neque contra fidem, neque contra bonos mores iniungitur, indifferenter eſt habendum, & pro eorum, inter quos viuitur, ſocietate ſeruandum eſt. Mater mea(inquit)Mediolanum me conſecuta,inuenit Eccleſiã ſabbato non ieiunantẽ,cœpit perturbari,& fluctuari quid ageret,cũ ego adhuc catechumenus,talia non curarem: ſed propter ipſam conſului hac de re beatiſſimæ memoriæ virum Ambroſium, Mediolanenſem Epiſcopum, a quo ſum Mediolani baptizatus: qui reſpondit: Cum Romam venio, ieiuno ſabbato: cum hic ſum, non ieiuno. Sic etiam tu ad quam forte Eccleſiam veneris, eius morem ſerua, ſi cuiquam non vis eſſe ſcandalo, nec quemquam tibi. Hoc cum Matri renunciaſſem, libenter amplexa eſt. Hæc ex Beato Patre Auguſtino in ijs Epiſtolis, quæ ad Caſulanum, & Ianuarium ſcriptæ ſunt. Canones igitur,in Trullo celebratos, vt rem tandem concludam, authenticos eſſe exiſtimo. Si autem aliter de ijs ab Eccleſia decretum fuerit vnquam,eius iudicium omnino amplector,cui me ſemper omnibus in rebus ſubditum eſſe profiteor, ac declaro.

DE



# DE CONCILIO NICÆNO II.

*In VI. Interfeneſtrio, ad dextram Bibliothecæ Vaticanæ depicto.*

NICAENVM Concilium II. & Generale VII. in *Gener. 7.* Nicæa Aſię ciuitate,vbi prima Synodus Generalis tempore Silueſtri Papæ, & Conſtantini Imperatoris cõgregata fuit,celebratum eſt, in Eccleſia maiori ſanctæ Sophiæ ſub Hadriano primo, & Conſtantino VII. Irenes filio Imperatore a Patribus 350. circa annum Domini 581. ſeu 775. vel 790. contra Iconomachos, qui imagines in Eccleſijs damnabant. Quare hac in *Imaginũ ſanctorum ueneratio.* Generali Synodo decretum fuit imaginum expreſſiones relatiue eſſe adorandas,ſanctorumq. reliquias eſſe honorandas: aliud eſt enim picturas abſolute adorare(quod nõ licet)aliud vero per picturas cognoſcere quid ſit adorandum: etenim non repræſentantes figuras & imagines, ſed res repræſentatas adoramus, & imagines quatenus repræſentant. Adoratio enim non in imaginibus terminatur, ſed ad prototypum refertur.

Hoc item in Concilio multa de Angelis pertractata ſunt & *Angeli an ſint corporei.* præſertim an ſint corporei,& de vſu pingẽdi eos:de ipſorũ autẽ, vt ſic dixerim,corporeitate nihil fuit decretũ, etiam ſi Taraſius Patriarcha Conſtantinopolitanus ex doctrina B. Ioannis Theſſalonicenſis cum gentili quodam de vſu imaginum diſputantis coram Patribus affirmarit,Angelos pingi oportere,eo quia circumſcribi poſſunt, & vt homines apparuerunt; ſacraq. Synodus viſa non fuerit improbare,ſed potius hanc ſententiã approbare:Synodus enim non affirmauit,Angelos eſſe corporeos,ſed modũ conuincendi Gentilẽ,vſumq. pingẽdi Angelos approbauit. Nam quandoque licet extremum probare,vt alterum auferatur. Hæc autem controuerſia nondum Eccleſiæ cenſura terminata eſt.

Huic Concilio Petrus Archipresbyter, Cardinalitijs veſtibus *Cõcilij Legati.* indutus, & Petrus Monachus Abbas ſancti Sabbæ loco Hadriani ſummi Pontificis præſediſſe repræſentantur, & inter alios

 Epiſcopos

Epiſcopos Stephanus Epiſcopus Vibonienſis, & Stephanus Epiſcopus Tropienſis Calabriæ interfuerunt. Tres Epiſcopi in medio adſtantes ſuæ pœnitentiæ libellos promulgare conſpiciuntur, vt inibi videre eſt, vbi vnus ex tribus, flexo genu, palinodiam, quam vulgo retractationem vocitamus, actu recantandi repræſentatur.

Ad dextram huius Concilij, ſeu Interfeneſtrij partem imaginum adorationes cernuntur, ſancto Luca Euangeliſta Beatæ Mariæ ſemper Virginis filium ſuum puerulum Chriſtum Saluatorē noſtrum in ſinu geſtātis ad viuum olim per pictoriā artem exprimente. Diaconus præterea in ſuggeſto adſtans Concilij decreta promulgare cernitur, vniuerſa Synodo acclamante. Huius Concilij Inſcriptio in hanc legitur verborum formam:

*Hadriano Papa, Conſtantino Irenes*
*F. Imp. impij Iconomachi reijciuntur,*
*Sacrarum Imaginum veneratio confirmatur.*

Hoc in Concilio Acta ſextæ Synodi citata fuerunt, & approbata, vt dicta in Synodo monſtratum eſt. Itaque nihil eſt, quòd hac de re plura nunc verba faciamus.

---

# DE CONCILIO
## CONSTANTINOPOLITANO IIII.
### *Ad dextrum Bibliothecæ Vaticanæ angulum depicto.*

*Gener. 8.*

CONSTANTINOPOLITANVM IIII. Concilium, Generale vero VIII. Conſtantinopoli ſub Hadriano ſecundo, & Baſilio Imperatore circa annum Domini 870. a Patribus quadringentis fuit celebratum contra Photium hominē peſſimum, hæreticum, & Eccleſiæ rebellem, ac falſarium cognomento Veclas, hoc nomine a ſe callide conficto, ſibiq. acquiſito. Hic primus manifeſtiſſime contra Dei Eccleſiam inſurrexit, Ignatiumq.

*Photius dictus Veclas, quid ſibi velit, vide Anton. p. 3. Tit. 22. c. 13. §. 10.*

tiumq.



tiumq. a ſede Conſtantinopolitana deturbauit, eamq. tyrannice occupauit.

Huic Concilio, loco ſummi Pontificis, Diaconus Cardinalis, duoq. Epiſcopi interfuerunt. Præſens etiam adfuit Photius, quē ſenecta ætate grauem baculo innixum, & ad Patres gradiētem, ad læuam Concilij partem videre eſt. Ab eo autē baculum Marinus Vicarius Romanus auferri mandauit dicens: Baculus dignitatis paſtoralis eſt ſignum: quod hic habere haudquaquam poteſt, quia lupus eſt, non paſtor.

*Concilij Legati.*

Ad læuā eiuſdē Cōcilij partē Epiſcopi, Presbyteri, Diaconi, ac Subdiaconi, qui cū Photio ceciderunt, libellos pœnitentiæ corā Synodo flexis genibus proferētes, manuum impoſitione recepti cernuntur. Ignatius autem Pallio iterum decoratus ſedi Conſtantinopolitanæ, vt ad læuam cernere licet, reſtituitur, Photio expulſo. Diaconus denique ad dextram Concilij partem in ſuggeſto adſtans reſtitutionem Ignatij, & Photij depoſitionem actu legendi repreſentatur. Inſcriptio huius Concilij hæc eſt:

*Hadriano II. Papa, & Baſilio Imp. S. Ignatius*
*Patriarcha Conſtantinopolitanus in ſuam*
*ſedem (pulſo Photio) reſtituitur.*

Ad alteram Concilij huius, ſeu anguli partem, Photij chirographa comburi conſpiciuntur, necnō acta omnia conciliabulorum, quæ ab eodem Photio contra Nicolaum I. Papam, & Ignatium Patriarcham Conſtantinopolitanum celebrata ſunt, vt ex Inſcriptione, quæ infra legitur in hanc verborum formam, videre eſt.

*Ex Decreto Concilij Baſilius Imper. Chirographa*
*Photij, eiusq. conciliab. acta comburi iubet.*

Hac Synodo ſeptem præcedentes confirmantur: multiq. Canones, qui non extant in exemplari Græco, vt ait Genebrardus, eidem attribuuntur Concilio, cui Donatus Oſtienſis, Stephanus Nepeſinus Epiſcopi, & Marinus Diaconus, Legati Hadriani Papæ, vt diximus, præfuerunt.

*Gener. lib. 4. Chron. an. Chriſti 870. Platina. Lib. Cōcil. & alij.*

DE

# QVI VARIOS
## IDIOMATVM CHARACTERES
## *VARIAQ. DISCIPLINARVM genera inuenerunt.*

*Dimenſio Bibliothe-cæ Vaticanæ.* BIBLIOTHECA Vaticana plurimis cameris, ac porticibus amplificata, a baſi ad faſtigium eſt palmorum 130. cuius pars ſuperior, in qua libri aſſeruantur, longitudinē palmorum 318. latitudinem 69. altitudinem vero 40. ſeptemq. columnas paraſtaticas lateritias, & quadratas ipſum fornicem ſuperiorem diſtinguentes ac ſuſtentantes complectitur: quarum ſingula quæque Imagines ſaltē quattuor eorum ſcilicet, qui varios idiomatum characteres, vel diſciplinas, ſiue libros inuenerunt, depictas comprehendit.

### *De Hebraicis litteris ab Adamo inuentis.*

ANTEA vero quàm de Columnis paraſtaticis dicere aggrediamur, de primo homine diuinitus edocto, primoq. diſciplinarum, litterarumq. Inuentore ſermonem habere oportet. Hic enim è regione primæ Columnæ paraſtaticæ in ſemicolumna lateritia parieti annexa a tergo introitus Bibliothecæ per pictoriam artem repræſentatus, pelliceisq. veſtibus amictus, altera manu pomum, altera ligonem geſtare cernitur.

Per pomum peccati origo innuitur: itemq. illud omne, quod ex peccato originali in vniuerſum genus humanum transfuſo mox natum eſt. Adam enim ad Dei imaginem, & ſimilitudinem creatus, dum aſtu ſatanæ per ſerpentem *Gen. 3.* tanquam per fiſtulam loquentis peccat, ne Heuæ vxori ſuæ ad pomum comedendum contra diuinum præceptum cohortanti triſtitiam afferret, mors, atque omnes calamitates generi humano ſubortæ ſunt: atque hunc in modū ſimilitudine amiſſa, gratia ſcilicet, atque iuſtitia originali deperdita, qua ex diuina liberalitate fuerat affectus, in imagine deformata



mata in naturalibus ſcilicet vulneratis derelictus eſt homo. Hinc de donis gratuitis amiſſis, naturalibus vulneratis, totq. miſerijs, & calamitatibus per peccatū acquiſitis appoſite cecinit Poeta ille dicens: *Adam primus homo damnauit ſæcula pomo.*

Quibus item de cauſis pellicea, & brutalis illa veſtis eidem homini denudato recte congruit, cum Pſalmographus *Pſal. 48.* inquiat: Homo cum in honore eſſet, non intellexit: comparatus eſt iumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis. Idq. etiam ad perpetuam mortis memoriā factum eſt, vt ſcilicet ipſe recordaretur illius diuinæ ſententiæ: Morte morieris. *Annal. Glycæ p. 1. Gen. 2.*

Per ligonem fit alluſio ad id, quod ei Deus dixerat: In ſu- *Gen. 3.* dore vultus tui veſceris pane tuo: agriculturæq. ars perbelle, & aperte repræſentatur: Adam enim, vt in Scriptura ſa- *Sap. 10.* cra legitur, pœnitentiam egit: quam exorſus eſt, cum ſe a facie Domini abſcondit, metuens iuſtam eius iram (nam fa- *Gen. 3.* cies Hebraice irā ſignificat) annisq. fere mille in ea perſeueraſſe narratur, Agricolaq. Agricolarumq. exemplum fuiſſe *Cap. 13.* in Zachariæ prophetia legitur. Adam igitur hunc in modum, quem deſcripſimus, per pictoriam artem ſatis belle effictus, atque ita vt ipſe tanquam a Deo, Artifice optimo formatus, quoad fieri poſſet, repræſentaretur. Supra huius caput characteres, ſiue litteræ antiquiores, nunc Hebraicæ dictæ, leguntur vt infra. Ad eiuſdem vero Adami pedes Inſcriptio Latina in hanc legitur verborum formam:

*Adam diuinitus edoctus, primus ſcientiarum, & litterarum inuentor.*

Hebraicum Alphabetum antiquius.



RATIO

RATIO ipſa perſuadet, Adamum diuinitus edoctum
diſciplinas, certosq. præſertim ſcribendi characte-
res adeo neceſſarios alijs præmōſtraſſe, ſicut Inſcri-
ptio docet: hanc autem ſcribendi formam hoc lo-
co poſitam Hebraicas inter litteras antiquiorem, primumq.
Alphabetum fuiſſe credendum eſt: quod inſtar ceterorum
Hebraicorum a dextro in ſiniſtrum latus legitur. Sed quam-
uis hunc ſcribendi modum naturæ magis proprium eſſe non-
nullis rationibus Hebræi tueantur, necnon glorientur ſe
cæli motum a dextro in ſiniſtrum in ſcribendo imitari, ego
tamen cum eruditis viris Latinis, quibuſcum non ſum con-
ferendus, hanc rationem cum alijs id genus argumentis par-
uipendens (cælum namque nec proprie dextrum, nec ſini- *Ariſt. lib.*
ſtrum habet, quia nec eſt animal, nec eius motus incipit, nec *2. cæli tex.*
habet diuerſas figuras, ſed tantum ex parte Orientis & Occi- *7. & 13.*
dentis quodam modo habere poteſt) a ſiniſtro in dextrum
ſcribendum eſſe autumo, mihiq. perſuadeo: ceteris vero
poſthabitis rationibus, hoc vnum inuictum in medium affe-
ro argumentum ex eorumdem Hebræorum modo ſcribendi
deſumptum. Eos enim, vt cetera omittam, inter ſcriben-
dum, litterarum ipſarum virgulas, ac lineas directas, aut
tranſuerſas a ſiniſtra inchoatas in dextram deſinentes termi-
nare conſtat. Quæ igitur partis eſt ratio, eadem & totius *Ariſt. lib.*
eſſe debet: & quemadmodum linearum tractus efficitur, ita *1. cæli tex.*
litterarum quoque ordo ſeruandus eſt. Vſus tamen inua- *19. in fine.*
luit, vt Hebraicum Idioma a dextro in ſiniſtrum ſcribatur, &
legatur: quod Syriacis, & Chaldaicis litteris, necnon alijs
multis commune eſt, quæ item cum eodem Idiomate aliqua
ex parte quantum ad numerū, & figuras affinitatem habent.

Hæc de modo ſcribendi Hebraicum Idioma, quo tanquam
myſteriorum pleno, vt Sanctus Hieronymus ait, ceterarumq. *Hieron. in*
linguarum primo, Deum in ſuppoſita creatura ad primos *Pſal. 82.*
Parētes allocutum fuiſſe, eoſdemq. cum diabolo ſermonem, *to. 7.*
congreſſumq. habuiſſe, rebusq. nomina ab Adam impoſita,
Moyſiq. legem denique fuiſſe datam credendum eſt, vt mul-
ti, & eruditi quidem Viri affirmarunt. Nec deſunt qui dicant *Hebr. opi-*
hac Hebraica lingua omnes tandem aliquando locuturos. *nio.*
Sicut enim (inquiūt) ante ædificationem Turris, quam Nem-
roth



roth poſt diluuium ædificandam ad vim aquarum tempus
in poſterum euadendam curauit, (vnde ex huiuſmodi inſa- *Gen. 11.*
nia tanta homini ſermonis varietas, linguarumq. confuſio
innata eſt, vt quot orbis Regiones ſunt, tot hominum linguæ
ſint) vna lingua omnes populi loquebantur, ita conuerſis
omnibus ad cultum veri Dei, omnes Hebraice locuturos eſſe
aiunt. Quamuis autem S. Hieron. Hebræos ita opinantes, vna *S. Hieron.*
ſcilicet hac Hebraica lingua in fine mundi omnes locuturos, *in 6. c. So-*
irridere videatur, terrā tamen vniuerſam vnius labij, vt ſcri- *phoniæ. to. 5.*
ptura Sancta teſtatur, poſt diluuium, fuiſſe non inficiatur. *Gen. 11.*
Id quod etiam ante diluuium extitiſſe affirmandum eſt, vt
infra dicetur. Hæc in vniuerſum de Hebraica lingua mihi
dicere viſum eſt: cetera vero infra dicentur, cum alibi de hoc
Idiomate loquendum ſit. Reliquum eſt igitur, vt ad pri-
mam Columnam paraſtaticam accedamus.

---

# DE PRIMA COLVMNA PARASTATICA,

## quæ litteras Hebraicas, Chaldaicas, & Syriacas, earumdemq. Inuentores comprehendit.

### *De Filijs Seth, Aſtrologiæ Inuentoribus, litterarumq. Hebraicarum cultoribus.*

IN PRIMA primæ Paraſtaticæ Columnæ fa-
cie Theatrum verſus, duo Iuuenes pelliceis
veſtibus amicti conſpiciuntur, filij ſcilicet
Seth, & Adæ nepotes, litterarum Hebraica- *Geneb. lib.*
rum cultores, & Aſtronomiæ inuentores an- *1. Chron.*
no mundi 235. vt Ioſephus teſtatur, etiam *anno 235.*
ſi ipſum Seth earundem inuentorem fuiſſe affirmet Suidas, *Ioſeph. li-*
& Philo primam litterarum inuentionem Abrahæ tribuat. *bro 1. an-*
Dictorum vterque Iuuenum efficte Columnæ, vel Tabulæ *tiqu.*
fragmentum apud ſe habet, ſuper ea manum ſuam tenens.

 Hi enim

Hi enim duas columnas, ſiue tabulas fecerunt, quarum vna
lateritia erat, altera ænea, ſiue marmorea: illa contra ignis
conflagrationes, hæc contra aquæ alluuiones, vt monimenta
ipſa diutius conſeruarentur, ac permanerent, cum Adam, eo-
dem Ioſepho teſte, rerum omnium futurum interitum præ-
dixiſſet. Hiſce in columnis liberales artes, eas præſertim, quæ
ad obſeruationem ſiderum pertinent, conſcripſerunt. Hinc *Genebr. li. 1. Chron. anno mũdi 235.*
ab Hebræis ad Ægyptios, & Chaldæos, & deinde ad reliquos
Aſtrologiam manaſſe credendum eſt. In earum altera pro-
miſſionem de ſemine, ideſt de Chriſto, Adæ factam, cælatam
dicunt: Ioſephus autem ad ſuam vſque ætatem columnam *Lib. 1. de antiq. rerum.*
illam marmoream in Syria duraſſe, teſtatur. Supra harum
imaginum caput, Hebraicum legitur Alphabetum: infra
earundem pedes hæc legitur Inſcriptio:

*Filij Seth columnis duabus rerum cæleſtium diſcipli-*
*nam inſcribunt.*

Alphabetum Hebraicum antiquius.



ALPHABETVM hoc loco poſitum eſt idem cum ſu- *Appendix Theſ. Ambroſ. de introduc. linguarum.*
periori. Filij enim Seth eo vſi ſunt, quod ſibi ab
Adamo præmonſtratũ fuiſſe opinandum eſt. Nam,
vt diximus, non ſolum poſt diluuium, verum etiam ante ip-
ſum omnes vna tantum lingua locutos fuiſſe credendum eſt,
cum poſt Turrim a Nepotibus Noe ædificatam linguarum
confuſio, atque diuiſio ſequuta fuerit, ſicut Scriptura ſacra *Gen. 11.*
teſtatur. Quòd autem vna, eademq. lingua Hebraica ante
diluuium,



diluuium, ac temporibus præſertim filiorum Seth extiterit, ex
eo nonnulli credunt, quod in Geneſi de Enos narratur: vbi ip- *Gen. 4. in fine.*
ſe inuocare nomen Domini cœpiſſe dictus eſt. Enos enim cœ-
piſſe inuocare Deum, non ita intelligitur, quòd Abel & Cain
ſacrificando id nõ factitaſſe credendum ſit, ſed tunc cœptum
eſſe inuocare in nomine Iehouah, iuxta locutionem Hebrai- *Caiet. in hunc locũ.*
cam, opinandum eſt, ſicut Caietano placet, quamuis alij ar- *Aloyſ. Lipp.*
bitrentur, Enos cœpiſſe inuocare nomen Domini, quaſi *in catena.*
primus inuenerit imagines quaſdam, per quas orationum
deuotio excitaretur: vel quia eius tempore inſtauratus fue-
rit Dei cultus, ritusq. cœperit ceremonijs colendi Deum.
Alij vero ex hoc eodem loco, atque ex hoc nomine Iehouah, *Iehouah*
hanc linguã, quæ Hebraica nuncupatur, ante diluuium fuiſſe *Tetragrã-*
autumant: hoc enim quattuor litterarum nomẽ, quod tetra- *maton.*
grammaton dicitur, cui etiã admirandas Hebræi virtutes tri-
buũt, illius eſt linguæ, illiusq. characteribus ſcribi ſolet. Adde
etiam quòd Ioſephus, vt in Exemplaribus manuſcriptis He- *Lib. 2. de*
braicis & impreſſis legitur, recenſet Epiſtolam ab Alexan- *Antiqu. c.*
dro Magno ad Ariſtotelem præceptorem ſuum ſcriptam de *11.*
ſepulchro Cainan filij Enos, qui fuit ante diluuiũ, in Ciuitate *Gen. 5.*
Perſiaca inuento: cuius Epitaphium litteris Hebraicis ſcriptũ
fuiſſe de Diluuio futuro Alexander teſtatur: quas quidẽ litte-
ras antiquiores fuiſſe credendum eſt: quibus etiam, vt S. Hie- *S. Hieron.*
ronymus in Ezechielem ait, eouſque Samaritani vtebantur. *in cap. 9. Ezech. to. 4.*

*Teſtimonium de eo, quod in ſepulchro Cainan repertum fuit.*

וַיִּכְתּוֹב אֶת הֶעָתִיד לִהְיוֹת מַחֲמַבּוּל עַל לוּחוֹת אֶבֶן וְהִנֵּם
שָׁם וְהַכְּתָב כְּתָב עִבְרִי

Admiror autem, cur extrema littera ſuperioris Alphabeti
figuram T, Thau, quæ ſanctiſſimæ Crucis ſimilitudinem re-
præſentat, non habeat, ſicut in antiquioribus Hebræorum
litteris reperiri Sanctus Hieronymus ait, niſi hoc ſit ijs anti- *S. Hieron.*
quius: Thau enim figura, quæ ipſi Thau, ת, recentioris Al- *vbi ſupra.*
beti Hebraici non eſt adſimilis, ſic ſcribi ſolet T, ⴕ, vt ex *Appendix*
multis Alphabetis, quæ ex libris, qui cuidam Salomoni *Theſ. Am-*
aſcribuntur, deſumpta ſunt, Apollonio eius interprete, ſi- *broſ. de in-*
cut ex Theſei Ambroſij Canonici regularis Lateranenſis in *trod. linguarum.*

 varia

varia linguarum genera Introductione videre licet: vbi inter
multa diuerſarum linguarum Alphabeta, vnum Iacobita-
rum extat Alphabetum, cuius littera extrema figuram Cru-
cis omnino repræſentat, hoc modo †. Hæc autem littera, ſiue
figura, Symbolum noſtræ redemptionis, quæ per Crucem
conſummata eſt, ante aduentum Saluatoris noſtri in car-
nem, abſolutionis ſignum, Salutaremq. notam præſeferre
*Ezec. c. 9.* viſa eſt, vt legitur in Ezechiele, vbi ſigna Thau ſuper virorũ
gementiũ frontes ſcripta eſſe, legitur: & qui huiuſmodi figu-
ra inueniebãtur inſigniti, ſalutẽ conſequebantur. Quãuis au-
tẽ littera T, Thau Hebraica antiquior cum T, Græca Taf, &
Latina, T, quantũ ad figurã habeat affinitatẽ, ab ijſdẽ tamen
quantũ ad ſonũ non parũ differt: illa enim ſuauis eſt: hæ autẽ
*Cicer. in Ora. ad M. Brutum.* inſuauiſſimæ a Cicerone appellantur: A θ, θῆτα vero Theta
Græco, & figura, & ſono, atque ſymbolo lõge diſtat: nã Thau
ſalutare eſt: Theta autem lethiferum: propterea quòd θ, erat
mortis nota, vel quia per mediũ telo eſt trãsfixa, vel quia eſt
prima dictionis, θάνατος, littera, quæ mortem ſignificat. Hinc
*Lib. 7. ad Caſtricũ. Perſius ſaty. 4.* Martialis illud Theta mortiferum, Perſius autẽ nigrũ appel-
lauit dicẽs: *Et potis eſt nigrum mortis præfigere Theta.* Alius: *O ni-
mium ante alias infelix littera Theta.* Nec eſt mirum quòd Thau
figuram Crucis habẽs diuerſam a Theta ſignificationem ha-
beat, cũ Chriſtus Saluator noſter in ligno ſanctiſſimę Crucis
mortẽ noſtrã moriendo deſtruxerit, vitamq. reſurgendo re-
pararit. Vtcumque autẽ ſit quod de antiquioribus characte-
ribus Hebraicis dictũ iam fuit, quas in Bibliotheca Vaticana
inuenimus litteras, nos hic apponendas cenſuimus, quibus
Aſtrologiam a filijs Seth conſcriptam eſſe credendum eſt. De
filijs autem Seth hactenus, vt de Abrahamo tandẽ loquamur.

# DE ABRAHAMO
## ET SYRICARVM, CHALDAICARVMQ. LITTERARVM INVENTORE.

ALTERA in Columnæ facie Abrahã, primus Patriar-
cha, ſenex, veſtibus oblongis indutus, & machæra-
tus, circinum, & amuſſim, ſiue regulam & normam,
quã nunc Quadram paſſim vocãt, dextra manu tenere cerni-
tur.



tur. Machæra cinctus pingitur Abraham ob prælium, quod
annum ſeptuageſimum quintum agens, contra Chodorla- *Gen. 14.*
homor Regem Elamitarum, & Thadal Regem gentium,
& Amraphel Regem Sennaar geſſit, vt Loth nepotem ſuum,
& mulieres atque viros, ſubſtantiamq. Sodomorum & Go-
morrhæ ab inimicis ablatam recuperaret. Hinc potitus vi-
ctoria reuertitur, & pane vinoq. ſollemniter prius oblato a
Melchiſedech, Dei nomine inuocato, excipitur ac benedici-
tur. Circinũ & amuſſim dextera tenere cernitur ob mathema- *Epinomis. 1. legũ apẽdix, vel Phil. to. 5.*
ticam, quã ſacerdotibus Aegyptijs tradidiſſe fertur, vt ſcribit
Ioſephus, & Plato in Epinomide id quodã modo videtur in-
nuere. Quod videtur confirmare Cicero, qui primos Aſtrolo- *Cic. lib. 1. de Diuin. nõ ſemel.*
giæ inuẽtores Chaldæos recẽſet. Aegyptij enim illas ita exco-
luerũt vt putẽtur Geometriæ inuẽtores ſicut Phœnices Arith-
meticæ eſſe dicuntur: cuius tamen lineas ab eodem Patriar-
cha cum in Palæſtinam profectus eſt, acceperunt. Dicitur *Ex Geneb. li. 1. Chronic. an. mũdi 1949.*
etiã Abraham artem ſtatuariã aliquãdiu exercuiſſe, a Tha-
re patre ſuo ſtatuario idolorum fictore & venditore edoctus.
Abraham præterea Chaldaicarum, ſeu Hebraicarũ litte- *Hebra. in Bereſith Rabba, & Suidas in Abrahã. Hieron. in c. 1. Danielis to. 4. Suidas in Abrahã, et Ioſeph. lib. 1. Antiq.*
rarum inuentor fuit, Philone teſte, qui arbitratur linguam
Hebræorum ipſam, vt B. Hieronymus narrat, eſſe Chaldaicã:
quia Abraham de Chaldęis fuit. Vel potius teſte Suida, ſacras
litteras, & linguam ſanctam olim inuẽtam conſeruauit, cum
Adam, vel filij Seth dictarum litterarum, vt Ioſephus ait, In-
uentores dicantur, qui multis annis Abraham præceſſerunt.
Supra Abraham caput extat Alphabetum vt infra: ad eiuſdẽ
vero pedes legitur Inſcriptio in hanc verborum formam:

*Abraham Syras, & Chaldaicas litteras inuenit.*

Alphabetum Syriacum, & Chaldaicum.



NEC

NEc ſilentio prætereundum eſt, cur Inſcriptio Latina hoc loco poſita Syriacas, & Chaldaicas litteras vnico Alphabeto comprehendat. Id enim factum eſſe reor propter earundem linguarum vicinitatem, ſeu affinitatem, vt ſanctus Hieronymus teſtatur dicens: In hac Epiſtola (ad Galatas) modo Cephas, modo Petrus ſcribitur: non quòd aliud ſignificet Petrus, aliud Cephas, ſed quòd quam nos Latine, & Græce Petram vocamus, hanc Hebræi, & Syri propter linguæ inter ſe viciniam, Cepham nũcupent. Hinc ex Philonis ſententia, quam Hieronymus improbare viſus non eſt, Hebræorum ipſam linguam Chaldaicam eſſe dicendum eſt, quia, vt diximus, Abraham de Chaldæis fuit. Nec deſunt, qui autument Chaldaicam linguam eſſe, quam nunc Hebræam dicimus, atque ita fuiſſe vocitatam, vt Theodoretus præſertim ait, ex eo quòd Abraham, cùm è regione Chaldæorum in Palæſtinã veniret, fluuium Euphratem pertranſijt. Hebra enim, vt aiunt, Syrorum lingua idem dicitur quod Euphrates: immo idem Theodoretus Syriacam linguam omnibus alijs antiquiorem eſſe arbitratur, vt nomina ipſa Geneſeos indicare videntur. Adam enim (ait) Cain, Abel, & Noe, propria ſunt linguæ Syriacæ: Syrorum namque mos eſt, terram rubram appellare Adam. Interpretatur autem Adam terrenus, aut pulueroſus, & Cain poſſeſſio, ſicut Adam ipſe de Cain innuiſſe videtur, cum Deum laudauit dicens: Poſſedi hominem per Deum. Abel idem quod luctus: primus enim viſus eſt mortuus, & primus parentibus luctum attulit. Noe vero idemquod requies. Vtcumque autem ſit, Hebraicam linguam, omnium matricem & mundo coœuam fuiſſe fatendũ eſt, vt S. Hieronymus, & Origenes teſtantur: & ex hac multę, ideſt 72. vt Hebræis placet, factę ſunt: quod colligunt è capitibus familiarũ, quæ in libro Geneſeos recẽſentur: Hebraica enim Syriacæ, Arabicæ, Chaldaicę, Aegyptiacę, Samaritanicæ, aliarumq. id genus linguarũ genitrix nũcupatur: Græca Doricæ, Ionicæ, Aeolicæ, & Atticæ, ex quibus cõmunis efficitur: Latina Italicæ, Valachicæ, Gallicæ, & Hiſpanicæ: Sclauonica Polonicæ, Boemicæ, Moſcouiticæ, ac ceterarum: Germanica Helueticæ, Anglicæ, Flandricæ, & aliarum: Tartarica Turcicæ, Sarmacanicæ. Abyſſina Aethiopicæ,

*S. Hieron. in c. 2. ad Gal. to. 6.*

*S. Hieron. in cap. 1. Dan. to 4.*

*S. Hieron. vbi ſupra.*

*Theodoretus q. 59. & 60. in Gen.*

*Gen. 4.*

*Hieron. in Soph. to. 5. Orig. hom. 11. Num.*

*Gen. 10.*

*Ex Geneb. lib. 1. Chronic. anno mundi 1850.*

picæ,



picæ, & Sabeæ. Hinc mirum non eſt, ſi Syriaca, & Chaldaica linguæ vnico Alphabeto comprehendantur, cum ex illa vna, antiquioreq. Hebraica lingua ceteræ originem traxiſſe perhibeantur: immo cum eadem ipſa Hebraica non ſolum quantum ad ſcribendi modum, verum etiam quantum ad characteres, atque verborum ſenſum, affinitatem non modicam ceteras linguas habere conſtat. Hæc hactenus, vt ad alia tranſeamus.

# DE MOYSE ANTIQVARVM LITTERARVM APVD HEBRÆOS INSTAVRATORE.

TErtia in Columnæ facie Moyſes Iudæorum Dux inclytus conſpicitur dextra manu librum, qui Pentatheucum repræſentat, tenere cernitur: qui ad ſiniſtram partem duas Tabulas lapideas apud ſe habet, in quibus fuerunt ſcripta decem Præcepta, quæ a Deo in Monte accepit. Inſtituit autem Moyſes leges ad Religionẽ & ad Rempublicam pertinentes 449. & amplius, totis illis quadraginta diebus, quibus fuit in Monte: quæ tandem, alijs deinceps additis, vſque ad 614. præcepta excreuerunt. Affirmantia quidem 248. quot hominum oſſa a Medicis numerantur: Negantia vero 366. quanta eſt ſumma dierum anni. Id quod ex illis duobus libris, ſuper quibus extant lapideæ Tabulæ, repræſentatur. Hic etiam Hebraicarum litterarum inuentor fuiſſe fertur, vt Euſebio placet, qui ait in libro de Temporibus, & in libro de Præparatione Euangelica Moyſem Iudæis primum litteras tradidiſſe, & a Iudæis Phœnices, poſtremo a Phœnicibus Græcos accepiſſe. Quamuis autem, vt nonnulli volunt, Moyſes Hebraicam linguam punctis inſignitam a Deo accepiſſe dicatur, dum legem in Monte ſuſcepit: dicitur tamen Inuentor Alphabeti antiquioris, quod Adamo primùm, deinde eius Nepotibus tributum eſt, cum eiuſdem

*Anno mũdi 2609.*

*Affirm. & Neg. præcepta.*

*Lib. 8. & 10.*

Alphabeti

Alphabeti inſtaurator fuerit, & cultor, quo antiquiores non habemus Auctores, qui libros conſcripſiſſe perhibeantur. De Hebraicæ linguæ antiquitate ſanctus Pater Auguſtinus idem videtur ſentire dum ait: Non itaque credendum eſt, [Lib. 18. de Ciu. c. 39.] quod nonnulli arbitrantur, Hebræam tantum linguam, per illum, qui vocabatur Heber, vnde Hebræorum vocabulum eſt, fuiſſe ſeruatam, atque inde perueniſſe ad Abraham: Hebræas autem litteras a lege cœpiſſe, quæ data eſt per Moyſen, ſed potius per illam ſucceſſionem patrum, memoratam linguam cum ſuis litteris cuſtoditam. Denique Moyſes in populo Dei conſtituit, qui docendis litteris præeſſent, priuſquam diuinæ legis vllas litteras noſſent. Hæc Auguſtinus. Supra Moyſis caput, Hebraicum Alphabetum antiquius legitur: ad pedes autem Inſcriptio Latina, vt infra:

*Moyſes antiquas Hebraicas litteras inuenit.*

Alphabetum Hebraicum antiquius.



Alphabetum hoc eſt idem cum primo, & ſecundo, quæ ſuperius poſita ſunt: & quamuis Hebraicas litteras non ſolum ante legem Moyſi datam, verumetiam ante diluuium fuiſſe conſtet, ſicut ſuperius monſtratum fuit: Moyſes tamen eas inueniſſe narratur, vt ex Inſcriptione Latina clare patet, quatenus characteres ipſos inſtaurauit, & illuſtrauit, dum Tabulas lapideas digito [Exod. 31. in fine.] Dei ſcriptas accepit, ceteroſq. libros iiſdem litteris conſcripſit. De Hebraicis litteris antiquioribus hactenus: & reliquum eſt vt ad nouas Hebraicas accedamus.

DE



# DE ESDRA NOVARVM LITTERARVM APVD HEBRÆOS INVENTORE.

QVARTA in paraſtaticæ Columnę facie Hebraicarum litterarũ, ſed recentiorũ inuentor Eſdras, Propheta, Sacerdos, & Scriba more ſacerdotali indutus, altera manu calamũ, altera vero librũ tenere cernitur. Hic a S. Auguſtino magis rerum [Lib. 18. de Ciu. c. 36. to. 5. Ex 3. Eſd. 3. & 4.] geſtarũ ſcriptor quàm Propheta habitus fuit: Eſdras autem, inquit Auguſtinus, propheta forte cẽſendus eſt, quia Chriſtũ prophetaſſe viſus fuit cum orta quęſtione apud Regem quid fortius, aut potentius eſſet in rebus, Vnus dixit eſſe Regem, alter Vinum, tertius vero Mulieres, ſed ſuper omnia veritatem victricem eſſe demonſtrauit: quam Veritatem Chriſtum [Io. 14.] eſſe dicendum eſt.

Hic item litteras nouas Hebræas, quibus nunc vtimur, inuenit, vt S. ait Hieronymus, poſt captã Hieroſolymã, & poſt [Præf. in li. Reg. to. 3. Et in c. 9. Ezec. to. 4.] inſtaurationem Templi ſub Zorobabel, cum ad illud vſque tempus ijdem fuerint characteres Samaritanorũ & Hebræorũ. Hic Cabbalã apud Hebræos collegiſſe dicitur, & ſeptuagintaduobus mandaſſe libris, quibus ſeptuaginta duorum ſeniorum doctrinã comprehendiſſe perhibetur: èquorũ numero eſt quartus liber falsò Eſdrę aſcriptus. [Ex 4. lib. ſub falſo. Eſdræ nomine inſcripto. c. 14.] Eos libros Ioannes Picus Mirãdulæ comes, et naturæ monſtrũ ſe habuiſſe ſcribit. Huius itẽ opera libri ſacri fuerũt emendati: hinc merito ſcriba, ſiue cẽſor fuit appellatus: qui etiã, teſte Athanaſio in Synopſi, ducẽtos et quattuor libros cõſcripſit. Quattuor interea libri ſub Eſdræ nomine in Biblijs olim reperiebantur, ſed duo tantum priores canonici habentur: Idq. ita eſſe declaratum eſt in Concilio Carthaginenſi, Florentino, et Tridentino: [Cõcil. Triden. ſeſſ. 4.] quorum prior de rebus geſtis filiorum Iſrael priuſquam e Babylone in Hieruſalem aſcenderet Nehemias: ſecundus vero, qui continet hiſtoriam de reædificatione muri per Nehemiam, qui miſſus fuit tamquam Dux a latere Perſarum Regis ad reædificationem Ciuitatis, Nehemias etiam

M dicitur,

*To.3. Præfat. 107. in Eſdrã.* — *Homil. 9. in Ioſue.* — *Cõtr. Arr.* — *Auguſ. de Ciu. Dei. lib. 18. c. 36. to.5.* — *Ambr. l.2. c.2. in Lu.* — *Lib.2.c.7.* — *Rabanus de inſtit. cler. c.54.*

dicitur, ſæpe tamen confundi ſolent: vterque vero dicitur Eſdræ, ſed primus magis proprie dicitur. Tertius & quartus nomine Eſdrę inſcripti (quos Hieronymus apochryphos, ſomnijsq. plenos vocat) & inter canonicos numquam recepti, nunc iuxta Canonem ſacri Concilij Tridentini a Biblijs veteris editionis vulgatæ Sixti V. Pontif. Max. præcepto expuncti ſunt, quamuis tertius ab Origene, Athanaſio, & Auguſtino, quartus ab Ambroſio pluribus in locis, & præſertim in Lucam, & in libro de Spiritu ſancto citentur. Scripſit etiam Genealogias libri Paralipomenon vſque ad eum locum, in quo ſuam genealogiam oſtendit: cetera Nehemias abſoluit. De ipſo Eſdra Rabanus maurus hunc in modum ſcribit: Omnes libros ſacros veteres cum Iudæi ingreſſi fuiſſent Hieruſalem, Eſdras diuino ſpiritu afflatus reparauit, cunctaq. Prophetarum volumina, quæ fuerunt a Gentibus corrupta, correxit: totumq. vetus Teſtamentum in duos & viginti libros diſtinxit, vt tot eſſent libri in lege quot habentur & litteræ. Quidam autem eum faciunt auctorem accentuum & punctorum, quæ hodie in Biblijs Hebraicis reperiuntur, ſed falſum putant, propterea quòd Hieronymus ad ſua vſque tempora nulla extitiſſe teſtatur: inuentaq. fuerunt paulo poſt tempora Honorij Imperatoris anno ab euerſo templo 436. & poſt Chriſti paſſionem 476. in Tyberiade Vrbe Galilææ. Quamuis autem huiuſmodi puncta ab Eſdra inuenta eſſe inficientur multi et eruditi quidem Viri: ij tamen affirmant ab ipſo Synagogæ, vel Synodi auctoritate Codices Iudæorũ per ſententias, membra, et verſus fuiſſe diuiſos, et interuallis quibuſdam diſtinctos: qui antea veluti vnicus erant verſus. Quare S. Hieronymus ait ſe ad vtilitatẽ legentium eaſdem commaton inciſiones, et interuallorum diſtantias, quas in Hebraicis Codicibus repererat, in ſua Tranſlatione ſeruaſſe. Sed de hac Columna paraſtatica hactenus, vt de Hebraico Alphabeto nouo nonnihil dicatur. Supra Eſdræ caput Hebraicum Alphabetum nouum cernitur: Ad pedes autem eiuſdem hæc Latina legitur Inſcriptio:

*Ex Geneb. li.2. Chro. anno mundi 3638.* — *Ex Geneb. li.2. Chro. anno mũdi 3638.* — *Ex Præf. in lib. Paralip. 107. ſed clarius ex Præf. i Iſaiã ad Paulã, & Euſtoch. to.3. Præf. 117.*

*Eſdras nouas Hebræorum litteras inuenit.*

ALPHA-



## ALPHABETVM HEBRAICVM NOVVM.

| Nomina litterarum. | | Pronunciatio. | Figuræ litt. |
|---|---|---|---|
| Aleph | אלף | a | א |
| Beth | בית | b | ב |
| Ghimèl | גימל | g | ג |
| Dàleth | דלת | d | ד |
| He | הא | h | ה |
| Vàu | וו | u | ו |
| Zàiin | זין | z | ז |
| Cheth | חית | ch | ח |
| Teth | טית | t | ט |
| Iod | יוד | i | י |
| Caph | כף | c ch | כ ך |
| Làmed | למד | l | ל |
| Mem | מם | m | מ ם |
| Nun | נון | n | נ ן |
| Sàmech | סמך | ſ | ס |
| Nghàin | עין | gh | ע |
| Pe | פא | p ph | פ ף |
| Tſade | צדי | tſ | צ ץ |
| Coph | קוף | K | ק |
| Reſc | ריש | r | ר |
| Scin | שין | ſc | ש |
| Sin | שין | ſ | ש |
| Thau | תו | t th | ת |

Litteræ ך Caph, ם Mem, ן Nun, ף Pe, ץ Tſade, in fine dictionis ponuntur: illæ autem alteræ, quæ ſunt eædem cum hiſce quinque, figuris tamen differentes, indifferenter locantur, fine dictionis excepto. Sunt qui Zade, non Tſade dici cõtendant.

Hebræi vocales non habentes, vtuntur virgulis, & punctis vice vocalium, vt infra videre eſt. De quibus etiam fuſius dicetur.

Paruæ. Vocales. Magnæ.

a e i o u — a e i o u

 ALPHA-

ALPHABETVM hoc Hebraicum ab Eſdra inuentum quamuis ab Alphabeto, quod Adamo, filijs Seth, Abrahamo, & Moyſi ſuperius aſcriptum fuit, longe diuerſum ſit quantum ad figuras, cum eo tamen quantum ad modum ſcribendi, & characterum numerum, eorundemq. nomen eſt idem: Nam duæ & viginti ſunt litteræ a dextro in ſiniſtrum latus deſinentes, eodemq. ſono pronunciatæ: immo (quod conſideratione dignum exiſtimatur) non ſolum apud Hebræos, verum etiam apud Syriacos & Aſſyrios, Ægyptios & Aſianos, Samaritanos & Armenos, Arabes & Æethiopes, Indos & Saracenos, Phœnices & Illyricos, ſiue Dalmatas, Hetruſcos et Turcas, Græcos atque Latinos, necnon apud alias Nationes, initium primæ litteræ Alphabeti fere cuiuſcunque ſono ipſius A, pronunciari ſolet, cum ab Hebræis & ab alijs Aleph dicatur (a Chaldæis tamen Olaph) ab Indis Aleſu, ab Aſſyrijs, ſiue Syriacis, ac Phœnicibus Aluz, a Saracenis Alchmon, ab Aegyptijs Athomus, vel Athoin, a Græcis, Hetruſcis, et Iacobitis, multiſq. alijs Alpha, & a Latinis A. Id quod non abſque myſterio factum dicas oportet: A, enim vox eſt humana, magiſq. ad virum, quàm ad feminam pertinens: & hac forſitan ratione primum hominem Adam, & primam feminam Euam ſic Deus nuncupari voluit, cum E, vox magis feminæ quàm viri eſſe videatur, vt a prima infantis luce experimento id ita eſſe paſſim didicimus.

*Ex Appēdice Theſ. Ambr. de introduct. variarum linguarū.*

Hæc de numero, ac ſcribendi modo, pronunciationeq. litterarum, ex quibus Alphabeta Hebraica, multaq. alia diuerſarum linguarum affinitatem quandam inter ſe habere dignoſcuntur: ex notis tamen, ſiue figuris, aut characteribus non parum diuerſa, ſicut ex Alphabeto Chaldaico, Hebraico antiquiori, ac nouo, quod nunc præ manibus habemus, videre eſt. Elementa enim, quibus iam olim, hodieq. Iudæi vtuntur, non veterum Hebræorum, ſed Aſſyriorum eſſe dicuntur, vt Genebrardo placet, Eſdra inuentore, qui Synagogæ, ſiue Synodi conſilio, & auctoritate litteras mutauit, vel quòd veterum Hebræorum quàm Aſſyriorum operoſior erat ſcriptura, vel quia eas Samaritani poſt exilium callerent. Ideoq. Iudæi ne cum ſchiſmaticis Iſraelitis vllo ſacrorum vſu communicarent,

*Geneb.lib. 2. Chron. anno mundi 3638.*
*Geneb.lib. 1.an.mundi 3203.*

nicarent,



nicarent, hanc litterarum formam, quæ nunc vſitata eſt, id eſt quadratam, mutatis prioribus figuris, Eſdra auctore, condiderunt, atque illas veteres, quæ Samaritanæ litteræ deinde ſunt nominatæ, quibus etiam ad eam vſque diem ſancti Hieronymi, vt ipſe ait, Samaritani vtebãtur, reliquerunt Hebræi. Verum quia Hebraica lingua vocales non habet, vt etiã idem Hieronymus ſanctus teſtatur, non ſine magno iudicio, vel ab Eſdra, vel deinceps a quopiam alio, etiam poſt Chriſti aduentum ad annos quadringentos, vt nonnulli volũt, puncta & ad legendum & ad intelligendum commoda fuerunt inuenta: ſin ſecus, legentibus ſemper difficillima fuiſſet lectio, & quandoque incerta. Quare hac tempeſtate punctis, & pronunciatione, non ſcriptis litteris, vt Græci, & Latini faciunt, vocales linguæ Hebraicæ exprimuntur: conſimiliq. modo a Chaldæis, necnon ab Aethiopibus, virgulis affixis litteris, vocales explicantur, vt ex Grammatica Aethiopica, quam Marianus Victorius Rheatinus, vir quidem doctus, Iulij tertij temporibus, Marcello Ceruino tunc Cardinali, qui poſtea Marcellus II. Pontifex dictus eſt, dicauit, & Romæ edidit, cognoſci poteſt. Hinc nos Alphabeto huic nouo Hebraico puncta, quæ a ſancto Hieronymo accentus vocantur, quibus ipſe forſitan caruit, apponenda cenſuimus, etiamſi in Alphabeto, quod in Bibliotheca Vaticana inuenimus, deſiderentur. Nec ſilentio prætereundum eſt, Hebraicos hoſce characteres multo minores olim, quàm nũc, fuiſſe, vt S. Hieronymus innuere viſus eſt ad Euſtochium ſcribens hunc in modũ: Accedit (inquit) ad hanc dictandi difficultatẽ, quòd caligantibus oculis ſenectute, & aliquid ſuſtinentibus beati Iſaac, ad nocturnum lumen nequaquam valeamus Hebræorum volumina relegere: qui etiam ad ſolis, dieiq. fulgorem, litterarum nobis paruitate cæcantur.

*S. Hieron. in cap. 9. Ezech. to. 4.*
*In c. 25. Hiere. to. 4.*
*Procem. in 7. cõment. Ezech. c. 21. to. 4.*
*Gen. 27.*

Hæc de nouo Alphabeto Hebraico punctis inſignito, quo Biblia Hebraica & vetuſtiora, ac recentiora conſcripta ſunt: hæc punctis & virgulis conſtant, illa vero non item: vtraque tamen multis in locis corrupta fuiſſe credẽdum eſt: hæc præter alias quattuor & viginti cauſas, quas Franciſcus Toletus Doctor Theologus e ſocietate Ieſu in ſuis Regulis Hebraicis pro Lingua ſancta intelligẽda, vt vidi, cõſcripſit, ſed nondum in lucem

*Regu. 24. ex Franciſco Toleto in locos difficillimos vtriuſque Teſtamenti.*

in lucem

in lucem emiſit, deprauationi ſubiecta ſunt præſertim ob
puncta, quæ ſicut lectionem faciliorē, clarioremq. reddūt, ita
etiam corruptioni viciniorem efficere queunt, ſi ſolertiæ tan-
tillum deficiat, vel tantumdem malignitatis apponatur: illa
vero ſcilicet vetuſtiora ſunt itē deprauatu facilia ob littera-
rum, dictionumq. æquiuocationē, quæ ſine punctis, & virgu-
lis facile admitti poteſt, tum ob aliquot huius idiomatis cha-
racteres eandem figurā retinentes, tum etiam ob eaſdem vo-
ces diuerſam habentes ſignificationem, cuius generis eſt דבר
quod abſque punctis eſt verbū, vel ſermo, et peſtis, ſiue mors,
vel mortalitas: additis vero punctis, vel virgulis æquiuocatio
aufertur: Nam דָּבָר Dauar verbum, vel ſermo interpreta-
tur: ſi autem hoc modo ſcribatur דֶּבֶר Deuer, vel דָּבָר
Dauer, peſtis vel mors, ſiue mortalitas dicitur: His de
cauſis Hebraica exemplaria corrupta fuiſſe eruditi quidem
Viri (vt reor) affirmarunt: e quorum numero fuit Euſebius
de hiſtoria Eccleſiaſtica, lib. 4. cap. 17. et lib. 5. cap. vltimo,
*Cap. 29.* Tertullianus aduerſus Marcionem, Irenæus in lib. 1. contra
*Rom. 5.* hæreſim, Baſilius lib. 2. contra Eunomium, Ambroſius in
*Gal. 2. to. 3.* Epiſtolam ad Romanos, et in Epiſtolam ad Galatas, et in
Proœmio libri primi in Lucam: Iuſtinus Martyr aduerſus
*Pſal. 95.* Tryphonem ait, ex verſiculo illo Pſalmi, *Regnauit a ligno
Deus*, ablatas eſſe duas haſce voculas, *A ligno*: quæ in Pſal-
*S. Aug. lib. 2. de doct. chr. c. 14. to. 3.* morum editione, quam Italam dicunt, et Eccleſia ſancti Pe-
tri Romæ habet, et legit quadringentis ab hinc ſaltem annis,
huius editionis ceteris libris ammiſſis, reperiuntur. De hoc
Pſalterio Beatus Franciſcus, vt conijcere poſſum, locutus
*Reg. c. 3.* eſt in ſua Regula dum Clericis mandauit, vt diuinum offi-
cium recitandum diſponerent iuxta Romanæ Eccleſiæ ritū,
*S. Bonau. in Regulā c. 3. to. 7. par. 4.* Pſalterio excepto. Quam rem Sanctus Bonauentura perpen-
dit, rationemq. exceptionis huiuſce reddit dicens, Eccleſiam
Romanam alia Pſalterij tranſlatione vti, quàm communiter
habeatur, vel verius aliter emendato, vt ipſe ait: nam per
Romanæ Eccleſiæ ritum, diuini officij ordinem Romæ ob-
ſeruatum intelligit, vt ex dictorū verborum ſerie clare patet.
*Pſal. 21.* Præterea, vbi nos legimus: Foderunt manus meas, & pedes
meos, pro eo, quod legi debet כָּרוּ Karù, id eſt, *foderunt*, vt ha-
bet vulgata editio, recentiores Hebræi legunt כָּאֲרִי Kaa-
ri,



ri, id eſt, tanquam Leo manibus meis, & pedibus meis:
quæ quidem lectio ſenſum nonniſi durum, & diſtortum ha-
bet. Id quod factum videtur, vt veritas prophetica de Chri-
ſti Saluatoris noſtri paſſione & imperio occultaretur. Adſi-
mile eſt illud de Meſſiæ diuinitate apud Hieremiam: Et hoc *Hier. 23.*
eſt nomen, quod vocabunt eum, Dominus iuſtus noſter: nam
pro eo, quod legitur in Latina editione vulgata, *Vocabunt*,
recentiores Hebræi legunt: יִקְרְאוֹ Ichreo, id eſt, *Vocabit*:
quaſi velint id eſſe legendum: Dominus vocabit Meſſiæ
nomen, Iuſtus noſter. At verus lectionis ſenſus eſt: Iſrael
vocabunt nomen Meſſiæ: Dominus iuſtus noſter: pro quo
in Hebræo ſic legi debet, יִקְרְאוּ Ichreu, id eſt *Vocabunt*, vt Chal-
daica paraphraſis habet, & Rabbi Dauid KimKi, qui
hunc in modum legit: Iſrael vocabunt Meſſiam, Deus iu-
ſtus noſter, non autem, Deus vocabit Meſſiam, Iuſtus noſter.
Et hac in re conſului Neophitos aliquot eruditos, & Hebrai-
cæ linguæ profeſſores, Chriſtianæq. pietatis obſeruantiſſi-
mos, qui Hebraica exemplaria tum vetuſtiora tum etiam re-
centiora deprauata eſſe aſſeueranter fidem faciunt iuxta ſen- *S. Hieron. in c. 3. ad Galat. in prin. to. 6.*
tentiam ſancti Hieronymi, qui in Epiſtola ad Galatas, He-
braica exemplaria immutata eſſe aperte fatetur, vbi ait, ſub-
latam ab Hebræis fuiſſe hanc vocem, *Omnis*, ex dicto illo
Deuteronomij: Maledictus omnis, qui non permanſerit in *Deut. 27.*
omnibus, quæ ſcripta ſunt in libro legis: eamq. vocem in He-
bræis Samaritanorum voluminibus ſe inueniſſe ait, idq. cum
ſeptuaginta Interpretibus concordare affirmat. Nec huic *To. 4. in c. 6. Iſaiæ.*
ſententiæ aduerſatur quod in Iſaia dicit idem Hieronymus,
ex Origenis ſcilicet ſententia irridens eos, qui dicunt nonnul-
los ſcripturæ locos ab Hebræis fuiſſe deprauatos: quoniam
ibi Hieronymus de quibuſdam tantum locis loquitur, non
autem in vniuerſum, vt inibi videre eſt. Huiuſmodi eſt di- *Lib. 15. de Ciuit. Dei cap. 13.*
ctum Auguſtini, qui ait, Hebraica exemplaria quantum ad
annorum dinumerationem, hominumq. ætates corrumpi
potuiſſe librariorum potius negligentia, quàm Interpretum,
vel Hebræorum peruerſitate, aut malitia, cum id Iudæorum
improbitati contra Meſſiæ aduentum fauere poſſe haudqua- *Aug. lib. 18. de Ciuit. c. 42. to. 5.*
quam videatur: nonnulla enim de Chriſto, ac de ſanctiſſima
Trinitate ſeptuaginta Interpretes, Spiritu ſancto dictan-
te,

*Præf. in trãſl. Iſa. ad Paulã & Euſtoc. to.3. Præf. 117. Matth. 2. Io. 19. Pſal. 2.*

te, omiſerunt, ne Ptolemæo myſteriorum non capaci ſcandalum afferrent, neue, vt ſanctus Hieronymus ait, Ethnicis fidei ſacramenta perſpicue tunc temporis proderent, neue etiã ſanctum canibus, & margaritas porcis darent. Huius generis eſt illud: Ex Aegypto vocaui filium meum. Et: Videbunt in quem transfixerunt. Et: Oſculamini Filium, vt ſancti Hieronymi Tranſlatio habet: pro quo in editione vulgata legitur: Apprehendite diſciplinam, quæ per Filium, qui eſt ſapientia Patris, intelligi debet. Hæc de antiquis ac nouis Hebræorum litteris, earumq. Inuentoribus. Nunc reliquum eſt, vt ad ſecundam Columnam paraſtaticam accedamus.

---

# DE SECVNDA COLVMNA PARASTATICA,

## quæ litteras Aegyptias, ſacrasq. notas, necnon Phrygias, earumdemq. complectitur Inuentores.

### *De Iſide Aegyptiarum litterarum inuentrice.*

PRIMA huius Columnæ paraſtaticæ facies Iſidem Inachi Regis filiam, & Aegyptiorum Reginam capite corona regia, ac lunula ſemiplena redimito, læua ſceptrum, frumentiq. ſpicas quinque geſtantem repræſentat: ad cuius Reginæ pedes crocodilus cernitur. Hæc e Græcia in Aegyptum ſe ſe recipiens, vt infra dicetur, Aegyptios litteras docuit, & terras colere inſtituit, primaq. vt Tertullianus ait, repertas ſpicas capite circumtulit, ſicut id ſpicæ illæ præſeferunt. Hinc eam Aegyptij vita functam ob beneficiorum memoriam magnis honoribus tanquam Deam proſequuti ſunt, eidemq. ſacerdotes inſtituerunt, terramq. eius nomine, hoc eſt Iſidem, appellarunt: Iſis enim lingua Aegyptiorum terra nuncupatur.

*Tertul. li. de corona mil.*

*Lucanus lib. 6.*

Per



Per lunulam illam ſemiplenam, ſiue cornutam, quæ ſupra Reginæ frontem ad coronæ regiæ cõſpicitur ſummitatẽ, Iſis intelligitur. Plutarchus enim, & Euſebius, alijq. permulti Iſidem Lunam eſſe contendunt ex Ægyptiorum dictatis, qui eam hoc Hieroglyphico deſcribebant, vt cornua taurina veluti nouæ Lunæ ſpeciem geſtaret. Sicut autem Iſis per Lunam, ita per imaginem æluri, quem catum, & felem Latine vocitamus, intelligebatur Luna, in cuius cultum magna ælurum veneratione proſequebantur Aegyptij: apud quos quidquid cum Luna conſenſum aliquem, vel quandam ſympathiam habebat, id maximo habebatur honori: cuiuſmodi ælurus, ſiue felis, vel catus eſſe dicitur, cui ad eaſdem Lunæ vices oculos aut ampliores fieri, aut minores, creſcente, ac decreſcente Luna. Huius autem generis ſympathiam ex eo item eſſe credebant, quòd ſicut Luna Soli aduerſatur, ita felis ſoricem, quem Solis totum eſſe dicebant, genuino quodam odio proſequi ſolet. Hinc felis hieroglyphico Lunam, ac Lunæ imagine Iſidem Aegyptij ſignificabant ob eam ſaltem vim, quam Luna influit non ſolum in ea, quæ in aquis procreãtur, verumetiam ab ipſa gignuntur terra, quæ Aegyptiorum Idiomate Iſis, vt diximus, nuncupatur: ad cuius rei intellectum lunula illa in coronæ vertice depicta eſt.

*Plutarch. & Euſebius.*

*Gellius li. 20. cap. 7. Noct. Att.*

Per Crocodilum lacertæ adſimilem, incredibili tamen magnitudine, vnguibus armatum, ſolis Aegyptijs, atque ijs regionibus, quæ Nilo alluuntur, cognitum, fit alluſio ad Aegyptum, quæ huiuſmodi ſpecie animalis maiorem in modum abundat, ſicut noctuis Athenæ abundare ſolent.

Fit præterea, vt reor, per Crocodilum alluſio ad venerationem, quã eidem animali necnon & Ibi aui præſtabant Aegyptij, ſicut Ariſtoteles ac Tertullianus teſtantur. Puto enim Crocodilum ab Aegyptijs veneratum eſſe ad malum euitandum, quod ipſum animal videtur præſeferre, hoc eſt rapinam, crudelitatem, ac ſimulationem: Crocodili enim natura eſt, ſicut naturalis hiſtoriæ profeſſores narrant, vt cum fame ſtimulatur, & inſidias machinatur, os hauſta impleat aqua, quam effundit in ſemita, qua nouit aut alia quæpiam animalia, aut homines aquatum venturos, vt lapſos ob lubricum deſcenſum neque valentes aufugere corripiat, correptosq.

*Ariſtot. de re famil. lib. 2. Exẽplo 33. Tertul. li. 2. contra Marcionem.*

N ptosq.

ptoſq. deuoret : deinde reliquo deuorato corpore , caput lacrymis effuſis macerat , ac tandem ipſum deuorat . Alij vero ſcribunt, Crocodilum conſpecto procul homine lacrymas emittere , atque eundem mox deuorare. Hinc apud Græcos natum prouerbium : Κροκοδείλυ δάκρυα , id eſt Crocodili lacrymæ , in eos transfertur , qui ſimulant ſeſe grauiter angi incommodo cuiuſpiam , cui perniciem attulerint, cui ve magnum malum moliti ſint. Ob eandem fere cauſam , ſicut conijcere queo , Ibim coluerunt , vt ſcilicet peſtem, & inuidiam pariter euitarēt, quæ per huiuſmodi auem nobis indicatur . Hæc enim roſtri aduncitate per ſe partem perluit, qua reddi ciborum onera conſueuerunt,& ſerpentibus paſcitur: hinc Cicero ait : Velut Ibes maximam vim ſerpentium conficiunt, cum ſint aues excelſæ , rigidis cruribus, corneo, proceroq. roſtro : auertunt peſtem ab Aegypto, cum volucres angues ex vaſtitate Libyæ vento Africo inuectas interficiunt , atque conſumunt : ex quo fit vt illæ viuæ nec morſu, nec mortuæ odore noceant. Ab huius auis ſimilitudine Ibis pro inuido ponitur , vt ex eo , quod in Ibim ſcripſit Ouidius , conſtat . Dictis igitur de cauſis ob malum videlicet deprecandum , aut præcauendum , Ibim & Crocodilum venerati ſunt Aegyptij adeo ſuperſtitioſi , vt cæpe, alliumq. inter deos retulerint . Iſidem vero ob collata in ſe beneficia , terræ ſcilicet culturam ijs præſtitam , necnon propter inuentas litteras, quas eoſdem edocuit , coluerunt, ſicut ex eo Alphabeto , quod ſupra Reginæ caput conſpicitur , videre eſt : ad cuius pedes breuis hæc legitur Inſcriptio :

*Prouerbium.*

*Cic. lib. 2. de Nat.*

*Plin. lib. 9. cap. 27.*

*Iſis Regina Aegyptiarum litterarum inuentrix.*

Alphabetum Aegyptiacum.



REGINAM



REGINAM hanc, qua nullum apud Aegyptios numen maius , neque venerabilius fuit, Aegyptiarum litterarum Inuentricem fuiſſe Latina docet Inſcriptio: ſed apud eoſdem Aegyptios loco litterarum varias animalium extitiſſe effigies,variarumq. rerũ inſtrumenta inciſa aliquando fuiſſe credendum eſt,vt per huiuſmodi figuras humanæ mentis ſenſus varios effingerent , ſicut antiquiſſima monimenta memoriæ humanæ ſaxis, & Obeliſcis præſertim impreſſa indicant : ſed hieroglyphicis priores dicti Alphabeti litteras fuiſſe fatendum eſt ex doctrina ſancti Patris Auguſtini, qui,dum Iſidem litterarum Aegyptiarum inuentricem affirmat,hunc in modum ait : Quid ſapientiæ eſſe potuit in Aegypto antequam Iſis, quam mortuam tanquam Deam magnam colendam putauerunt,litteras traderet? Iſis porro Inachi filia fuiſſe proditur , qui primus regnare cœpit Argiuis , quando Abrahæ iam nepotes reperiuntur exorti . Quibus verbis non ſolum antiquam litterarum , doctrinarumq. Agyptiarum inuentionem oſtendit , verum etiam propheticam doctrinam omni origine humanæ philoſophiæ antiquiorem fuiſſe teſtatur , ac demonſtrat . Hæc de primis Aegyptiorum litteris, vt ad ſacras notas accedamus.

*S. Auguſt. lib. 18. de Ciuit. Dei cap. 37. in fine. to. 5.*

# DE MERCVRIO
## SACRARVM LITTERARVM APVD ÆGYPTIOS INVENTORE.

SECVNDA paraſtaticæ Columnæ facies Mercurium Iouis & Maiæ filiũ,galeratũ,& cothurnatum, aliſq. redimitũ, caduceũ, ideſt duobus virgam ſerpentibus circumdatam dextra tenẽtem, Deorum nuncium, facundiæ mercatorum , lucri,ac palæſtræ Deum , furum Magiſtrum , ac denique citharæ , litterarumq. Aegyptiarum inuentorem repræſentat . Hæc autem ad eiuſdem ſermonem & facundiam pertinent. Dictus eſt enim Mercurius , vt ait S. Pater Auguſtinus, quaſi

*Diod. li. 1. cap. 3.*

*Nomina Mercurio tributa declarantur à S. Aug. lib. 7. de Ciu. cap. 14.*

 medius

medius currens,cum ſermo inter homines medius currẽ sexiſtat: Ideo a nonnullis Hermes appellatur: ἑρμῆς autem Græcè interpretatio eſt, quæ etiam ad ſermonem refertur. Hinc Deorum nuncius a Poetis fingitur: quoniam per ſermonem cogitata omnia enunciantur. Hic præterea mercibus, a quibus item Mercurius eſt nominatus, præeſſe creditur, quia inter vendẽtes & ementes ſermonem fieri medium neceſſe eſt. Furum denique Magiſter appellatur, propterea quòd audientium corda ſermo aufert & animos fallit. Huius capiti, ac pedibus Poetæ alas tribuunt, hac re ſignificare volentes, inſtar volucrum velocem per aera ferri ſermonem. Caduceum quoque ſeu virgam geſtare fingitur, qua ſerpentes, hoc eſt diſſidia & diſcordias hominum tanquam venena, ſeu venenatas belluas diuidat: nam diſſidentium animi ſermone præſertim ſedari ſolent: dictumq. caduceum exiſtimatur quaſi contentiones & bella per orationem cadere faciat. Quare pacis legati a priſcis illis Scriptoribus Caduceatores dicebãtur: ſicut enim per Feciales bella indicebantur,ita pax per Caduceatores fiebat. Ad Mercurij imaginis pedes cernitur caput Argi, qui ob plurimos oculos cẽticolus appellabatur.Hoc loco ſitum eſt caput vt intelligatur, Argum a Iunone cuſtodem conſtitutum Iſidis,olim Io,in iuuencæ formam a Ioue commutatæ,a Mercurio eiuſdem Iouis iuſſu fuiſſe interfectum, oculis eius ſono fiſtulæ conſopitis, quos deinde aui ſuæ Iuno, hoc eſt Pauonis caudæ inſeruit, vt Poetæ fabuloſe aiunt,& præſertim Ouidius,qui hunc in modum Argum ipſum deſcribit:

*Liu.lib.6. de Bello Pun.*

*Lib.1. Metamorph.*

*Centum luminibus cinctum caput Argus habebat,*
*Inq. ſuis vicibus capiebant bina quietem,*
*Cetera ſeruabant, atque in ſtatione manebant.*

Quo quidem commento Poetæ indicare voluerunt,ſermoni, quem per fiſtulæ ac citharæ ſonum ſignificarunt, tantam eſſe quandoque vim, vt ex eo quiſque aliquando decipiatur, oculo intellectus per dicendi ſuauitatem ſopito. Argus item myſtice ſumptus, vt Mythologici interpretantur, eſt cælum ſtellatum innumeris fere oculis quibuſdam, ſtellis ſcilicet fulgẽs ac diſtinctum, quibus quædam cæleſtium oculorum ſpecies ineſſe videtur. Mercurium vero, teſte Macrobio



biõ,Solem eſſe volunt,qui tunc occidere Argum dicitur cum diurno ſuo lumine ſtellarum lucẽ obſcurat. Hac de re fortaſſe peruſtus fingitur: vel quia Soli vicinior eſt quàm ceteræ ſtellæ, vt Ciceroni placet. Pyramis autem illa a dextro latere ſita Aegyptũ pyramidibus affluentem,characteres vero inibi deſignati Mercurium ſacrarum litterarum,quę & Hieroglyphica, hoc eſt ſacræ notæ nuncupantur, inuentorem, eiuſdemq. eloquentiam repræſentant. Hieroglyphica ceteris litteris antiquiora, quæ a ſacerdotibus adhibebantur, a vulgo non item, hoc loco non apponuntur, ſed Alphabetum, quod item a Mercurio inuentum dicitur, & in Bibliotheca Vaticana reperitur, ob oculos poſuimus,etiamſi ad eiuſdem Mercurij pedes Latina hæc legatur Inſcriptio:

*Lib. 1. Saturn. cap. 11.*

*Cic. 3. de Nat. Deorum.*

*Iuſtus Lipſius in li. 11. Annal. Corn. Taciti.*

*Mercurius Thoyt Aegyptijs ſacras litteras conſcripſit.*

Alphabetum Aegyptiacum alterum.



*Plutarch. & Strabo lib. 7. Diodior. Sic. li. 1. & 4. in princip. Cic. lib. 3. de Nat. Euſeb. de præp. euãgel. lib. 1. cap. 7. Et Tacit. li. 11. Annal. Plutarch. li. 9. Sympſos. q. 3. to. 2.*

MERCVRIVM ſacrarum litterarum inuentorem fuiſſe fere omnes fatentur: cuiuſmodi autem eſſent litterarum characteres apud Aegyptios, dictum eſt paulo ſuperius, necnon in ſexto Emblemate Obeliſcum Lateranenſem repræſentante, in quo ſenſum quorundam Hieroglyphicorum tanquam tenui penicillo adumbratum declarauimus. Nec ſilentio prætereundum eſt, maiori ex parte, animalium effigies litterarum loco in vſu fuiſſe: atque ex eo conijci poteſt quòd Plutarchus ait, Mercuriũ,qui primas litteras Aegyptijs communicauit,Ibim primam eſſe litterã voluiſſe: refert enim eam in ingreſſu triangularem

gularem effigiem, ſeu figuram, cruribus ita diſpoſitis, repræſentaſſe: ob eamq. item cauſam, Ibim ab Aegyptijs veneratam fuiſſe puto. Hinc apud Latinos, & Græcos prima littera ad Iſochelis trianguli faciem accommodata eſt, atque ita opinandum eſt reliquas quoque huius generis litteras, vel xvj. vel quoquot extiterint, alicuius animalis effigie, membroue figuratas fuiſſe. De huiuſmodi characteribus Aegyptijs, vel hieroglyphicis, ſiue ſacris notis, Cornelius Tacitus hunc in modum ait:

*Cornelius Tacit. lib. 11. Annal.*

Primi per figuras animalium Aegyptij ſenſus mentis effingebant, & antiquiſſima monimenta memoriæ humanæ impreſſa ſaxis cernuntur, & litterarum ſemet inuentores perhibent: inde Phœnices, quia mari præpollebant, intuliſſe Græciæ, gloriamq. adeptos tanquam repererint quæ acceperant. Hæc Tacitus: ex cuius verbis planum fit, non ſolum hieroglyphica maiori ex parte animalium figuris cōſtare, verum etiam Aegyptiarum litterarum inuentionem (Hebraico Idiomate excepto, atque Chaldaico) omnibus eſſe alijs antiquiorem.

Nec ſubticendum eſſe cenſeo, cur Mercurius in Latina Inſcriptione, quam ſuperiori loco appoſuimus, THOYT, nūcupetur, ni etiam Theuth ſcribi debeat, vt ſcriptum, & impreſſum paſſim inueni. Quæ quidem vox ſicut quattuor tantum litteris conſtat, ita etiam conſideratione exiſtimatur digna: propterea quòd quaternarij poteſtas, ac dignitas admiranda ſemper fuit apud omnes fere Nationes, quæ nihil quaternitate non conſtare putarunt: nam quaternitatem animæ noſtræ ineſſe arbitrabantur, mentem ſcilicet, ſcientiam, opinionem, & ſenſum: aliaq. denique omnia quaternario numero eſſe colligata, hoc eſt elementa ipſa, horas anni, numeros, ætatumq. compagines: atque ita vt nihil dici poſſit, quod a numero quaternario tanquam a radice ac principio non dependeat, ſicut Plutarchus, & Cœlius Rhodiginus diffuſe demonſtrant.

*Plutarch. li. 9. Sympoſ. q. 3. to. 2.*

Quare Pythagorici numerum quaternarium totum numerum, ac ſacrum, ſolidumq. vocabant ob rationes, quas Arithmetici recte norunt. Hinc non ſine ratione, aut conſilio factum eſſe reor, vt omnes fere Gentes præcipuum Dei nomen quattuor tantum litteris enunciarint.

*Ex Cœl. Rhodig. li. 23. antiq. lect. c. 9. to. 3.*

Hebræi enim ſacrum Dei nomen יְהוָה Iehouah, quod inde Tetra-



grammaton dicunt, quattuor tantum litteris nominarunt: quod & alia voce exprimitur, quæ Adonai eſt, & apud eos, Adni etiam, ſcribitur: ſignificat autem, Dominum noſtrum. Ieſu deinde ſuaue, ac ſalutare Gentibus nomen ab Angelo accepimus.

*Matth. 1. Luc. 1. & 2.*

Græcis vero θεός, Latinis Deus appellatur. Quem autem nos Deum nuncupamus, Perſæ dicunt Syre: Magorum diſciplina, Orſi: Arabes, Alla: Aegyptij vero Thout, vel Theuth: quo nomine Mercurius ab ijſdem nuncupatus, tanquam Deus veneratus eſt, cui quaternarius numerus ab Aegyptijs adſcribitur, vt Rhodiginus ait, quando inter omnes quadratus cenſetur Deus.

*Cœl. vbi ſupra.*

Plutarchus autem Mercurio quaternarium numerum ſacratum iam fuiſſe ex eo opinatur, quòd quarta menſis die natus feratur.

*Plut. li. 9. Sympſiacon. q. 3. to. 2.*

Vel id factum eſſe putandum eſt ob ſex & decem litteras ab eodem inuentas, quæ quattuor quaternarijs conſtant. Vtcunque autem ſit quod duabus hiſce rationibus poſtremo loco narratis dictum eſt, Mercurium ab Aegyptijs veneratum, vt commentationes mathematicas, & id genus alias commentitias rationes poſthabeam, ex eo ſaltem appellatum eſſe Thout, vel Theuth credendum eſt, quòd hiſce quattuor litteris ab ijſdem populis Deus, vt diximus, appellabatur. Vt autem quæ de Mercurij nomine, ac litteris, artibusq. ab eodem inuentis teſtimonio comprobem luculentiſſimo, dicam quæ in Platonis Phædro inueni. Plato enim ſub Socratis nomine ſic ait: Audiui equidem circa Naucratim Aegypti, priſcorum quendam fuiſſe deorum, cui dicata ſit auis, quam Ibim vocant, dæmoni autē ipſi nomē Theuth, hunc primum omnium numerum, et numeri computationem, geometriam, et aſtronomiam, talorum, alearumq. luſus, et litteras inueniſſe.

*Plato in Dialogo, qui dicitur Phædrus, vel de pulchro longe poſt med. et nō procul a fine. to. 2.*

Hæc Plato de Mercurio, quem infra, litterarum patrem appellat: quæ quidem omnia non niſi de Mercurio intelligi debent, vt omnes exponunt, tum ex Ibi aue, quæ prima ſacrarum litterarum erat, tum etiam ex diſciplinis, quæ eidem aſcribuntur. Mercurius igitur Theuth ab Aegyptijs dicitur ſiue Theutates, vt ait Rhodiginus: itemq. dæmon, ideſt ſapiens, nuncupatur.

*Cœl. Rhodig. li. 22. c. 15. to. 3.*

Ab ijſdem, teſte Cicerone, dicitur Thoyth: eodemq. nomine primus anni menſis vocatur.

*Cic. lib. 2. de Nat.*

Dicitur item Taatus, vt ait Euſebius, & Thoor,

*Euſeb. l. 1. cap. 7. de præp.*

& Thoor, ac Thoyth: vel θωὺθ καὶ θωθ, ideſt Thoyth, vel Thoth, vt in Suida legitur: In Platone autem θεὺθ, Theuth. Hæc de Mercurio, vt ad alia tranſeamus.

## DE HERCVLE PHRYGIARVM LITTERARVM INVENTORE.

TERTIA Columnæ paraſtaticę facies Herculem, Iouis & Alcmenæ filium, clauæ ex altera parte innixum, ex altera vero leonis pellem manu tenentem repræſentat. Hic ob inſignem fortitudinem & gloriam a Gentibus illis Veritatis ignaris inter deos relatus eſt, maximis exantlatis laboribus, quos quattuor, ac triginta fuiſſe conſtat, ipſumq. Phrygiarum litterarum inuentorem extitiſſe, perhibetur. Hinc ſupra eius caput Alphabetum Phrygiacum conſpicitur: ad eiuſdem autem pedes hęc legitur Inſcriptio:

*Cic. lib. 3. de Natu. Deor.*

*Hercules Aegyptius Phrygias litteras conſcripſit.*

Alphabetum Phrygiacum.



HERCVLEM Phrygiarum litterarum inuentorem fuiſſe Cicero teſtatur dicens: Alter Hercules traditur Nilo natus Aegyptius, quem aiunt phrygias litteras conſcripſiſſe. Hac de cauſa apud Gallos Herculis ſimulacro, ſiue hieroglyphico, eloquentiæ vis exprimi ſolebat, ſicut ex Luciani libello de Hercule conſcripto patet:

*Cic. lib. 3. de Natu. Deor.*



patet: in quo Phrygia eloquentia maiorem in modum laudatur. Qua de re Phrygibus proprias antiquitus fuiſſe litteras ab Hercule inuentas dicendum eſt, ſicut Tabella ad angulum huius faciei dextrum depicta, quam Puerulus prope Herculem iacens tenere cernitur, præſeferre videtur. Nam per huiuſmodi picturam fit alluſio ad illud, quod Herodotus narrat de duobus infantibus, quos Pſammiethicus rex Aegyptiorum, paſtori cuidam inter pecora educandos dedit, atque in ſolitaria caſa cuſtodiendos, caprarumq. lacte alendos, nullamq. penitus vocem coram eis edendam iuſſit, donec infantes inarticulate vagire deſiſterent, & aliquid, Natura docente, articulate pronunciarent, vt hoc exemplo ſciri poſſet, quænam lingua ſit homini naturalis, quinamve primi hominum extiterint, cum ad illa vſque tempora, vt Pauſanias ait, de huiuſmodi antiquitate fuerit controuerſia. Hinc expleto (ait) bimatus tempore, pueruli, porrectis manibus procidentes hanc vocem Beccus, ideſt panem Phrygia lingua (vel Bech potius, vt ſuſpicor) ediderunt. Qua ex re Aegyptij antiquitatem Phrygibus concedendam confeſſi ſunt. Hæc ex Herodoto: qui etiam ex Græcorum opinione inibi ait, mulieribus, quæ infantes illos cuſtodiēdos, ac nutriendos Regis præcepto ſuſceperunt, linguas fuiſſe abſciſſas. Id quod ab Herodoto irriſum, ego rationi, ac Pſammiethici crudelitati, quam eidem Regi Herodotus tribuit, magis conſentaneum eſſe puto. Non deeſt tamen qui dicat, ab iiſdem puerulis editam fuiſſe hāc vocem Bedy, quæ apud Phrygas aquam ſignificat, & quamdam cum dictione Beccus quantum ad ſonum habet affinitatem. Sunt item, qui eos puerulos hanc vocem Beccus, quæ apud Gallos, & Italos auium roſtrum ſonat, protuliſſe nolint, ſed ſonum ſiue balatum quemdam, be, be, ad imitationem caprarum, quas audierunt, ediſſe contendāt, nullam prorſus linguam homini naturalem eſſe affirmantes, vt etiam ſancto P. Auguſtino placet dicenti: Siquis inter mutos natus atque alitus eſſet, ſero ac iam iuuenis in alios homines incidens, loqui diſceret, cum aliam linguam nullam noſſet. Hæc Auguſtinus: ex cuius plane ſententia clare dignoſcitur, nullam prorſus linguam homini eſſe naturalem: ſi qua enim ei naturalis foret, omnes vno

*Ex Ioāne Pierio Valer. Bellunen. lib. 59. de Hercule & eloquētia.*

*Herod. li. 2. in Euterpe ſub initio.*

*Pauſan. lib. 1.*

*Beccus, id eſt panis.*

*Lib. 3. in Thalia.*

*Clemens Alexand. Strom. 5.*

*Sueton. in Vitell. c. vlt.*

*S. Auguſt. li. de anima quantit. c. 18. to. 1.*

idiomate loquerentur: nam quod vni ſpeciei naturaliter conuenit, id omnibus eiuſdem ſpeciei indiuiduis congruere neceſſe eſt. Propterea naſci hominem & mutum, & ſurdum: audireq. prius pueros, moxq. loqui, Ariſtoteles affirmat. Sed quamuis Quintilianus ſermonem ab ipſa rerum natura genitos protinus homines accepiſſe dicat, & Ariſtoteles ſermonem ſolius hominis eſſe inquiat, hoc tamen non niſi propriam poteſtatem loquendi ſoli homini naturaliter inſitam atque innatam fuiſſe nobis argumento eſſe poteſt. Quòd autem homo hac vel illa loquatur lingua, id humanæ tribuitur arti. Si enim ſermonis, vel loquutionis conſideretur materia, quæ eſt vox articulata in pulmonis canna, & a vocali arteria pullulans, loquutionem homini naturalem eſſe dicas oportet: ſi autem hoc vel illud idioma ab homine inuentum perpendatur, id artis eſſe noueris, veluti gladius, ſi materiam ſpectes, naturalis eſt: ſi formam, eſt arte confectus. Præterea, ſicut ſonum, vel vocem moleſti quidem, ac iucundi ſignificatiuam cunctis animalibus tributam eſſe non ignoramus, ita ſermonem ad hoc ſoli homini rationis participi datum eſſe fatendum eſt, vt ſcilicet vtilitatem, ac damnum, necnon iuſtum, & iniuſtum oſtendat: quod non niſi per loquutionem, quæ tantum homini data eſt, fieri poſſe conſtat. Quamuis autem Pſittacus, Ἀνθρωπογλωττος dictus, quaſi linguam hominis habens, & Coruus, & Pica ob linguam ſibi latiorem, quàm ceteris auibus naturaliter datam (lingua enim mollis, lata, & abſoluta, teſte Ariſtotele, loquutioni accommodatior eſt, vt etiam in ouibus, & bobus patet) voces quaſdam articulatas, humanæ ſcilicet loquutioni adſimiles miro naturæ artificio exprimere videantur, eas tamen aues loqui proprie non eſt dicendum: quę enim pronunciant non intelligunt, ſed aſſuetudine quadam id agunt, & non niſi quod dicerunt proferunt, nihil tamen penitus intelligentes, tametſi Martialis de Pſittaco illo Cæſarem ſalutante, ait:

*Pſittacus a vobis aliorum nomina diſcam:*
*Hoc per me didici dicere: Cæſar aue.* Et de Pica:
*Pica loquax certa dominum te voce ſaluto:*
*Si me non videas, eſſe negabis auem.*

Iocatur enim hoc loco Martialis, more poetico vtens proſopopeia

*Lib. 3. inſtit. orat.*
*Ariſt. li. 1. Polit. c. 2. to. 3.*
*Ex Ariſt. vbi ſup.*
*Ex Ariſt. lib. 2. de part. animal. c. 17. Et 4. de hiſt. c. 9. to. 5.*
*Ariſt. vbi ſupra.*
*Aegid. Roman. li. 2. ſent. diſt. 8. art. 2. ad dub. 2.*
*Martialis li. 14. Epigram.*



ſopopeia veritatem ipſam excedente: nam lingua (Ariſtoteles ait) non niſi ad ſignificandum aliquid alteri contributa eſt. Id quod abſque rei intelligentia, quæ in brutis animalibus non extat, fieri haud quaquam poteſt. Si autem aliquādo accidit, vt bruta animalia loqui viſa fuerint, ſicut narrat Liuius, qui ait bouem locutum: id prodigioſum, atque in eo dæmonem loquutum fuiſſe dicas neceſſe eſt ob ſuperſtitioſam earum Gentium credulitatem, vt idem Liuius ait: vel diuina virtute res huiuſmodi euenire poteſt, ſicut in Scriptura ſacra eueniſſe legitur.

Homini igitur ſoli datum eſt loqui: nec ei fari fas eſt a prima naſcentis luce, ſed quodam ſane tempore a natura ſibi præſcripto, vt omnes recte norunt: alijs tamen citius, alijs vero tardius. Si quis autem ante idoneam loquendi ætatem verba pronunciaſſe dicatur, eum rurſus obmutuiſſe Ariſtoteles narrat, quouſque ſolitum loquendi tempus, acceſſiſſet: vel eumdē actutū obijſſe aiunt, ſicut cuidā infanti, eueniſſe compertū eſt: qui ſupra omnes Naturæ leges, vix dum quattuor ac viginti vitæ horis completis, verba ad paterni regni amiſſionē, & gentis perniciem, ac deſolationem pertinētia edidit: quibus enunciatis, eum exanimem concidiſſe, proditur. Hæc de loquutione ſoli homini conceſſa: nunc reliquum eſt, vt eo, vnde digreſſi ſumus, reuertamur dicentes, nullam homini linguam eſſe naturalem, ita ſcilicet, vt ſiquis inter mutos natus, atque alitus eſſet, hac vel illa naturaliter loquatur lingua ab alijs olim inuenta. Is enim cum ad idoneam loquēdi ætatē perueniſſet, nullamq. prorſus didiciſſet linguam, nutu aliquo, ſiue geſtu corporis quodā modo, vt ſic dixerim, loqui, vocē aliquā emittens, niteretur, mutiq. vicē nullo penitus verbo pronunciato gereret: qui enim linguā vllam non audiuit, ſuapte natura loquutionem aliquam formare non poteſt niſi cæleſti dono adiuuetur. Præterea omnes, qui naſcuntur ſurdi, teſte Ariſtotele, mutos item fieri neceſſe eſt, quippe qui nullā diſcere potuerint loquendi formā. Qua de re, quæ ab Herodoto de duobus puerulis, phrygiaq. lingua narrantur, veritati conſentanea haud quaquā eſſe fatendum eſt: Siqua enim lingua homini eſſet naturalis, Hebraica profecto foret, omniū linguarum prima, quam primus homo diuinitus edoctus ceteris

*Ariſt. li. 3. de anima text. vlt. ī vltimis verbis.*
*Liu. Dec. 1. lib. 3. & Dec. 3. lib. 4. & 7.*
*Num. 22.*
*Plinius in procem. libro 7. hiſt. nat. ait puero dari loquutionē, cū vertex palpitare ceſſat: hoc eſt ad mēſem 14.*
*Hali Abaragel.*
*Ex Ariſt. 4. de hiſt. 9. to. 5.*
*Ariſt. lib. 4. de hiſt. animal. c. 9. to. 5.*

teris præmonſtrauit : & hac denique lingua,quia primos Parentes cum Deo congreſſum, ſermonemq. habuiſſe credendum eſt, eos puerulos, quos panem Phrygia lingua pronunciaſſe narrat Herodotus, loquuturos fuiſſe reor, ſicut Origenem, ac Hieronymum ſenſiſſe Bartholomæus ſibylla teſtatur, qui ex eorum ſententia dictos pueros voces haſce edidiſſe Hebraicas, hoc eſt, לֶחֶם Lechem, quæ apud nos dicitur panis, & יַיִן Iaijn, quæ vinum Latinè interpretatur. Hæc ex Bartholomęo ſibylla. Verum, vt vt res ſeſe habeat, has tamen opiniones hoc loco recitare libuit, vt intelligatur, quid puerulus ille tabellã tenẽs in hac paraſtaticæ Columnæ facie depictus ſibi velit. Hæc de Hercule, Phrygijsq. litteris ab eo cõſcriptis,quas etiã Aegyptias fuiſſe opinor,cũ ab Hercule Aegyptio eò delatæ ſint.Nunc adMemnonẽ accedamus.

*Herodotus vbi ſupra.*

*Barthol. 7 quæſt.peregr. Dec. 3.c.6.q.6.*

## DE MEMNONE LITTERARVM ÆGYPTIARVM INVENTORE.

*Virg. 1. Æneid.*

QVARTA paraſtaticæ Columnæ facies Memnonem Tithoni filium fratris Laomedontis ex Aurora ſuſceptum, equeſtri, ſeu militari habitu indutum, Aegyptiarumq. litterarum inuentorem, aut cultorem repræſentat: cuius poſt tergũ ſepulchrũ cernitur, ſuper quod aues duæ volandi actu depictæ cõſpiciuntur. Supra Memnonis caput Alphabetũ extat Aegyptiacum: ad eiuſdem vero pedes hæc legitur Inſcriptio:

*Memnõ Phoroneo æqualis litteras in Aegypto inuenit.*

Alphabetum Aegyptiacum.



MEMNO-



MEMNONEM Aegyptiarum litterarum inuentorem fuiſſe docet Inſcriptio, quamuis Alphabetum hoc loco poſitum paulo ſuperius ex multorum virorum ſententia fuerit affirmatum in Aegypto repertum fuiſſe a Mercurio, quem Cicero huius nominis quintum fuiſſe tradit. Id quod admirationi nobis eſſe non debet, cum de primo litterarum Aegyptiarum inuentore apud probatiſſimos Auctores magnum certamen fuiſſe conſtet. Quamuis igitur Mercurio, quem hieroglyphica inueniſſe nemo inficiatur, Aegyptiacum Alphabetum plerique tribuant, Memnoni tamen vel tanquam eiuſdem Alphabeti inuentori, vel ſaltem cultori illud idem aſcribendum nonnulli affirmant.

*Plato in Philebo, et in Phædro. to. 2. Plutarch. li.4.Symp. q.3.to.2. Diod.li.1. & 4. Cic. lib.3. de Natur. Deo. Strabo lib. 7. & alij. Polydor. Virg. li. 1. cap.6.*

Vt autem quæ in hac paraſtaticæ Columnæ facie intelligantur, quod de Memnone ſcriptum reperi, breuiter ſubſcribam. Sunt qui eum Aethiopem ex Aethiopia in Aegyptum, vbi occubuiſſe volunt, profectum arbitrentur, quo Demetrium Sunieum adijſſe dicunt, vt ſtatuam Memnonis, ac pyramides ſpectaret, quas vmbram nõ iactare, quamuis altiſſimas, audiuit. Thebæi Memnonem negant, ſed quemdam popularem ſuum eſſe aiunt, cuius ea ſit ſtatua. Nec deeſt qui eam Seſoſtri tribuat, & a Cambyſe mutilatam dicat. Sunt etiam ex Græcis, qui Memnona Aethiopem non fuiſſe, ſed apud Ilium Aethiopibus præfuiſſe affirment. Maior tamen probatiſſimorum Auctorum pars ex Aethiopia profectum apud Ilium occubuiſſe teſtatur. Memnon enim Aethiops Tithoni, & Auroræ filius cũ maxima orientalium populorum copia in auxilium Priamo Troiæ Regi venit, & in pugna ab Achille occiſus, vel, vt alij tradunt, Theſſalis inſidijs interfectus fuit : qui cum in rogo cremaretur, precibus Auroræ, vt Poetæ fabulantur, in auem mutatus eſt : ex eademq. pyra aliæ aues euolarunt, quæ Memnoniæ vocatæ, quotannis, vel, vt alij volunt, quinto quoque anno, in agrum Iliacum aduolaſſe, Memnoniſq. ſepulchrum ter luſtraſſe, deinde in duas partes diuiſæ, roſtris, vnguibusq. (vt aiunt) concurſum, ſiue conflictum egiſſe, ſuiq. generis Auctori ſanguine ſuo parentaſſe dicuntur, ſicut Ouidius aperte docet, qui de Memnone hiſtoriam ſuo carmine fabuloſe & eleganter cecinit. Hinc Memnon tanquam multorum militum dux militari

*Philoſtratus in Iconib. Strabo lib. 15. Et Lucianus in Toxari.*

*Ouid. lib. 13. Metamorph. Virg. li.1. Aeneid.*

*Pauſan. lib.1. Diod. Sic. lib. 3. Strabo lib. 13.15. & 17.*

militari habitu indutus cernitur ad rei militaris hiſtoriam innuendam : fabulam vero aues ſupra ſepulchrum depictæ repræſentant.

*Ex Philoſtrato in Iconibus. Ex Strabone lib. 15. & 17. & ex alijs.*

Nec eiuſdem Memnonis ſtatua ſilentio prætereunda cenſetur : eſt enim ſedens nigro è lapide, quæ magna religionis celebritate in Aethiopia viſebatur : in quam dux ipſe ab Achille confoſſus fertur tranſmutatus. Eo autem artificio fabricata erat, vt ſol primo ſtatim ortu radios ſuos in os eius eiacularetur, ac veluti plectrum aliquod ibi ſonum excitaret, vocaliq. ſignificatione iam adeſſe deum annunciaret : eratq. ſtatua illa diei aduenientis indicium, vt Auroræ filius maternum officium imitaretur. Dicitur autem Memnon Phoroneo æqualis, ſicut in Inſcriptione legitur Latina, vt clare dignoſcatur, ipſum tēpore Phoronei Argiuorum Regis II. qui initio diſperſos populos in Vrbem coegit, quam appellauit Argon Phoronicon: vel Phoronei, vt alij volunt, Regis primi, qui fuit anno fere quingēteſimo poſt aquarũ inundationem : ſunt enim qui Memnonem ante Phoroneum Argiuorũ Regem II. fuiſſe velint. Hæc de Memnone. Nunc reliquum eſt, vt ad tertiam Columnam paraſtaticam tranſeamus.

*Plin. li. 7. cap. 59.*

# DE TERTIA COLVMNA PARASTATICA,

## Græcarum litterarum inuentores repræſentante.

### *De Cecrope litterarum Græcarum inuentore.*

PRIMA huius paraſtaticæ Columnæ facies Cecrope Athenienſium Rege primo, Athenarumq. inſtauratore inſignitur. Hic autem veſtitu regio, venerandoq. aſpectu, ac dextra ſua iugum, duaſq. manus complicatas, hoc eſt fidei ſymbolum, ſiniſtraq. ſceptrum regale, in cuius cacumine extat noctua, geſtare cernitur, & ad ipſius Regis latus conſpicitur Satyrus. Noctua Athenarum inſignia indicat : Satyrus vero, cuius pars ſuperior viri



viri effigies eſt, altera vero in caprarum pedes deſinit, geminam eius naturam, ſicut poetæ fabulati ſunt, ſignificare videtur. Id autem ei tributum eſt, quia primus apud eos marem & feminam in matrimonio iunxit, vt Iuſtinus, & Euſebius teſtantur. Hinc Iugum, fideiq. ſymbolũ ob coniugium introductũ geſtare conſpicitur. Cecropē Euſebius biformem appellat : & hac de cauſa Diphyes appellatur, vt in Inſcriptione legitur, hoc eſt geminæ naturæ homo, vel ſemiuir & ſemifemina dictam ob rationem : vel partim homo, partim vero bellua, cum ferinos hominum mores ad humanos reduxiſſe dicatur. Supra Cecropis caput Græcum extat Alphabetum : ad eius vero pedes Latina hæc legitur Inſcriptio:

*Iuſtinus lib. 2. Euſebius in præf. Chronic.*

*Cecrops Diphyes primus Athenienſium Rex Græcarum litterarum Auctor.*

Litteræ Græcæ a Cecrope inuentæ.

Α Β Γ Δ Ε Ι Κ Λ Μ Ν Ξ
Ο Π Ρ Σ Τ Φ

QVAMVIS a Cecrope ſexdecim tantum litteræ dicantur inuentæ, nos tamen totum Idiomatis Græci Alphabetum in tabulam redactum, litterarum figuris omnibus, pronunciatione, ſiue poteſtate, ac nominibus earundem diſtinctum, Latiniſq. characteribus declaratum, ſicut de nouo Hebraico Alphabeto factum eſt, infra apponendum cenſuimus, vt ex eo cuique perbreuem legendi modum ſcire cupienti, cognitionē aliquam largiamur. Quod vt facilius quiſque aſſequatur, nõnulla etiam ad Græcã ſcribendi formam pertinentia ob oculos ponere nobis viſum eſt. Qui autem nexus litterarum, partim breuitatis, partim elegantię cauſa repertos noſſe deſiderat, ad compēdioſas legendi normas confugiat licet, vt deinde aliqua ex parte inſtructus ad vberiores Grammaticæ inſtitutiones ſeſe conferre queat.

ALPHA-

# ALPHABETVM GRAECVM

Quattuor ac viginti litteris conſtans.

| | | | |
|---|---|---|---|
| Α α | Αλφα | Alpha | A a |
| Β β ϐ | Βῆτα | Vita | B b ,u, cōſonās |
| Γ γ Γ | Γάμμα | Gamma | G g |
| Δ δ | Δέλτα | Delta | D d |
| Ε ε | Εψιλὸν | Epſilon | E e |
| Ζ ζ | Ζῆτα | Zita | Z z |
| Η η | Ητα | Ita | I i |
| Θ ϑ θ | Θῆτα | Thita | T th |
| Ι ι | Ιῶτα | Iota | I i |
| Κ κ | Κάππα | Cappa | C c |
| Λ λ | Λάμδα | Lambda | L l |
| Μ μ | Μῦ | My | M m |
| Ν ν | Νῦ | Ny | N n |
| Ξ ξ | Ξῖ | Xi | X x |
| Ο ο | Ομικρὸν | Omicron | O o paruum |
| Π π ϖ | Πῖ | Pi | P p |
| Ρ ρ | Ρῶ | Rho | R r |
| Σ σ ς | Σῖγμα | Sigma | S ſ |
| Τ τ Ꞇ | Ταῦ | Tau | T t |
| Υ υ | Υψιλὸν | Ypſilon | Y y |
| Φ φ | Φῖ | Fi | P ph |
| Χ χ | Χῖ | Chi | C ch |
| Ψ ψ | Ψῖ | Pſi | P pſ |
| Ω ω | Ωμέγα | Omega | Oo magnum |

| Vocales. | Diphthongi. | Impropriæ. |
|---|---|---|
| Α Ε Η Ι Ο Υ Ω. | ΑΙ ΑΥ ΕΙ ΕΥ ΟΙ ΟΥ. | ΑΙ ΗΙ ΩΙ ΥΙ ΗΥ ΩΥ |
| α ε η ι ο υ ω. | αι αυ ει ευ οι ου | ᾳ ῃ ῳ υι ηυ ωυ |
| a e i i o y o. | æ au i eu i u | a i o i iu ou |

Accentus tres. Acutus ´, Grauis ` Circunflexus ~, Spiritus duo. ʽ Aſper, ʼ lenis.

Semper vocales, ac diphthongi initio dictionis alterum habent è ſpiritibus. Conſonans ρ in principio quidem aſpiratur, ῥώμη rhomi, in medio vero ſi geminetur, priore loco leuigatur, poſteriore aſpiratur, πόῤῥω. Gamma ante γ, κ, ξ, χ, pronunciatur vt n, ἄγγελος, angelos, λύγξ, linx, πέφαγκα, pephanca, ἔγχος, enchos. Tau τ poſt ν, vt d, τὸν τάνταλον. ton dandalon. Pi π poſt μ, vt b latinum, πέμπω, pembo.

CECROPEM



CECROPEM ſexdecim, vel vt alij volunt, decem & ſeptem Græcarum litterarū Auctorem fuiſſe, proditur. Verum quia de primo harum litterarum inuentore non ſatis conſtat, hinc alij Græcarum litterarū inuentores, ſeu cultores earumdē in hac paraſtaticæ Columnæ facie recenſentur. Cornelius Tacitus de Græcarum litterarum inuentoribus in hanc loquitur verborum formam: Quidam Cecropem Athenienſem, vel Linū Thebanum, ſexdecim litterarum formas, & temporibus Troianis Palamedem Argiuum quattuor memorāt, mox alios, ac præcipuum Simonidē ceteras reperiſſe. Quibus verbis quamuis nihil certi affirmetur, ſed res in opinionem vertatur, Lipſius tamen, diligens rei litterariæ indagator, Cecropem Aegypto ortum litteras Græcas intuliſſe Athenas pro comperto ait. Huic opitulatur opinioni hieroglyphicum illud de bicipiti Cecropis effigie a priſcis Gentibus illis exculptum, eo quòd, alijs huiuſce facti cauſis prætermiſſis, linguas duas calleret, Græcam ſcilicet, & Aegyptiacam: Athenienſes enim Aegyptiorum coloni fuiſſe dicuntur e Sacenſi ciuitate, Cecrope duce, deducti, vt Nazianzenus teſtatur. Huic denique opinioni videtur fauere illud, quod omnes fatentur de Cecrope ipſo, quem tanquam mira ingenij vi præpollentem multarū rerum inuentorem fuiſſe affirmant. Cecrops enim primus omnium Iouē appellauit, ſimulacra reperit, arā ſtatuit, victimas immolauit, cum ante illum nemo hęc inter Græcos nouiſſet omnino.

*Li. 11. Annal.*

*Lipſius in Cornel. li. 11. ſic emdauit.*

*Nazianz. in Monodia Baſilij.*

*Iuſtinus li. 2. Et Euſeb. in præfa. Chron.*

Cecropem igitur primum Græcarum litterarum, quas paulo ſuperius ob oculos poſuimus, inuentorem extitiſſe, ceteros vero characteres ab alijs eidem Alphabeto Græco fuiſſe adiectos, vt ſuo loco dicemus, cenſendum fatendumq. eſt: quarum litterarum formas aliqua ex parte a Hieroglyphicis Aegyptiorum originem traxiſſe opinandum eſt, ſicut ex prima Alphabeti littera conſtat, quam Græci ab Aegyptijs, & a Græcis Latini mutuati ſunt. Prima enim Hieroglyfici Alphabeti littera apud Aegyptios, vt ſuo loco dictum eſt, Ibis auis Ciconiæ adſimilis in vſu erat, quam Mercurius, qui primus litteras Aegyptijs tradidit, primam litteram voluit eſſe Ibim, quæ in ſuo ingreſſu, cruribus ita diſpoſitis formam refert triangularem. Hinc littera, quæ apud

*Plutarch. lib. 9. Sympoſiacon q. 3. to. 2.*

P Græcos,

Græcos, ac Latinos prima eſt, ad Iſochelis trianguli faciem
accommodatum. Atque ita alias fortaſſe litteras alicuius
animalis effigiem recepiſſe opinandum eſt, ſed longa an-
norum ſerie huiuſmodi characterum formæ, vna hac exce-
pta, omnes abſoleuere. Et ſicut Græci atque Latini, aliqua
litterarum figura Aegyptios imitati ſunt, ita ab iiſdem Hie-
roglyphicum aliquod in ſcribendo deſumpſere, vt videre eſt
*Cic. pro Milone to. 3. orat.* ex littera, A, quam Cicero ſalutarem appellauit: nam in di-
iudicandis cauſis erat abſolutionis nota, ſicut, C, condem-
nationis apud Latinos, apud vero Græcos, θ, θῆτα Theta,
quæ eſt prima littera dictionis θάνατος, quæ mortem ſignifi-
*Pag. 84.* cat, vt ſuperius dictum eſt, & fuſius quidem. N, vero & L,
comperendinationis erat indicium, per quod non liquere ſi-
*Aſcon. Pedian.* gnificabant. Vniuerſi enim Iudices, vt Pedianus ait, Tabel-
las in ciſtam conijciebant ſingularibus litteris ſignatas. Nec
cuiquam mirum videri debet, Græcos & Latinos ab Aegy-
ptijs nonnihil in ſcribendo accepiſſe, cum ab iiſdem Aegy-
ptijs varia diſciplinarum genera, philoſophiamq. præſertim
*Clem. Alexandrinus Strom. 1.* ortum habuiſſe conſtet: immo Clemens Alexandrinus, Dio-
dorus Siculus, atque alij complures eam Græciæ inquilinam,
*Diod. li. 1.* oriundam vero Aegyptijs affirmant: cuius item rei præcla-
rum præbent nobis teſtimonium Pythagoras, Eudoxus, Pla-
to, alijq. inſignes Græciæ viri, qui ob diſciplinas adipiſcēdas,
*Plin lib. 5. c. 9. Strabo lib. 17. Ptolemæus li. 4. c. 6. Am. Marcel. li. 22.* Aegyptum peragrarunt: ad cuius (vt opinor) triquetram
terræ figuram, Alphabeti Græci inuentor illam litteræ for-
mam, quæ Δ. Delta nuncupatur, fortaſſe accepit, vt figuram
illius regionis hoc etiam Hieroglyphico in ſcribendo imita-
retur. Hinc factum eſt, vt Aegyptus ipſa, Græcæ litteræ vo-
cabulo Δ. Delta a multis fuerit appellata. Et vt ceteros Græ-
cos, qui in Aegyptum ad ſcientias capeſſendas ſe contule-
runt, prætermittam, ad Platonem redeo, qui neminem latet
**Aug. 8. de ciu. c. 11. To. 4. de Natura. To. 1. de anima. To. 5. Epin. & ep. 2. Cyril. cōt. Iul. to. 2.* quantum profecerit ea in regione, vbi etiam, ſicut S. * Pater
Auguſtinus opinatur, Moyſis, & Hieremiæ libros ipſe ſibi
interpretandos curauit, ſicut præſeferunt ea, quæ in Timæo
de mundi creatione, & in Fædone de Purgatorio, de Paradi-
ſo, deq. inferno cōſcripſit. Præterea in Epinomi de ſanctiſſima
Trinitate mentionē facit: & in Alcibiade, ſiue de Voto aduē-
tum Chriſti innuere videtur. Immo idem Auguſtinus in qui-
buſdam



buſdam Platonicorum libris caput primum Euangelij ſan- *Lib. 7. cōf. c. 9. to. 1.*
cti Ioannis ſe legiſſe fatetur: & in Mercurij Triſmegiſti li- *Hæreſ. 5.*
bro ſe reperiſſe ait, Hic eſt filius Dei benedicti. Qua de re *c. 3. to. 6.*
Plato ab Euſebio Moyſes Atticiſſans, ſiue Athenienſis voca- *Euſeb. præp. Euāg. c. 6.*
tur: nam, vt ſanctus ait Auguſtinus, eius ſcripta Chriſtia
nam Theologiam magna ex parte redolent. Vt autem eò, *Lib. 8. de Ciu. c. 11. to. 5.*
vnde digreſſi ſumus, reuertamur, aſſeueranter dicendum eſt
cum Clemente, Diodoro, & alijs probatiſſimis Auctoribus
in Aegypto ab Abraham Aſtrologiam olim edocta, vt Ioſe- *Ioſeph. lib. 1. Antiqu.*
phus ait, ante alias Nationes poſt diluuium ſapientiæ huma-
næ ſtudium viguiſſe: cui profecto veritati adſtipulatur quod
Ariſtoteles in ſua Metaphyſica affirmat dicens: Circa Aegy- *Ariſ. 1. Metaph. c. 1. ſub finem.*
ptū Mathematicæ artes conſtitutæ ſunt: illic enim gēs ſacer-
dotum vacare ijs permiſſa eſt. Hæc Ariſtoteles. Nam ſacerdo-
tes Aegyptij cælo ſereno perpetuo vtentes Aſtronomiæ præ- *Strabo lib. 16.*
ſertim, ac Geometriæ nauabāt operā ad agrorum limites di-
ſtinguēdos, qui ſingulo quoque anno Nili alluuionibus con-
fundebantur. His, alijsq. artibus, ob quas Aegyptij vocaban- *Gen. 41.*
tur ſapientes, Moyſes fuit inſtructus, qui in Actibus Apoſtolo- *Act. 7.*
rum omni ſapientia Aegyptiorum eruditus fuiſſe perhibe-
tur. Quare mirandum non eſt, Græcos ab Aegyptijs mutua-
tos ſibi fuiſſe aliqua litterarum elementa, cum ab iiſdem va-
ria diſciplinarum genera accepiſſe dicantur. Verum de Græ- *Lipſius.*
carum litterarum inuentoribus inter ſcriptores non parua *Herod. in Terpſ.*
eſt controuerſia: alij enim ſexdecim, alij vero decem & ſeptē
characterum inuentionē Cecropi, alij Cadmo Fœnicis fratri,
ceteros vero partim Lino, partim alijs aſcribunt, vt ſuo loco
dicemus. Hæc de Cecrope, vt ad Phœnicem tranſeamus.

## DE PHOENICE LITTERARVM APVD PHOENICES INVENTORE.

ALTERA in paraſtaticæ Columnæ facie Ageno-
ris filius & Cadmi frater Phœnix (a cuius nomi-
ne, vel a mari rubro, quod in Syriam profluit
Syriæ Prouincia prope Iudæam, vbi Tyrus &
Sidon ciuitates olim claruerunt, Phœnicia dicta eſt) conſpici-
tur.

*Plin. li. 10. Nat. hiſt. cap. 2.*
*Ouid. 15. Metamorphoſ.*
*Lact. in carm. Phœnic.*

tur. Hic veſte militari & Imperatoria inſtar Paludamēti Romani, ſed purpureo colore, galeatus cernitur: in cuius cono, ſeu criſta Phœnix cernitur auis vnica illa, quæ annis quingētis, & eo amplius, vt aiunt, in Arabia viuens, dum ſe viderit ſenuiſſe, collectis aromatū virgultis rogum ſibi ſtruit, & conuerſa ad radium Solis alarum plauſu voluntarium ſibi incendium nutrit, ſicq. iterum de cineribus ſuis vel humore carnis, vermis exurgit, & in auem adoleſcit.

*Sen. lib. ep. 5. ep. 42.*
*Hier. to. 9. epiſt. 20. ad Præſid.*
*Epiph. l. de Phœnice.*
*Ambr. de fide & reſurr. to. 4. Et Hexā. c. 23. to. 1. Et in Pſal. 118. to. 2.*
*S. Cypr. in Symb. Apoſtolico.*

Quamuis hanc de Phœnice alite hiſtoriam Ariſtoteles tamquam fortaſſe fabuloſam ſilentio prætererierit, alij tamen, & eruditi quidem viri, ac fide digniſſimi (vt Plinium hac in re præſertim, necnon Ouidium, & alios, qui inter carmina conſcribenda eam celebrarunt, omittam) huius auis hiſtoriam aperte comprobaſſe viſi ſunt. Seneca inter Stoicos virum bonum ob raritatem phœnici comparat, quæ tantum vna in rerum natura eſſe creditur, cum ſua morte reuiuiſcat, moriendo ſcilicet quingenteſimo quoque anno, vt ſanctus Hieronymus ait. Quare ex eo naturæ miraculo Epiphanius immortalitatem animæ, & carnis reſurrectionem concludit: ita etiam ſanctus Ambroſius, qui ait: Auis in regione Arabiæ, cui nomen eſt Phœnix, rediuiuo ſuæ carnis humore, reparabilis, cum mortua fuerit, reuiuiſcit: ſolos non credimus homines reſuſcitari. Huius item auis exemplo ſanctus idem Ambroſius caſtam Deiparæ virginis comprehendit conceptionē virtute Spiritus ſancti operatam: Phœnix enim auis virtute naturæ quadam non coitu concipitur, partuve generatur. Hoc idem probat ſanctus Cyprianus dicens: Quid mirum ſi Virgo conceperit, cum orientis auem, quam Phœnicem vocant, in tantum ſine coniuge naſci, vel renaſci conſtet, vt ſemper vna ſit, & ſemper ſibi ipſi naſcendo, vel renaſcendo ſuccedat? Ad huius auis propoſitum extat ænigma ſatis elegans, ſiue luſus Symphoſis cuiuſdam hūc in modum:

*Vita mihi mors eſt, moriar ſi cœpero naſci,*
*Sed prius eſt fatum lethi, quàm lucis origo,*
*Sic ſolos manes ipſos mihi dico parentes.*

Hæc de Phœnice volucri recitare libuit, ne huius hiſtoriam fabuloſam eſſe quis credat, ſicut nonnulli opinati ſunt. Hoc autem loco auis ipſa depicta eſt, vt alluſio fiat ad Phœnicem



*Iſidorus li. 1. Aetym.*
*Ouid. de triſtibus libro 1.*

nicem Cadmi fratrem, quem Phœnicibus litteras tradidiſſe docet Inſcriptio. Per veſtem illam purpuream Phœniciæ nomen repræſentatur, in cuius ciuitate, Tyro ſcilicet, purpura ex conchilijs conficiebatur optima. Hinc Phœnix rubedo, ſeu purpura interpretatur: & ob hanc cauſam, vt ait Iſidorus, in librorum, vel capitum fronte litteræ rubeæ ſcribi, & imprimi ſolent, vt hoc ſcilicet commento Phœnices litterarum inuentores oſtendantur. Hinc Ouidius:

*Nec titulus minio, nec cedro charta notetur.*

Supra Phœnicis caput Phœnicæum extat Alphabetum: ad eius vero pedes hæc legitur Inſcriptio:

*Phœnix litteras Phœnicibus tradidit.*

Alphabetum Phœnicæum.



*Lucan. lib. 3.*
*Q. Curtius.*
*Iſid. lib. 1. Etym. c. 3.*

PHOENICEM litterarum apud Phœnices inuentorem fuiſſe ex Latina inſcriptione patet. Quid autem de huiuſmodi litterarum inuentione, ac figuris mihi dicendum ſit, haud plane ſcio, niſi in medium afferam quod ſcriptum Lucanus reliquit dicens:

*Phœnices primi (famæ ſi credimus) auſi,*
*Manſuram rudibus vocem ſignāre figuris.*

Ex quibus verbis haud facile cognoſci poteſt num de characteribus Græcis, aut Phœnicæis Lucanus loquatur. Sed ſi Iſidoro credimus, de Græcis litteris hoc dictum eſſe fatendum eſt, ſicut etiā ex Cornelij Taciti verbis conſtat, vt ſuo loco fuſius dicemus. Litterarum autem figuræ partim cum Hebraicis, & id genus alijs characteribus, partim vero cum Græcis affinitatem quandam habere cernuntur. De Hebraicis quidem mirandum non eſt, cum ex Hebraica Lingua, tanquam omnium linguarum prima, omnia alia Idiomata, ſicut ratio ipſa

ipſa poſtulat, ac ſuadet, emanaſſe perhibeantur, veluti Chaldaica, Syriaca, Phrygiaca, atque Aegyptiaca, & alia item; quæ cum hiſce vicinitatem non modicam tum nominibus, vel pronunciatione, tum characteribus ipſis habere videntur, ſicut etiam lingua Punica, vt ſanctus Hieronymus ait, immo Græcæ litteræ, atque Latinæ, Iſidoro teſte, ex Hebræorum fontibus oriri dicuntur, vt ex variarum linguarum Alphabetis, quæ in hac Bibliotheca Vaticana ob oculos poſuimus, cernere eſt. Nam ab Hebræis prima littera Alphabeti dicta eſt Aleph, deinde a Græcis Alpha, poſtremo autem a Latinis A, qui minimũ profecto ſonus in prima littera cuiuſcunque fere Alphabeti apud omnes Nationes pronunciari ſolet, ſicut in nouo Alphabeto Hebraico demonſtratum eſt. Sed vt alia Idiomata ſilentio præteream, de Græcis dicam litteris, quæ non ſolum quantum ad pronunciationem aliqua ex parte, verum etiam quantum ad figuras & nomina quodam modo cum Hebraicis conuenire videntur. Hoc item de Phœnicæis litteris videre licet, quæ cum Hebraicis antiquis, ac nouis, Phrygijs quoque, Aegyptiacis, Græcis, atque Latinis characteribus, quod ad figuras ſaltem pertinet, quandam affinitatem habere cernuntur, quippe quæ, vt ait Euſebius, ab Hebraicis, & a fontibus ambarum Græcæ, a Græcis autem Latinæ ortum habuiſſe dicantur. Hæc de Phœnicæis litteris, vt ad Cadmum Phœnicis fratrem tranſeamus.

*S. Hieron. to. 4. in c. 7. Iſa.*
*Iſid. lib. 1. Etym. c. 3.*
*Pag. 92. Ex Theſſ. Ambr. in introduct. ad liguas varias c. 6. & 7.*
*Euſeb. lib. 10. de præp. Euãg. c. 2. & alij.*

---

# DE CADMO PHOENICIS
## FRATRE GRAECARVM LITTERARVM INVENTORE, SIVE INSTAVRATORE.

TERTIA in paraſtaticæ Columnæ facie Cadmus Phœnicis frater, & Agenoris filius, Phœnicum item Rex conſpicitur, qui Tyro, & Sidoni ciuitatibus imperauit, ac ſexdecim, vel decem & ſeptem, vt Iſidorus cenſet, Græcarum litterarum inuentor, ſiue inſtaurator dictus eſt. Ad eius pedes Draco cernitur, ſupraq. caput Græcæ conſpiciuntur litteræ: infra vero hæc Latina legitur Inſcriptio:

*Cadmus Phœnicis frater litteras ſexdecim in Græciam intulit.*

Græcæ litteræ xvj. vel xvij. a Cadmo inuentæ.

| | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| Α | Β | Γ | Δ | Ε | Ι | Κ | Λ | Μ | Ν | Ξ |
| Ο | Π | Ρ | Σ | Τ | Φ | | | | | |



CADMVM Græcarum litterarum fuiſſe inuentorem, ſiue inſtauratorem Latina docet Inſcriptio, ſicut etiam plerique ſentiunt. Quamuis autem Phœnices Græcis litteras intuliſſe multi affirment, id tamen de Cadmo Phœnicæo, Phœnicisq. fratre intelligendũ eſſe conſtat, vt ſuperius a nobis dictum eſt, cum explanauimus duos illos Lucani verſus in hanc verborum formam conſcriptos:

*Clemens Alexand. Strom. 1. Plin. lib. 7. Et Suidas.*
*Lucanus. Lib. 3.*

*Phœnices primi (famæ ſi credimus) auſi,*
*Manſuram rudibus vocem ſignare figuris.*

In hanc ſententiam Herodotus Halicarnaſſeus, hiſtoriarum pater, vt Ciceroni in libro de legibus placet, deueniſſe viſus eſt dicens: Phœnices iſti, qui cum Cadmo aduenerunt, quorum Zephirei fuere, dum hanc regionem incolunt, cum alias multas doctrinas in Græciam introduxere, tum vero litteras, quæ apud Græcos, vt mihi videtur, antea non fuerant: & primæ illæ quidem extiterunt, e quibus omnes Phœnices vtuntur. Diodorus itidem ait: Qui dicunt Phœnices a Muſis perceptas litteras tradidiſſe poſtmodum Græcis, hi ſunt qui cum Cadmo in Europam nauigarunt. Ex quo a Græcis litteræ Phœniſſeæ appellatæ ſunt. Cornelius item Tacitus idem affirmat, dum de Aegyptijs litterarum Inuentoribus loquens ait: Inde Phœnicas, quia mari præpollebant, intuliſſe Græciæ, gloriamq. adeptos, tanquam

*Herod. lib. 5. in Terpſicore circa med.*
*Diod. li. 6.*
*Corn. Tac. lib. 11. Annal. ante med.*

tanquam repererint quæ acceperant. Quippe fama eſt, Cadmum claſſe Phœnicum vectum rudibus adhuc Græcorum populis artis eius Auctorem fuiſſe. Quamuis interea Ioſephus in primo Antiquitatum libro contra Appionem ſcribens, Græcos omnino ante Homeri ætatem litteris caruiſſe affirmet, quem poſt bella Traiana fuiſſe manifeſtum eſt, Cicero tamen in Bruto ſecus tradit inquiens: Nec dubitari debet quin fuerint ante Homerum Poetæ: quod ex eis carminibus intelligi poteſt, quæ apud illum, & in Phœacum, & in Procorum epulis canuntur: cuius verbis adſtipulatur Euſebius dum ait, ante Homerum apud Græcos ſcripſiſſe Linum, Philamonem, Thamyram, Amphionem, Orpheum, Muſæum, Demodotum, Epimenidem, Ariſtæum, & pleroſq. alios. Ante igitur Homerum, quem tamen Grammaticæ Græcæ Auctorem fuiſſe Plato teſtatur, Scriptores extitiſſe apud Græcos, & a Phœnicibus in Græciam a Cadmo præſertim Græcas litteras fuiſſe illatas dicendum eſt, ſicut etiam Plinio placet, qui de huiuſmodi certamine multas recenſet opiniones. Idem quoque ſentit Suidas, qui Cadmo ſexdecim tantum litteras, quas paulo ſuperius ob oculos poſuimus, adſcribit: ijſdemq. litteris quattuor in Troiano bello a Palamede fuiſſe adiectas nonnulli volunt hac figura, Θ, Ξ, Υ, Φ, totidem poſt eum a Simonide Melico fuiſſe inuentas hiſce notis, Z, H, Ψ, Ω. quarum uis in noſtris recognoſcitur. Ariſtoteles autem decem & nouem priſcas fuiſſe litteras commemorat, quæ ſunt:

*Ioſeph. li. 1. Antiq.* — *Cicero in Bruto.* — *Euſeb. lib. 10. de præpo. Euang.* — *Plato in Cratylo. 20. 1.* — *Plin. li. 7. circa finē.* — *Suidas.*

Α Β Γ Δ Ε Ζ Η Ι Κ Λ Μ Ν Ο Π Ρ Σ Τ Υ Ω,

Duas vero ab Epicharmo, non a Palamede fuiſſe additas, ait, hoc eſt, Θ & Ρ, vel Ξ, Χ, Ψ, vt Hermolaus prodit. Hac autem controuerſia poſthabita, ad Cadmum reuertamur ſexdecim litterarum Græcarum inuentorem, ſeu potius inſtauratorem: ipſum enim non omnino primum in Græciam litteras detuliſſe fatendum eſt, cum longe ante eum inibi eaſdem litteras a Cecrope inuentas fuiſſe demonſtratum ſit. Id quod recte Diodorus explicat dicens: Cum Actinus Solis filius in Aegyptum tranſiens Aſtrologiam Aegyptios docuiſſet, demum Græcia diluuio oppreſſa, plurimos homines perijſſe, litterarũq. monimenta fuiſſe deleta conſtat: eamq. ob cauſam

*Diodorus lib. 6.*





cauſam poſt multa ſæcula, exiſtimatum eſt, Cadmum Agenoris filium litteras primum in Græciam adduxiſſe, atque ideo Græcos quadam communi ignorantia ductos, litterarum inuentionem illi acceptam retuliſſe. Cadmus igitur Græcarum litterarum inſtaurator potius, quàm inuentor appellandus eſt. Nec a re alienum fore arbitror, ſi eas litteras inueniendi, inſtaurandiq. tempus, ſeu modum, ac locum, quem nonnulli referunt, in medium afferamus. Cadmum enim Pegaſo equo inſidentem, quæritantemq. Vrbis condendæ locum litteras inueniſſe aiunt non procul ab Helicone monte in Bœotia, apud Hippocrenem fontem, quem Cadmus primus inueniſſe creditur. Hinc Poetæ dictum fontem, quem Latine Caballinum vocitamus, vngula Pegaſi equi alati, a quo fons Pegaſeus deinde dictus, inuentum eſſe fabulati ſunt. Et quoniam Cadmus litterarum inibi inuentor fuiſſe narratur, factum eſt, vt huiuſmodi fons Muſis ſacer habeatur. Vnde Perſius:

*Ouid. lib. 1. Metamorph.* — *Strabo li. 8.* — *Perſius in Prol. Satyrarum.*

*Nec fonte labra prolui Caballino.*

Perſius ad verbum reddens vocem Græcam, Hippocrene, fontem Caballinum appellauit. Nam ἵππος nobis equum ſonat, κρήνη, fontem. Muſis autem ſacer dicitur, vel, vt diximus, ob Græcas litteras inibi inuentas, vel ex eo, quòd Heſiodum, ipſius fontis aqua epota, Poetam ſtatim euaſiſſe fabuloſe commentati ſunt. Hæc de modo, ac tempore, ſiue loco, in quo litteras Græcas dicitur inueniſſe Cadmus: ad cuius pedes Draco cernitur. Qua ex re (vt reor) fit alluſio ad id, quod de eo fabulati ſunt Poetæ. Hic enim, vt aiunt, a Patre miſſus ad ſororem ſuam Europam perquirendam, quam Iuppiter in taurum mutatus, rapuerat, & in Cretam tranſtulerat, cum illam non inueniſſet, nec ad patrem redire auderet, non procul a Parnaſſo, & Helicone Phocidis montibus, parum inter ſe diſtantibus, & altitudine, & circuitu æmulis conſedit, ibiq. Thebas condidit, regionemq. illam, dictam prius Aoniam a Boue Bœotiam nominauit. Cumq. quoſdam ex ſocijs a dracone, vel ſerpente necatos vidiſſet, eum occidit, eiq. dentes euulſit, ac ſeuit, ex quibus, vt fabuloſe aiunt, homines armati nati ſunt: qui ſe ſtatim omnes mutuis vulneribus confecerunt, præter quinque, qui ſe ſocios Cadmo adiunxerunt.

*Ouid. lib. 3. Metamorph. in principio.*

Per ſerpentem innuitur illud etiam quod de eodem Cadmo fabuloſe narratur: etenim hic poſtremo ab Amphione, & Zetho regno pulſus in Illyrium profugit: ibiq. deorum commiſeratione ipſe, & vxor Hermione, vt Ouidius ait, Martis & Veneris filia, in ſerpentes mutati ſunt. Hæc de Cadmo, vt ad Linum Græcarum item litterarum inuentorem accedamus.

*Ouid. lib. 4. Metamorph. lõge poſt medium.*

# DE LINO THEBANO
## GRÆCARVM LITTERARVM INVENTORE.

QVARTA in paraſtaticæ Columnæ facie Linus Thebanus Poeta, & muſicæ peritiſſimus, Apollinis & Terpſicores, ſiue, vt quidam volunt, Mercurij & Vraniæ Muſæ filius, Thamyræ, Herculis, & Orphei Magiſter, laurea ornatus, ac citharam manu geſtans repræſentatur.

Hic de mundi generatione, deq. ſiderum curſu ſcripſiſſe dicitur, vt Sol & Luna ſupra eius caput innuunt: et a Cornelio Tacito, in Græcarum litterarum Inuentores adſcribitur, ſicut etiam Latina hæc docet Inſcriptio:

*Hermodotus lib. 1. diſcipl. Cornel. li. 11. Annal.*

*Linus Thebanus litterarum Græcarum Inuentor.*

Quinque ſunt loquendi genera, quibus Græci Auctores vſi fuerũt, Ionica ſcilicet Lingua, Dorica, Attica, Aeolica, & Cõmunis. Hinc fortaſſe factũ eſt, vt eædem litteræ, quas Cecrops inuenit, Cadmo etiam, ac Lino fuerint adſcriptæ, non tanquã earundẽ inuentoribus, ſed potius inſtauratoribus, aut cultoribus: quippe qui eas hoc vel illo dicendi genere excoluerunt.

*Quintil. lib. 1. inſtit. Orat. Herod. lib. 2. in prin.*

Litteræ a Lino inuentæ, vel excultæ.

| | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| Α | Β | Γ | Δ | Ε | Ι | Κ | Λ | Μ | Ν |
| Ξ | Ο | Π | Ρ | Σ | Τ | Φ | | | |

LINVM



LINVM Græcarum litterarum Inuentorem fuiſſe, Cornelius Tacitus hunc in modum ait: Quidam Cecropem Athenienſem, vel Linum Thebanum, ſexdecim litterarum formas reperiſſe memorant. Hæc Tacitus. Quænam vero litteræ ab eo fuerint inuentæ, non ſatis conſtat: hinc eædem, quæ Cecropi, & Cadmo tributæ fuerũt, hoc loco ſcriptæ ſunt: quas longo poſt tẽpore minus fortaſſe cultas, ab eodẽ Lino innouatas, et excultas fuiſſe credendum eſt, quamuis alij eum a Phœnicia primũ Græcis litteras intuliſſe, velint. Hunc ab Hercule adoleſcẽte plectro ac cithara occiſum ferunt, cum eum inconcinnius, ruſticiuſq. canentem, vtentemq. fidibus corripuiſſet. De Lini eruditione, ac nobilitate Virgilius teſtimoniũ præbet luculentum inquiens:

*Cornel. Tacit. li. 11. Annal.*
*Cæl. Rho. lib. 19. c. 24. to. 2.*
*Eclog. 4.*

*Non me carminibus vincet nec Thracius Orpheus,*
*Nec Linus, huic mater quamuis, atque huic pater adſit,*
*Orphei Calliopeia, Lino formoſus Apollo.*

Hæc de Lino, deq. tertia Columna paraſtatica, vt ad Quartam ceterorum Græci Alphabeti characterum Inuentores comprehendentem accedamus.

# DE QVARTA COLVMNA PARASTATICA,

## Græcarum aliquot litterarum Inuentores repræſentante.

### *De Palamede quattuor Græcarum litterarum Inuentore.*

PRIMA huius paraſtaticæ Columnæ facies Palamedem Nauplij Eubœæ Regis filium militari habitu indutum, peltatum, et quattuor Græcarum litterarum Inuentorem comprehendit. Hic hiſtoriam, ſolutamq. orationem inſtituiſſe, calculorumq. luſum, menſurarumq. ac pon-

 derum

derum rationem excogitaſſe, Aſtrologiam optime calluiſſe, annumq. ad Solis curſum, mēſesq. ad curſum Lunæ accommodaſſe, Solis item eclypſim in caſtris viſam, ac reformidatam, naturalem eſſe, minimeq. timendam primus dixiſſe fertur. Ad quam rem innuendam hoc loco Lunam depictam, Solemq. eclypſatum videre eſt. Hic præterea ordinem Aciei, & Vigilias a Gruibus didiciſſe proditur. Grues enim non niſi acie inſtructa volant, electo duce, quem ſequantur, diſpoſitisq. in extremo agmine cuſtodibus, qui gregem voce contineant. Quare ex huiuſmodi collegio, vel aciei ordine apud Latinos conſenſus, vnioq. partium in eandem ſententiam aut rem, cōueniendi vocabulum a Gruibus videtur accepiſſe, vt inde CONGRVERE pro cōuenire dicamus. A Gruibus itē excubias Palamedē didiciſſe ferunt, propterea quòd aues illæ dum noctu ceteris dormientibus euigilant, lapillum ideo prenſant, ac pede ſuſtinent, vt ille laſſatis ſomno decidens indiligentiam coarguat. Quæ vero dormiunt, capite ſubter alam condito, alternis inſiſtunt pedibus. Harum alitum vigilantiam Alexander ille magnus imitatus eſt: quando enim ſibi peruigilandum erat, ne ſomni violentia opprimeretur, vas aheneum prope thorum apponi iubebat, ſupra quod brachium exporrigebat, pilam, vt Ammianus Marcellinus ait, argenteam manu complexus: quæ ſi quando ipſe ſomno vinceretur, elapſa, ſonoro ſtrepitu ſomnum abrumperet. Palamedes autem ab iiſdem auibus & aciei ordinē, & excubiarum rationem, litterarūq. formas edoctus eſt, ſicut Grus lapillum geſtans, quæ in eiuſdem Palamedis pelta cernitur, multarumq. Gruum acies in ſublime actu volitandi depictæ ordine quodam militari conſpiciuntur, innuere videntur. Gruum ordo a ſancto Hieronymo litteratus appellatur: quoniam inter volandum mutatis ſubinde ordinibus, litteras quaſdam videntur effingere, vt Alpha, A, & vt alijs magis arridet, Ypſilon, Y, cuius litteræ inuentionem ex auium volatu Palamedi attributam, Philoſtratus teſtatur. Hinc a Poetis Palamedis aues, Grues dicuntur, vt ex Martialis Epigrammate conſtat: cuius verba ſunt hæc:

*Plin. lib. 10. c. 23. vbi mira de Gruibus leguntur.*

*S. Hieron. epiſt. 4. ad Ruſt. to. 1.*

*Philoſtr. Ex Cœl. Rhod. lib. 7. to. 2.*

*Lib. 13.*

*Turbabis verſus, nec littera tota volabit,*
*Vnam perdideris ſi Palamedis auem:*





Per Gruem igitur vno pede geſtantem lapillum, altero autem inſiſtentem, excubiarum excogitatio, per earundemq. auium agmina aciei ordo, inuentioq. repræſentantur litterarū, quas inueniſſe dicitur Palamedes: cui quamuis quantū ad inuentionē littera, Y, a Philoſtrato tribuatur, tamen quantum ad myſticū ſaltem ſenſum, nemo, quòd ſciam, alius eam Pythagoræ non adſcribit. Palamedi autem litteras, quæ infra cernuntur, tribuendas contendunt: ad quarum plane formas ordo Gruum varius inter volitandum videri ſolet. Vtcunque vero ſit, quæ hoc loco reperiuntur, recenſenda ſunt.

*Palamedes bello Troiano Græcis litteras IIII. adiecit.*

Græcæ litteræ a Palamede inuentæ.

Θ. Ξ. Φ. Χ.

PALAMEDEM Troiano bello quattuor Alphabeto Græco adieciſſe litteras, quas ob oculos poſuimus, Latina docet Inſcriptio. Quamuis autem tres tantū ab eodem Palamede litterarum formas Iſidorus affirmet, hoc eſt, Η, Χ, Ω, Plinius tamen Θ, Ξ, Φ, Χ. & Suidas Ζ, Π, Φ, Χ, litteras ei adſcribendas volunt: cui quidem numero Tacitus aſtipulatur, dum ait: Quidam Cecropem Athenienſem, vel Linum Thebanum ſexdecim litterarum formas, & Troianis temporibus Palamedem Argiuum quattuor, mox alios, ac præcipue Simonidem ceteras reperiſſe memorant. Ita emendauit Lipſius, qui ob librariorum incuriam hunc locum menda non caruiſſe opinatus eſt, & iure quidem: corrupte enim huc in modum legunt: Quidam Cecropem Athenienſem, vel Linum Thebanum, & temporibus Troianis Palamedem Argiuum memorant, ſexdecim litterarum formas, mox alios, ac præcipuū Simonidem ceteras reperiſſe. Quæ ſane lectio ſine mēda eſſe nō poteſt quibuſdā omiſſis, confuſisq. notis: nemo enim ſcriptorū Palamedi ſexdecim tribuit litteras, ſed omnes ad ſummum iiij. characterū formas adſcripſerūt. De Palamede autem hactenus, vt ad Pythagorā tranſeamus.

*Iſid. lib. 1. cap. 3. Plin. li. 7. cap. 56. Et Suidas. Corn. lib. 11. Annal.*

*Lipſius in Cornel.*

# DE PYTHAGORA VNIVS LITTERÆ APVD GRÆCOS INVENTORE.

*Pythag. Ital. Philoſophiæ Auctor, primus cœpit Philoſophus appellari. Ex S. Aug. lib. 8. de Ciu. c. 2 & l. 18. c. 25. to. 5.*

SECVNDA huius Columnæ paraſtaticæ facies Pythagoram Samium, Demarathi negotiatoris locupletis, vel, vt alij volunt, Mneſarchi gemmarum ſculptoris filium, Italicæ philoſophiæ Principem, & Architæ Tarentini præceptorem, togatum, venerandoq. aſpectu ſenem, vniusq. litteræ Græcæ inuentorem repræſentat.

** Hier in c. 3. Eccls. to. 5. Plut. tom. 2. de Curioſ.*

** Croton, ciuitas vetuſtiſsima, ac nobiliſsima ſaluberrimo loco ſecus mare Ionium, vel Adriaticũ ſita ad eã Calabriæ partẽ, quæ Magna Græcia dicebatur.*

*Metapontum, ciuitas Apuliæ non minus nobilis, quã vetuſta ad mare Adriaticum in ſinu Tarẽtino nõ procul a Calabriæ cõfinio ſita.*

Hoc loco videre eſt Pythagoram digito dextræ manus ori appoſito ſilentium Diſcipulis indicentem: *quibus per quinquennium audire tantum licebat. Auditores autem non pauciores ſexcentis habuiſſe fertur, qui noctu etiam ad eum confluebant. Per librum, quem læua geſtare cernitur, eius doctrina indicatur. In Aegyptum enim, vt ſuperius a nobis dictũ eſt, nauigauit, vt Aegyptiacam Theologiam, ritus, moresq. cognoſceret: hinc ferunt eum ab Aegyptijs ſacerdotibus cærimonias, numerorum poteſtates, admirandas temporum vices, ſolertiſſimasq. Geometriæ formulas: a Chaldæis autem ſideralem planetarum ſcientiam, ſtellarum ſtatus, ambitus, effectusq. in genituris hominum didiciſſe. Poſtremo in Italiã redijt, & in Calabriam ſe contulit, * Crotoneq. conſedit, deinde Metapontum commigrauit, vbi multis poſt annis ſupremum diem obijt: cui denique Metapontini ædes eius poſt obitum pro templo ei conſecrarunt, diuinisq. honoribus ipſum proſequuti ſunt. Huius templi nonnulla ad hanc vſque diem veſtigia, & admiranda quidem extãt, vt ego ipſe vidi, dum Calabriam, ceterasq. Regni vtriuſque Siciliæ, atque vniuerſæ fere Italiæ prouincias peragraui, vna cum totius Auguſtinianæ Familiæ Moderatore, Magiſtro Spirito Vicentino, qui cuncta pene Italiæ eiuſdẽ Inſtituti Cœnobia ex officio viſitauit, cuius ego tunc a ſecretis erã. Dictus eſt autẽ Pythagoras Italicæ Philoſophiæ Princeps, propterea quòd in Italia Philoſophiã publice docuit, vbi tot, tãtosq. habuit Auditores: vel ex eo quòd Italus fuit, ex Samo, vt non-



nonnullis placet Scriptoribus, Ciuitate Calabriæ nunc deleta. Sunt enim in Calabria pleraque loca iiſdem nominibus appellata, quibus Grẹciæ, aut Aſiæ loca, vt Tempſa, Pandoſia, Thuria, Miletus, Scylleum, Amphiſſa, Locrus, Samus, Thebæ, & Meliſſa Vrbes. Item Acheron, Butrotus, Crathis, & Sybaris amnes. Alij tamen ex Samo Græciæ Inſula, alij Lorenſem, alij vero Tuſcum Pythagoram fuiſſe contendunt.

*S. Tho. in lib. 1. Metaph. lect. 8. Et Gab. Barr. de ſitu Calab. lib. 2.*

*Pythag. Etruſcus ex Pluth. to. 2. de Curioſ. Ex Suida, & Clem. Alex. 1. Str. Locrenſis ex alijs.*

Ad Pythagoræ pedes ſtateram cernere eſt, quæ hoc loco depicta, vt opinor, fuit, ob ſententiam ab ipſo non raro pronunciatam, hoc eſt, *Stateram ne excedas*. Eius dicta a Diſcipulis tanquam Pythij Apollinis oracula æſtimabantur, hinc de nonnullis rationem reddere neſcientes aiebant: Α'υτὸς ἔφη, hoc eſt, ipſe dixit, idq. ſatis eſſe credebatur. Hæc hactenus. Reliquum eſt enim, vt ad litteræ formam, quam Pythagoras ipſe inueniſſe dicitur, tranſeamus explicandam. Hic enim, Y, litteræ reperiſſe fertur, vt Latina, quæ infra legitur, indicat Inſcriptio:

*Pythagoras, Y, litteram ad humanæ vitæ exemplum inuenit.*

Y

*De hac littera S. Hieron. To. 1. epiſt. 7. & 26. Iſid. lib. 1. Etym. cap. 3.*

HAC profecto littera, quam Pythagoræ adſcribunt, humanam vitam, hoc eſt, Virtutis, & vitij viam myſtice repræſentatam eſſe volunt. Hoc plane ſenſit Iſidorus, qui arbitratus eſt, Y, litteram a Pythagora ad exemplum vitæ humanæ formatam fuiſſe: cuius virgula inferior, vnde orditur character ipſe, primam ſignificat ætatem, incertam ſcilicet, quippe quæ adhuc ſe nec vitijs nec virtutibus dedit, inſtar illius virgulæ, quæ non magis ad dextram, quàm ad læuam vergere cernitur. Biuium autem, quod ſupereſt, duabus lineis conſtans, ab adoleſcentia incipit: cuius dextera pars anguſta eſt, ſed ad beatam tendens vitam: ſiniſtra latior, ſed ad labem, interitumq. deducens. Id quod adſimile videtur dicto Euangelico, hoc eſt, Arcta & anguſta eſt via, quæ ducit ad vitam: lata vero, & ſpatioſa, quæ

*Matth. 7.*

*Perſius Satyra 5.* quæ ducit ad perditionem. Hoc idem innuere viſus eſt Perſius, & adumbrate quidem dicens:

*Et tibi quæ Samios deduxit littera ramos,*
*Surgentem dextro monſtrauit limite callem.*

*Humana vitæ deſcriptio.* Explicatius autem, ac fuſius Epigramma illud, quod ſub incerto Auctoris nomine inter opuſcula Virgiliana circumfertur, id omne planum facere videtur hunc in modum:

*Littera Pythagoræ diſcrimine ſecta bicorni,*
*Humanæ vitæ ſpeciem præferre videtur.*
*Nam via Virtutis dextrum petit ardua callem,*
*Difficilemq. aditum primum ſpectantibus offert:*
*Sed requiem præbet feſſis in vertice ſummo.*
*Molle oſtentat iter via lata: ſed vltima meta*
*Præcipitat captos, voluitq. per ardua ſaxa.*
*Quiſquis enim duros caſus Virtutis amore*
*Vicerit, ille ſibi laudemq. decusq. parabit.*
*At qui deſidiam, luxumq. ſequetur inertem,*
*Dum fugit oppoſitos incauta mente labores,*
*Turpis, inopsq. ſimul miſerabile tranſiget æuum.*

Hoc Epigrammate non minus elegantiam, quàm Chriſtianam pietatem redolente Hieroglyphicum de humanæ vitæ ratione feliciter explicatū mihi videtur: nec minus ingenioſe a Pythagora excogitatum iudicatur, quàm cetera Græci Alphabeti elementa, quæ myſticā habent ſignificationē. *Myſticæ litteræ quinque apud Græcos.* Quinque enim litteræ myſticæ apud Græcos appellantur, vt ſuo loco de ijs ſigillatim dicemus. De littera Pythagorica hactenus. Nunc vero de Epicharmo loquendum eſt.

# DE EPICHARMO POETA

## NONNVLLORVM CHARACTERVM APVD GRAECOS INVENTORE.

TERTIA huius paraſtaticæ Columnæ facies Epicharmum Siculum, Poetam comicum, & Philoſophum, Pythagoræ auditorem, Tityri, vt ſcribit Suidas, vel Chrymatij filium repræſentat. Huic nonnulli Comœdiæ, necnon duarum Græcarum litterarum inuentum tribuunt, hoc eſt Θ, & Φ, vt Ariſtoteli & Plinio placet, vel Ξ, X, vt alij volunt, aut Ψ, vt Hermolaus tradit, ſed duas tantum litteras ab eo inuentas eſſe conſtat, ſicut docet Inſcriptio:

*Epicharmus Siculus duas Græcas addidit litteras.*

Litteræ ab Epicharmo inuentæ.

Θ. X.

HARVM litterarum altera, Θ ſcilicet, Thita vel Theta, ex quinque myſticis characteribus eſt, & mortem ſignificat: iudices enim morte damnatis litteram Θ, quæ per medium telo transfixa eſt, apponebant, cum ſit prima littera huius dictionis θάνατος, quæ mortem ſignificat, vt dictum eſt. *Pag. 84.* Hinc Martialis illud Theta mortiferum, Perſius autem nigrum appellauit dicens: *Mart. li. 7. ad Caſtr. Perſ. Satyr. 4.*

*Et potis eſt nigrum mortis præfigere Theta.*

Ab alio vero Poeta infelix dicitur. Vnde ait:

*O nimium ante alias infelix littera Theta.*

De hoc Hieroglyphico, nonnullisq. alijs huius generis myſticis characteribus ſuperius loquuti ſumus, cum de primo Alphabeto Hebraico antiquiori ſermo habitus eſt. *Pag. 84.* Hæc de Epicharmo, duarumq. litterarum inuentione, vt ad Simonidem accedamus.

# DE SIMONIDE MELICO

## QVATTVOR GRAECARVM LITTERARVM INVENTORE.

QVARTA huius paraſtaticæ Columnæ facies Simonidem Melicum ex Cæa vel Chio inſula, laurea ornatum, geſtantemq. dextra citharam, litterarumq. inuentorem repræſentat. Hunc Simonidem quem Cæum, vel Chium vocant, primum longas H, & Ω, litteras, tertiumq. ſonum

R Lyræ

*Suidas. Plin. li.7. cap.56. Cicero in Oratore.*

Lyræ inueniſſe Suidas teſtatur : octauamq. chordam Citharæ ſiue Lyræ addidiſſe Plinius narrat . De memorandi arte ab eo ipſo inuenta Cicero hunc in modum ait : Simonides Cæus, primus artem memorandi inueniſſe fertur. Cum enim cœnaret in Theſſalia Simonides apud Scopam, fortunatum hominem, & nobilem, ceciniſſetq. id carmen, quod in eum ſcripſiſſet, in quo multa ornandi cauſa, Poetarū more, in Caſtorem & Pollucem ſcripta fuiſſent, nimis illum ſordide Simonidi dixiſſe memorant, dimidium ſe eius ei, quod pactus eſſet, pro illo carmine daturum : reliquum a ſuis Tyndaridis, quos æque laudaſſet, peteret, ſi ei videretur. Paulo poſt ferunt nunciatum Simonidi vt prodiret, iuuenes ſtare ad ianuam duos quoſdam, qui eum magnopere euocarent: ſurrexiſſe illum ipſum, prodijſſe, vidiſſe neminem. Hoc interim temporis interuallo domum illam, vbi epulabatur Scopas, concidiſſe, ea ruina ipſum oppreſſum cum ſuis interijſſe : quos cum humare vellent ſui, nec poſſent obtritos internoſcere vllo modo: Simonides dicitur ex eo quòd meminiſſet, quo eorum loco quiſque cubuiſſet, demonſtrator vniuſcuiuſque ſepeliendi fuiſſe. Hac tum re admonitus inueniſſe dicitur, ordinem eſſe maxime, qui memoriæ lumen afferret. Hæc Cicero. Simonidem quattuor denique litterarum, quæ ſupra eius caput cernuntur, inueniſſe, proditur, vt Latina infra eiuſdem pedes docet Inſcriptio:

*Simonides Melicus quattuor Græcarum litterarum inuentor.*

Litteræ a Simonide inuentæ.

Z. H. Ψ. Ω.

*Iſid. lib. 1. cap. 3. Plin. lib. 7. cap. 56. Plut. li. 9. Symp. q. 3. to. 2.*

SIMONIDEM quamuis Iſidorus trium Græcarum litterarum hoc eſt Ξ, Θ, Ψ, fuiſſe teſtetur ; Plinius tamen eas quattuor, quas ob oculos poſuimus, inueniſſe, affirmat. Plutarchus item & Cornelius Tacitus quattuor





*Corn. Tac. li. 11. Annal.*

*Apoc. c. 1.*

ab eodem Simonide fuiſſe inuētas aiunt. De myſtico ſenſu H, & Ω, alio in loco dicemus, cum ſermonem habebimus de Chriſto Saluatore noſtro, qui primam Alphabeti litteram, & vltimam ſibi vendicat, cum ſit principium, & finis dicens : Ego ſum A, & Ω : atque de ceteris myſticis loquemur litteris, de quibus etiam non nonnulla ſuperius dicta ſunt.

---

# DE QVINTA COLVMNA PARASTATICA,

## Latinarum litterarum, Hetruſcæq. linguæ Inuentores repræſentante.

### *De Nicoſtrata Carmenta Latinarum litterarum inuentrice.*

*Plut. lib. quæſt. Ro. to. 1. q. 32.*

*Liu. lib. 1. ab Vrbe cond. Dec. 1. Et Strabo lib. 5. circa med.*

PRIMA huius paraſtaticæ Columnæ facies Nicoſtratam Euandri Arcadis matrem aſpectu venerandam, & viuacem, litterarumq. Latinarum Inuentricem repræſentat. Hæc ante Vrbem conditam in Colle Palatino ſedem habens tanquam Sibylla fuit habita ob futurorum Vaticinia carminibus tradita : atque ob id Carmenta, vel Carmentis a carminibus Latine fuit appellata : ſiue a carpente vehiculi genere, quo vtebatur : carpentumq. quaſi carmentum a Carmenta Euandri matre appellatur, vt Ouidio placet hunc in modum dicenti:

*Ouid. lib. 1. Faſt.*

*Nam prius Auſonias matres carpenta vehebant:*
*Hæc quoque ab Euandri dicta parente reor.*

Quamuis autem de huiuſmodi litterarum inuentione non modica inter Scriptores ſit controuerſia, vt infra videre eſt: nos tamen & Inſcriptionem, & nōnullorum Scriptorum opinionē ſequuti, Nicoſtratā Latinarum inuētricem affirmamus

litterarum, ijs profecto notis, quas ſupra eius caput cernere licet: ad cuius pedes Latina hæc legitur Inſcriptio.

## *Nicoſtrata Carmenta Latinarum litterarum Inuentrix.*

Litteræ a Nicoſtrata inuentæ.

A. B. C. D. E. G. I. L. M.
N. O. P. R. S. T. V.

*Iſid. lib. 1. Etym. c. 3.*

NICOSTRATAM Carmentam Latinarum ſexdecim litterarum inueniſſe ex Latina Inſcriptione conſtat, quamuis nihil omnino certi niſi ex Iſidori ſententia affirmare queam: nam eas in Latium a Pelaſgis illatas fuiſſe Plinius, ac Solinus produnt, Dionyſius ab Arcadibus, qui poſt Pelaſgos venerant, adductas fuiſſe in Italiam volunt. Hinc factum eſt, vt Nicoſtrata Euandri Arcadis Mater Latinis primũ dicatur dediſſe litteras, vt Inſcriptio aperte docet. Scitu præterea dignum videtur, Latinos characteres, quos ob oculos poſuimus, a Cadmo ex Phœnicia in Græciam primũ allatos fuiſſe, vt Plinio placet, qui ait Græcas & veteres quidem litteras eaſdem pene fuiſſe, quæ nunc Latinæ ſunt, vt Delphica tabula ænea indicabat, quæ Romæ in palatio Mineruæ dicata, & in Bibliotheca cõſpiciebatur, eiuſdem Plinij, vt ipſe teſtatur, temporibus. Id quod etiam ex vtriuſque Alphabeti Græci ſcilicet & Latini characteribus, ſiue litterarum figuris planum profecto fit, ſi diligenter Alphabeta ſpectentur: vtriuſque enim Alphabeti litterarum pars maior eandem figuram, ac poteſtatem, eademq. nomina habere cernitur, quod ad initium pronũciandi ſaltem pertinet, vt in ſingulo quoque fere elemento videre eſt. Quamuis autem Latinam linguam a Græca ortum habere, multaq. ab ipſa accepiſſe, conſtet, non tamen hanc illa vberiorem omnino eſſe dicendum eſt, ſi vtriuſque linguæ iura probè examinentur.

*Plin. li. 7. cap. 56.*

*Plin. li. 7. cap. 56.*

Græcæ



Græcæ enim linguæ vbertas, ſi Græcis credimus, Latinæ, vt ipſi volunt, inopiæ non eſt anteponenda, cum hæc Latina ſcilicet lingua, vna profecto ſit, illa vero multiplex, hoc eſt, Attica, Aeolica, Ionica, Dorica, & Communis. Nam Latina velut multarum Gentium vna lex, vna eſt lingua Romana: vnius autem Græciæ, quod pudendum eſt, non vna, ſed multæ ſunt tanquam in Republica factiones. Itaque tantum abeſt, vt Latina lingua inops dici debeat, vt hæc ipſa vberior Græca nuncupanda ſit, cum lingua noſtra vna idem efficiat, quod Græcorum multiplex præſtare ſolet. Hinc Cicero in libro de Finibus huic ſentẽtiæ ſuffragatur dicens: Sed ita ſentio, & ſæpe diſſerui, Latinam linguam non modo non inopem vt vulgo putarent, ſed locupletiorem eſſe, quàm Græcam: quando enim, ne nobis dicam, aut Oratoribus bonis, aut Poetis, poſtea quidem quàm fuit quem imitarentur, vllus orationis vel copioſæ, vel elegantis ornatus defuit? Idem alio in libro ait: Et ſi, quod ſæpe diximus, & quidem cum aliqua querela, non Græcorum modo, ſed etiam eorum, qui ſe Græcos magis, quàm noſtros haberi volunt, nos non modo non vinci a Græcis verborum copia, ſed eſſe in ea etiam ſuperiores. Hæc Cicero. Quare idem Tullius vt quod dixerat, ratione ipſa confirmet, alio in loco ait: Dolorem, & laborem vno nomine, πόνος, appellarunt Græci. O igitur verborum inops interdum, quibus abundare te ſemper putas Græcia! Hoc idem fere de alia voce hunc in modum dixit: Bene maiores noſtri accubationem epularem amicorum, quia vitæ coniunctionem haberet, conuiuiũ nominarunt melius, quàm Græci, qui hoc idem tum compotationẽ, tum concœnationẽ vocant. Hæc Cicero. Conuiuium enim a conuiuendo dicitur, quaſi conuiuere, plurimorumq. vita ſit. Ex huiuſmodi igitur auctoritatibus & rationibus clarum fit, Græcam linguam non eſſe locupletiorem Latina, quamuis idem Cicero, hanc vocem Σωτήρ voce vna exprimi non poſſe dicat hiſce verbis: Hoc quantum eſt? ita magnum, vt Latino vno verbo exprimi non poſſit, is nimirum Soter, qui ſalutem dedit. Hæc Cicero: qui quamuis loco huius dictionis *Saluator*, dixerit, *Soter*, ne noua voce vteretur, non tamen dicendum eſt, hanc vocem *Soter*, apud Latinos exprimi non poſſe per dictionem

*Herod. lib. 8. in princ. Et Quintil. lib. 1. Inſtit. Orat.*

*Cic. lib. 1. de Fin. ſub initio. to. 1. phil.*

*Cic. lib. 3. de Fin. ſub initio. to. 1. phil.*

*Cic. lib. 2. Tuſc. quæſtio. to. 1. phil.*

*Cic. lib. de Senect. poſt med.*

*Cic. lib. 2. Verr. Act. 2. to. 1. Orat.*

illam

*Cic. in Piſonē to. 3. Orat.*

*Paul. Manutius cōmen. in li. 2. Verr. Act. 2.*

illam *Saluator*: quod eſt nomen verbale a verbo *Saluo, as*, deductum: qua quidem voce vſus eſt Cicero in Piſonem dicens: Me poſſe iterum Rempublicam ſaluare, ſi ceſſiſſem: infinitam cædem fore, ſi reſtitiſſem. Hæc Cicero. Idq. in multis editionibus me legiſſe fateor. Quamquam autem eam vocem, *Saluator*, tamquam nouam Ciceroni vitare viſum eſt: non tamen a nobis omnino vitanda eſt, cum res noua nouum poſtulet nomen. Hinc Paulus Manutius nouus Latinæ linguæ inſtaurator, ac parens dixit, & recte quidem: Quo patet communis error eorũ, qui IESVM CHRISTVM, Seruatorem appellant: aliud enim eſt ſeruare: aliud ſalutem dare. Seruat is, qui ne ſalus amittatur, aliqua ratione præſtat: ſalutem dat qui amiſſam reſtituit. Quòd ſi Seruator eſt Soter, quia minus valet, neceſſe eſt, SALVATOREM appellare, quod ΣΩΤΗΡ Græce dicitur, vſurpato in re noua nouo verbo: quod veteres quoque probarunt. Hæc Manutius. Quibus ex verbis manifeſte dignoſcitur, nos iure quidem vti poſſe voce illa, quam Ciceroni tanquam nouam vitare placuit: hinc etiam non ſolum Græcam linguam locupletiorem Latina non eſſe, verum etiam hanc illa vberiorem exiſtere planum fit. Quod Horatius dicere viſus eſt, & aperte quidem hunc in modum:

*Horatius in arte Poetica.*

*Venimus ad ſummum fortunæ, pingimus, atque*
*Pſallimus, & luctamur Achiuis doctius vnctis.*

*Gell. li. 19. Noct. Att. cap. vlt. in fine.*

*S. Hieron. in cap. 1. Epiſt. ad Eph. lib. 1. to. 6.*

Cui ſane rei Nigidius apud Gellium adſtipulari videtur dicens: Græcos non tantæ inſcitiæ arceſſo, qui, Ou, ex O, & Y ſcripſerunt, quantæ qui Ei ex E, & I. Illud enim inopia fecerunt, hoc nulla re ſubacti. Hæc Gellius. Multa in hanc ſententiam poſſem congerere, quæ cauſa breuitatis omitto, concludens, Latinam linguam a Græca haudquaquam ſuperari, quamuis hæc ab illa ortum trahat, ſicut ex litterarum vtriuſque Alphabeti figuris, poteſtate, ac nominibus videre licet, vt paulo ſuperius dictum eſt. Nec tamen huic veritati Hieronymum aduerſari quis putet, cum ipſe dicat: Vnde nos propter paupertatem linguæ, & rerum nouitatem, & ſicut quidam ait, quòd ſit Græcorum ſermo latior, & lingua felicior, conabimur non tam verbum transferre de verbo (quod impoſſibile eſt) quàm vim verbi quodam explicare



*Hierony vbi ſupra.*

*Cœl. Rho. lib. 8. c. 17. to. 1.*

*Hierony. vbi ſupra.*

care circuitu. Id enim ex aliorum opinione dicere viſus eſt, ſicut infra apertius explicauit, dicens: Multa verba ſunt, quæ nec de Græco in Latinum transferri valent, nec de Hebraico in Græcum: & reciproce, nec de Latino in Græcũ, nec de Græco in Hebræum. Quibus ex verbis colligitur, nec Græcam linguam Latina locupletiorem, nec Latinam Græca eſſe vberiorem: ſed vtramque aliquando coarctari, atque ita, vt ſeſe habeant ſicut excedentia, vt ſic dixerim, & exceſſa: ambæ enim aliquid in ſe habere cernuntur, quo altera alteram excedere videatur: & quiſque ex aliena lingua transferens nonnihil inuenire ſolet, quo difficultatem explicandi ſibi ineſſe videt. Quamuis autem nos, vt poſſumus, transferre adlaboremus: non tamen inde damnari, aut coargui Latinæ linguæ tenuitas debet, quando, vt teſtis locupletior Hieronymus eſt, etiã Græci pleraque noſtra per circuitus transferũt.

Hæc de Latina lingua mihi dicere viſum eſt, vt eam a Græca, a qua ortum habet, nequaquam ſuperari, facile dignoſcatur. De Nicoſtrata item Latini Alphabeti Inuentrice hactenus, vt ad ceteros eiuſdem Linguæ characterum Inuentores accedamus.

---

# DE EVANDRO CARMENTAE FILIO APVD ABORIGINES LITTERARVM INVENTORE.

*Liu. lib. 1. ab Vrbe condita nõ procul a princ Dec. 1.*

ALTERA huius paraſtaticæ Columnæ facies Euandrum militari habitu indutum, Carmentæ filium, Arcadiæ Regem, aliquot Latinæ linguæ characterum Inuentorem repræſentat. Hic ob ſuam ipſius eloquentiam Mercurij filius ex Nicoſtrata dictus eſt: dimiſſaq. Arcadia, cum patrem caſu interfeciſſet, auito regno pulſus, ſuadente Matre, quæ vates erat, vt dictum eſt, conſcenſa naui in Italiam venit, & pulſis Aboriginibus, tenuit illa loca, vbi poſtea Roma condita fuit, paruumq. oppidum in Palatino Monte extruxit. Aborigines autem Populi dicti ſunt antiquiſſimi, qui primi dicta loca incoluerunt: ſic appellati, quòd primi viſi ſint tanquam

quam editi ſine Patribus, quaſi ſine origine: aut quòd ex varia gentium colluuione mixti erant: qui deinde aduentu Aeneæ Phrygibus coniuncti, Latini vno nomine nuncupati ſunt. Hinc ab Euandro Aboriginibus Latinas litteras, quæ ſupra eius caput extant, datas eſſe docet Inſcriptio:

*Euander Carmentæ filius Aborigines litteras docuit.*

Litteræ ab Euandro inuentæ.

H. K. Q. X. Y. Z.

*Corn. Tac. li. 11. Annal.*

EVANDRVM ſex litteras Alphabeto Latino adieciſſe, non ſolum ex Latina Inſcriptione conſtat, verum etiam ex ipſo Cornelio Tacito, qui de litteris ab Euandro inuentis hunc in modum ait: Aborigines Arcade ab Euandro didicerunt. Et formæ litteris Latinis, quæ veterrimis Græcorum. Sed nobis quoque paucæ primùm fuere, deinde additæ ſunt. Hæc Tacitus. Quæ ſane verba a Plinij ſententia non abhorrent: diximus enim paulo ſuperius, Græcas veteres litteras eaſdem pene fuiſſe, quæ nunc Latinæ ſunt: quibus ab Euandro ſex illæ notæ, quas ob oculos poſuimus, fuerunt adiectæ. Liuius item Euandrum litterarũm inuentorem extitiſſe affirmat dicẽs: Euander tum ea, profugus ex Peloponneſo, auctoritate magis quàm imperio regebat loca, uenerabilis uir miracûlo litterarum, rei nouæ inter rudes artium homines: venerabilior diuinitate credita Carmentæ matris, quam fatiloquam ante Sibyllæ in Italiam aduentum miratæ hæ gentes fuerant. Hæc Liuius. Partim igitur Carmenta, partim vero Euander eius filius Italis tradiderunt litteras: illa ſexdecim, hic autem ſex: quarum figuræ, ſicut de ſexdecim illis dictum eſt, eædem eſſe cernuntur, vna tantum littera, Q ſcilicet, excepta, quæ nullam penitus cum Græcis, neque cum Hebraicis litteris habet affinitatem: immo, Latinis exceptis, nulla alia Lingua hanc notam habere fertur: ſuperfluaq. vocitatur, quia veteres Latini per C, ſcribere ſolebant,

*Liu. lib. 1. ab Vrbe cond. non procul a prin. Dec. 1.*

*Iſid. lib. 1. Etym. c. 3.*

bant,



bant, & nõ minus recte per C, quã per Q. vt Cuando, & Cuoniã & id genus alia: quia C, & Q, maximã inter ſe habẽt affinitatẽ, vt videre eſt in Relatiuo, Quis, vel qui. Nã eius obliqui tam C, quàm Q, retinere ſolent, vt Cuius & Cui, Quem & Quo, Loquor loquutus, & locutus, Sequor ſequutus, & ſecutus, Quum, & Cum. Ceteræ vero quinque a Græco Alphabeto deſumptæ vel figurã tantum retinent, vt H, & X. vel figuram ac nomina, poteſtatemq. ſimul vt K, Υ, & Z. Figura enim illa, H, apud Græcos eſt I, longum: apud Latinos eſt aſpirationis nota. X, apud Græcos pro Ch, ponitur: apud Latinos, litteræ Græcæ Ξ, poteſtatem, & vim habet: ſed X, apud Latinos ad Auguſti vſque tempora nondum recepta fuerat, ſed pro ea C, & S, vel G, & S vtebantur, vt Apecs, & Gregs, pro Apex, & Grex: qua quidem littera X, vt Quintilianus ait, carere potuimus. Figuræ vero K, Υ, & Z tam apud Græcos quàm apud Latinos idem ſonant, eandem penitus formam habentes. Kappa enim, quæ tam apud Græcos quàm apud Latinos habet vim C, non vtimur niſi in dictionibus Græcis, quibus tanquã Latinis vti ſolemus, vt *Kyrie elenſon*, vel *eleeſon*, & *Kalendæ*, Scaurus autem ait nomina, in quibus, A, ſecunda eſſet ſtatim ſede, per K, ſcribenda eſſe hunc in modum: Kalendæ, karta, et karus: ſed huiuſmodi voces, quoniam Græcæ omnino ſunt, characteribus Græcis ſcribi deberent: ſi autem Latinis notis; per C, non per K, Kappa, quam apud Latinos ſuperuacuam eſſe Priſcianus teſtatur: cui Quintilianus adſtipulatur non obſcure dicens loco eius nos habere litteram C, quæ vim ſuam ad omnes perferat vocales. Hanc litteram, K, a Salluſtio, ludi Magiſtro, Latinis litteris adiectam eſſe Iſidorus ait, vt in ſono duarum litterarum C, & Q, faceret diſcrimen. A Græcis item Υ, et Z litteras mutuati ſunt Latini pro Græcis dictionibus conſcribendis: ſed apud Romanos etiam ad Auguſti vſque tempora admiſſæ non fuerunt: nam pro Υ, Latini litteram, I, ponebant, vt Hieronimus, non Hieronymus, ſicut nunc ſcribi ſolet. Loco item Z, duplici, ſſ, vtebantur, vt Patriſſo, pro Πατρίζω, Patrizo. Interdum etiam eius loco, ſd: ſuſtituebant d, vt a multis nunc ſcribitur, qui Eſdras, pro Ἔζρας, Ezras vtuntur. Antiqui præterea loco, Z, vnicum S aliquando ponebãt ſcribentes: Sacynthus pro Zacinthus, Sethus

*Priſcianus, & Quintil.*

*Iſidor. lib. 1 Etym. c. 4.*

S pro

pro Zethus. Nonnunquã etiam D, loco ipſius, Z, vſurpabant, vt Medentius, pro Mezentius: ſed hoc tantũ apud antiquiſſimos, qui peregrinas litteras nullas recipiebant. Hinc ſcribebant Triumpum, et Tropæum, non Triumphum, ac Trophæum, vt ſuperius a nobis, et fuſius quidem demonſtratum eſt. Hanc litteram Z, vt Martianus ait, Appius Claudius deteſtabatur quòd dentes mortui, dum exprimitur, imitatur.

*Pag. 18.*

*Littera Z, dentes mortui imitatur, dum exprimitur.*

Sicut igitur ſex litteræ ab Euandro inuentæ, vt Inſcriptio docet Latina, partim eaſdem tantum figuras, partim vero et figuras, et vim, ac nomina retinere cernuntur, ita de multis alijs Latini Alphabeti dicendum eſt litteris, quæ vel figuris, ac poteſtate ſimul, ſiue nomine a Græcis re ipſa diſcrepare nõ videntur, vt A. E. I. M. N. O. T. quæ non ſolum eaſdem figuras, ſed eaſdem fere poteſtates, ac pronunciationes maiori ex parte a Græcis acceperunt. B. vero P, et X, litteræ figuras retinent Græcas, poteſtates ac pronunciationes non item. B, enim pro V, P pro R, & X pro Ch, Latinis litteris, apud Græcos vſurpantur.

Hæc de Latinis litteris, quæ vel figuras tantum, vel figuras, ac poteſtates ſimul a Græcis ſumpſerunt: cetera enim Alphabeti Græci elementa, vel per inuerſas figuras cum Latinis quandam habent affinitatem, vt Γ eſt L, inuerſum. Λ, eſt V contrario modo ſitum, Σ vero M tranſuerſa conſcriptũ. Vel nullam penitus figuram Latinis habent adſimilem, vt Δ. Θ. Ξ. Π. Φ. Ψ. Ω. Aliquot autem characteres Græcos Latini aliqua ex parte duplicibus litteris inter ſcribendum imitari ſtudent Θ per Th, Φ per Ph, Χ per Ch, Ψ per Pſ, reddentes.

Diphthongorum item vſus nobis indicio eſt, Latinam linguam a Græca traxiſſe originem. Vtimur enim his præſertim diphthongis quattuor, quæ ſcribuntur hunc in modum: AE, OE, AV, & EV. quarum duæ primæ eo modo ſcribuntur, ſed non pronunciantur niſi per E, vt Cæſar, & Phoebus: duæ alteræ a Græcis deſumptæ ſicut ſcribuntur ita pronunciantur, vt Audio, & Euge. Nec ſilentio prætereundum videtur, alias etiam diphthongos Græcas a Latinis vſurpatas fuiſſe, vt videre eſt apud Virgilium, necnon apud alios probatiſſimos Auctores, qui dictionibus hiſce per diphthongum diuiſam vſi ſunt per Diœreſim figuram hoc modo: Aulai, Aurai,



Aurai, Animai, Aquai, ac Terrai, et voces id genus permultæ, quibus frequenter vſus eſt Lucretius, pro Aulæ, Auræ, Animæ, Aquæ, ac Terræ: nam apud Græcos Alpha cum Iota, vt AI, vel αι, facit illud quod eſt apud Latinos, Æ, æ. Poetæ interea vſi ſunt non raro alia diphthongo Græca, quæ eſt EI, vel ei, faciens I, noſtrum, vt Orphei, & Promethei per ſynæreſim figuram, pro Orphi, & Promethi: Id quoque clarum fit ex ijs vocibus, quarum pluralis gignendi caſus deſinit in *Ium*, accuſandi caſus pluralis poſtrema ſyllaba diphthongum Græcam, ει, vel *ei*, admittere ſolet: ſic enim ad hanc vſque diem ſcribitur: Omneis, Treis, Fonteis, & Naueis, atque aliæ huiuſmodi voces, pro Omnes, vel Omnis, Tres, vel Tris, Fõtes, vel Fontis, Naues, vel Nauis: & Queis, pro Quis & Quibus in ſeptimo caſu. Nec ſolum dictas diphthongos Græcas frequenter adhibuerunt antiquiores Latini, ſed etiam illam, quæ eſt: OY, vel ου, faciens V, noſtrum, vt ex vetuſto lapide ad Pontem Ceſtium Romæ videre licet, ad parietem ſcilicet cuiuſdam domus, in qua hæc legitur Inſcriptio:

*Idem ſupra pag. 19.*

HEIC EST SEPVLCRVM,
HAV PVLCRVM,
PVLCRAI FEMINAE
NOMEN PARENTES
NOMINARVNT CLAOVDIAM, &c.

Vbi ponũtur heic pro hic, pulcrai pro pulcræ, Claoudiam pro Claudiam. Et quoniam littera, Υ, vel, υ, in diphthongis Græcis ſonat noſtrum V, vt Αυ, Ευ, Ου, hinc Latini ad Græcarum diphthongorum imitationem, Y, in V noſtrum conuerterunt, vt quod Græci Δύο, Σῦς, Μῦς, θύλη, & Ρώμυλος, Nos Duo, Sus, Mus, Thule, & Romulus dicimus, & Sulla pro Sylla, Purrhus, pro Pyrrhus, atque alia id genus ab Ennio ſic pronunciabantur, vt in Oratore Auctor eſt Cicero. Quibus de rebus omnibus facile colligitur, Latinã linguam a Græca habuiſſe ortum: non tamen hanc illa locupletiorem eſſe fateor, vt ſatis copioſe demonſtratum eſt. Hæc autem in medium afferre mihi viſum eſt, vt ijs, qui aliter ſentiunt, aliqua ex parte ſatisfaciam. Nunc reliquum eſt, vt ab Euandro ſex litterarum Inuentore ad Claudium tranſeamus Imperatorem.

*Cicero in Oratore.*

# DE CLAVDIO IMPERATORE
## TRIVM LITTERARVM INVENTORE.

TERTIA huius paraſtaticæ Colūnæ facies Claudium Imperatorem habitu imperatorio indutum, laurea ornatum, librum manu geſtantem, triumq. litterarum apud Latinos inuentorem repræſentat. Hunc tres litteras Latino Alphabeto addidiſſe ex Tacito conſtat, qui ait: Claudius tres litteras adiecit, quæ vſui, imperitante eo: poſt obliteratæ: aſpiciuntur etiam nunc in ære publicādis * ſcitis per fora, ac templa fixo. Hæc Tacitus, atque eadem fere Suetonius prodit. Nomina vero litterarum, quas a Claudio Latinis adiectas, atque aliquando in vſu fuiſſe, deinde obliteratas Cornelius teſtatur, a Scriptoribus ſubticentur: hinc vna tātum littera ſupra Claudij caput cernitur: ad cuius pedes hæc legitur Inſcriptio:

*Corn. Tacit. lib. 11. Annal.*
**Al. plebiſcitis, ſed ſcitis melius.*
*Suet. in Claudio.*

*Claudius Imp. tres nouas litteras adinuenit.*

Litteræ a Claudio Imper. inuentæ.

F

Reliquæ duæ vſu obliteratæ ſunt.

CLAVDIVM Imperatorem trium litterarum apud Latinos Inuentorem fuiſſe Tacitus & Suetonius teſtantur, ſed quænā ſint, non ſatis conſtat, nec per eos, nec per alios Scriptores: dicam tamen quæ inuenire potui. Quintilianus de littera Ⅎ a Claudio inuenta mētionem aperte facit: ſed quomodo fuerint obliteratæ, Tacito teſte, non video, cum trium illarū vna ſaltem alio modo ſcripta ad hanc vſque diem in vſu ſit, niſi dicamus eam abſoleuiſſe, poſtea vero in vſum reuocatam, vel aliter olim ſcriptam, pronunciatamq. fuiſſe reſpondeamus, vt fuſius infra dicemus. Quod enim antiquiores Latini per Ph, ſcribebant, vt phama, phanum,

*Quintil. li. 1. inſtit. Orat. cap. 4. lib. 12. cap. 10.*



num, & phagus, nos per F, ſcribere ſolemus, vt Fama, Fanum, & Fagus, quamuis dictiones illæ in Latinorum vſum receptæ a Græco fonte originem trahāt: immo vetuſtiſſimi Scriptores Latini F, litteram loco aſpirationis vtebantur, vt Fordeum, Trafo, Vefo, pro Hordeum, Traho, Veho. Sicut etiam Feneti, pro Ἑνετι Heneti, & H, pro V, vt Veneti pro Heneti. Fuerunt præterea apud antiquiſſimos, qui loco, F, vtebantur B, et Bruges dicebant pro eo, quod poſteri Fruges dicere maluerunt.

Hæc item littera F, quæ Digamma Æolicum appellatur, quia nil aliud eſt quàm duplex Gamma Γ, Γ, alterum alteri ſuperpoſitum, & a lingua Aeolica deſumptum, etiam pro littera V, ab antiquioribus Latinis vſurpata nō raro fuit, hoc modo inuerſa Ⅎ vt Quintilianus teſtatur inquiens: Nec inutiliter Claudius Aeolicam illam Ⅎ, ad hos vſus litterarum adiecerat. Et iterum: Aeolicæ quoque litteræ, qua ceruom, ſeruomq. dicimus, etiamſi forma a nobis repudiata eſt, vis tamen manet. Hæc Quintilianus, ex cuius verbis colligitur, hanc litteram Ⅎ, aliter olim ſcriptam fuiſſe: nodusq. diſſoluitur. Hanc item litteram Ⅎ, non Claudius ſolus inter litteras habendam cenſuit, ſed & Varro, ſi Annæo Cornuto credimus. Hanc litterā, inquit, Terentius Varro dum vult demonſtrare, ita perſcribit, *VA*. Qui ergo in hac ſyllaba ſonus eſt, idem litteræ erit. Hoc Digāma etiā hodie legitur in lapidibus Claudianis Romæ, & præſertim ad S. Luciæ Cloacam hoc modo:

*Priſcianus.*
*Quintilianus vbi ſupra.*
*Ann. Cornu. lib. de Orthogr.*
*Va, pronunciatio litteræ Ⅎ.*

TI. CLAVDIVS
DRVSI F. CAISAR
AVG. GERMANICVS
PONT. MAX. TRIB. POT.
VIIII. IMP. COS. IIII.
CENSOR. P. P.
AVCTIS POPVLI ROMANI
FINIBVS. POMERIVM
AMPLIAℲIT. TERMINAℲITQ.

Qua in Inſcriptione legitur CAISAR, more antiquo pro CAESAR per diphthongum Græcam, in qua Alpha cum Iota facit Æ diphthongum Latinam: ibidem legitur AMPLIAℲIT,

PLIAℲIT, & TERMINAℲIT, pro Ampliauit, et Terminauit. In alijs item ſpectationibus antiquis hoc Digamma cernitur ſic: OCTAℲIVS, et OCTAℲIA, pro Octauius, et Octauia. Ita etiam DIℲVS, CLIℲVS, RIℲVS, SERℲVS, VIℲVS, pro Diuus, Cliuus, Riuus, Seruus, Viuus. Quamuis autem, vt ait Gellius, ad huiuſce ſyllabæ, uus, non vs, velut Diuus, et Vulgus, ſonum declarandum Digamma Ⅎ fuerit inuentum, ad ſimplex tamen, V, pronunciandũ adhibitum eſſe conſtat, ſicut ex ſuperiori Inſcriptione clare patet. Hinc factum eſt, vt littera V, etiam Digamma nuncupetur: quia ſicut F vel Ⅎ pro V, vſurpata fuit, ita F, pro V, ſcripto pronunciari ſolet, præſertim in Germania, vbi præter alia permulta, Vinum pronunciatur ſic: Finum. Idem fere in Gallia Ciſalpina, quæ V, tamquam F, pronunciare ſolet dicens Bref pro Breue: & id genus alia: Quare Claudius Cæſar, vt Tacitus prodit, F, loco V, conſonantis recipiendum inſtituit, vt Fulgus pro Vulgus, Fixit pro Vixit.

*Aul. Gell. li. 14. Att. Noct. c. 5.*

Quod ad ſecundam litteram ab eodem Claudio inuentam pertinet, Priſcianus hunc in modum ait: P, & S, loco Græcæ, Ψ, fungitur, pro quo Claudius Cæſar Antiſigma, hac figura ſcribi voluit ↄc: ſed nulli auſi ſunt antiquam ſcripturam mutare. Antiſigma ideo dicitur, teſte Lipſio, quia duo ſigma obuerſo dorſo ſcribuntur hoc modo: ↄc. Hac enim Semilunæ figura priſci Græci, vt ipſe ait, Sigma ſic formabant, c, vt in fine vltimæ Columnæ paraſtaticæ fuſius dicetur.

*Priſcianus lib. 1. Antiſigma. Lipſius in Corn. lib. 11. Ann.*

De tertia denique littera Claudiana Marcus Vetranius Maurus ex Velio longo litteram neſcio quam a Claudio inuentam leniendo R, opinatur. Sunt tamen qui velint Claudium, vel Centimalum, ſiue Centimanum, vt alij minus recte ſcribunt, qui librum in iure ciuili tertium a P. Papinio ſcripſit, R, litteram introduxiſſe, cum prius Fuſij dicerentur: qui deinde Fuſij dicti ſunt.

*Mar. Vetran. in li. 11. Ann. Cornel.*

*Val. Max.*

Alij vero AI, vel αι, diphthongum fuiſſe putant, quod non eſt dicendum: conſtat enim hanc diphthongum antiquitus creberrime vſurpatam fuiſſe, vt in Claudij æuo Inſcriptiones marmore inciſæ indicant: cuiuſmodi eſt illa: ANTONIAI DIℲVAI, & cetera, pro Antoniæ Diuæ, & ſimilia



ſimilia ſcripta. Martianus capella de hac tertia littera ſic ſcribit: Huic litteræ S, Diuus Claudius P, adiecit, aut C propter Ψ, & Ξ Græcas, vt Pſalterium, & Saxum. Id autem Lipſio non placet dicenti: Martianus a Claudio nouum X, repertum ſentire videtur, quod vanum puto, quia X, in vſu erat temporibus iam Auguſti, vt diſerte monet Iſidorus: Sed & X, a Varrone, & Quintiliano cenſetur inter eas, quæ non neceſſariæ. Varro enim in Fragmento quopiam ex libro de Grammatica ſic ait: Litterarum partim ſunt, & dicuntur, vt A. B. partim dicuntur, & non ſunt, vt H, & X, partim ſunt, & non dicuntur, vt Φ, Ψ, ex quibus verbis non abſurde collegeris, duabus his litteris, quæ, Varrone teſte, neceſſariæ ſunt, nouam formam induiſſe Claudium, nomenq. Et de Ψ, quidem clarum, cui Antiſigma ↄc, vel Pſ, reſpondit. De Φ autẽ Claudiano Phi, Grammatici loqui neglexerunt, etſi ea littera non dubie neceſſaria eſt, et alius eius ſonus, quàm Fi, vt monuit Quintilianus. Hæc ex Lipſio, qui hanc litteram Ⅎ, a Claudio inuentam, Ph, alteram ↄc, tertiam vero Ph, fuiſſe opinatur: quarum prima Ⅎ, alio ſonu, atque hoc modo ſcripta, F, remanſit: ſecunda, quæ eſt, ↄc, vel aboleuit, vel vſum numquam obtinuit: tertia vt, Ph, vſum in ſcribendo obtinuit, ſed noua forma nomemq. nouum ei contributa apud Scriptores inueniri non queunt: et hac de re nihil certi affirmari poteſt.

*Martianus Capella.*

*Lipſius in li. 11. Annal. Cornelij.*

*Varro de re gramm.*

Tres igitur litteras inuenit Claudius, quem etiam de harum litterarum ratione ſcripſiſſe ferunt: hinc librum dextra geſtare cernitur. Hæc de Claudio Imperatore trium litterarum apud Latinos inuentore. Nunc reliquum eſt, vt omnia Latinæ linguæ elementa ordine Alphabetico diſtincta ob oculos ponantur, ſicut de Hebraicis, Græcisq. litteris a nobis factum eſſe conſtat. Verum quia in ijs diſponendis non ſolum figuras & nomina earumdem, ſed etiam poteſtatem, ſiue pronunciationem ſuis locis appoſuimus: hinc idem de Latino Alphabeto faciundum eſt dictorum characterum formatione deſcripta iuxta iudicium Martiani Capellæ, qui litterarum omnium formationes inter pronunciandum naturales excogitauit, ſicut ex verſa pagina videre licet.

ALPHA-

# ALPHABETVM LATINVM.

| Figura. | Nomina. | Formatio litterarum. |
|---|---|---|
| A a | A, | Vocalis, ſub hiatu oris congruo, ſolo ſpiritu pronunciatur. |
| B b | Be, | Labris per ſpiritus impetum recluſis editur. |
| C c | Ce, | Super molaribus linguæ extremæ appulſis exprimitur. |
| D d | De, | Appulſu linguæ circa ſuperiores dentes innaſcitur. |
| E e | E, | Vocalis, ſpiritus lingua paululum preſsiore. |
| F f | Ef, | Dentes labrum inferius deprimentes lingua palatoq. dulceſsit. |
| G g | Ge, | Spiritus cum palato inter dentes. |
| H h | Hach, | Non eſt littera, contractisq. paululũ faucibus eſt ventus exhalans. |
| I i | I, | Vocalis, ſpiritus dentibus preſſus, extrema linguæ parte contracta. |
| K k | Ka, | Faucibus, palatoq. formatur. |
| L l | El, | Lingua palatoq. dulceſsit. |
| M m | Em, | Labris imprimitur. |
| N n | En, | Lingua dentibus appulſa collidit. |
| O o | O, | Vocalis, rotundi oris ſpiritu comparatur. |
| P p | Pe, | Labris ſpiritus erumpit. |
| Q q | Qu, | Appulſu palati ore reſtricto. |
| R r | Er, | Spiritum lingua criſpante corraditur. |
| S ſ | Es, | Sibilum facit dentibus verberatis. |
| T t | Te, | Appulſu linguæ dentibus impulſis excuditur. |
| V u v | V, | Vocalis, ore conſtricto, labrisq. promulii exhibetur. |
| X x | Ix, | Quidquid, C, atque, S, formauit exſibilat. |
| Y y | Ypſilon, | Vel Fyo, preſsis labris, ſpirituq. procedit. |
| Z z | Zeta | Duplex ſibilus, dentes mortui, dum exprimitur, imitatur. |

| Vocales quinque. | Diphthongi quattuor. | Litteræ duplices a Græcis mutuatæ. |
|---|---|---|
| A, E, I, O, V, | AE, OE, AV, EV. | CH, PH, PS, TH. |
| Y, Græca: cur Fyo dicta, vide infra. | Duæ primæ ſcribuntur, ſed non pronunciantur. | X, Φ, Ψ, Θ. |

ALPHABE-



ALPHABETVM Latinum litterarum figuris, nominibus, ac pronunciationibus, formationibusq. diſtinctum, vna, ac viginti litteris conſtat, ſi ijs, qui H, & K, litteras tanquam ſuperuacuas ab Alphabeto explodunt, credimus: vt A b c d e f g i l m n o p q r ſ t u x y z: H, enim non eſt littera, ſed aſpirationis nota: K, vero Græca idem efficit, quod C, Latinum elementum: immo quod etiam & Q. vt paulo ſuperius demonſtratum eſt. Quare Martianus Capella decem & octo tantum litteras vniuerſæ conſcriptioni Latinæ, ac locutioni neceſſarias eſſe affirmauit, vt A b c d e f g i l m n o p r ſ t u x. Nam C, littera ad omnes vocales, vt ait Quintilianus, vim ſuam commode perfert. Quam ob cauſam Nigidius figulus, teſte Papyriano ſuis in Commentarijs, neque K, neque Q. eſt vnquam vſus. Y autem, & Z, ob Græca tantum nomina in noſtrum venerunt vſum.

*Ex Diomede Gram. Varr. & Quintil.*

*Martianus.*

*Quintil.*

*Nigidius.*

Zeta enim in Latinis vocibus non adhibetur, ſed in Italica lingua nos ea vti ſolemus. Ypſilon vero, quod Italice vocitatur Fyo, vel Fya, non niſi in dictionibus Græcis vſurpatur. Cur autem ſic nuncupetur, haud facile dignoſci poteſt: ſunt enim qui hanc vocem Fya ex hya voce luctuoſiſſima fieri velint, quæ eſt in nomine Hyacinthi pueri Amiclæi, qui ab Apolline, vt Poetæ fabulantur, dum iactu diſci ſeſe exerceret, fuit interfectus: cuius mortem ægre ferens Apollo, interempti pueri cruorem in florem ſui nominis commutauit, vt Ouidius hiſce verſibus indicaſſe viſus eſt dicens:

*Ipſe ſuos gemitus folijs inſcribit, & hya*
*Flos habet inſcriptum, funeſtaq. littera ducta eſt.*

*Ouid. lib. 10, Metamorph.*

Hinc hyacinthus dictus eſt quaſi flos Cinthij, hoc eſt Apollinis, quod enim a Latinis viola, ſiue flos dicitur, a Græcis vocitatur Ia, quæ ſyllaba ex Ypſilon littera inuerſa ⅄, cõficitur. Si enim I, præponas, & A ſubijcias ſine linea tranſuerſali, vel ſecante, hoc modo Λ, vt in multis Inſcriptionibus antiquis videre eſt, efficitur Y, cuius figuram repræſentari in hoc flore contendunt. E quoniam hæc littera ſemper apud Græcos cum aſpirandi nota ſcribi ſolet, & aſpiratio apud antiquiores Latinos in F frequenter conuertebatur, vt Fordeum pro Hordeum, ſicut ſuperius demonſtratũ eſt, hinc pro Hya Fya,

T vel

vel Phya, ſiue Fyo in Italia, vt reor, pronunciatur.

Sunt qui velint in Ouidiano illo verſu, quem ſupra recitauimus, legendum eſſe non Hya, ſed ΑἼ ΑἼ, vel αἴ αἴ, id eſt Heu Heu, hunc in modum:

*Ipſe ſuos gemitus folijs inſcribit, & αἴ αἴ*
*Flos habet inſcriptum, funeſtaq. littera ducta eſt.*

*Plin. lib. 21. c. 11.* Qui hoc modo legendum putant, Plinium forſitan ſequuntur dicentem, hoc violæ genus venis quibuſdam nigris eſſe diſtinctum, ita diſcurrentibus lineis, vt duarum Græcarum litterarum α & ι figuram referant: quæ res Poetis duplicis fabulæ occaſionem præbuit. Nam & Hyacinthum ab Apolline dilectum, quem imprudens diſci iactu interfecit, in hunc florem mutatum tradunt, interiectionemq. dolentis αἴ, quæ ex duabus illis litterulis conficitur, velut teſtimonium doloris, quem Apollo ex eius morte conceperat, habere inſcriptam. Aiacem item Telamonis Regis filium in eundem florem conuerſum aiunt, dum impatientia prælati ſibi Vliſſis ſeipſum interemit: duaſq. primas eius nominis, Aiacis videlicet litteras, quæ ſunt αἴ, in hoc flore manſiſſe impreſſas affirmant, ſicut etiam ex eodem conſtat Ouidio, qui vtramque fabulam feliciter complexus eſt hiſce verſibus: *Ouid. lib. 13. Metamorph. & alij permulti.*

*——————— Rubefactaq. ſanguine tellus*
*Purpureum viridi genuit de ceſpite florem,*
*Qui prius Oebalio fuerat de vulnere natus:*
*Littera communis medijs pueroq. viroq.*
*Inſcripta eſt folijs, hæc nominis, illa querelæ.*

Quibus verbis Ouidius florem Hyacinthum, necnon litteram, vel potius ſyllabam αἴ, in flore ipſo impreſſam, & Hyacintho puero, & Aiaci viro communem eſſe teſtatur. AI, enim Aiacis primas nominis notas, Hyacinthiq. dolentis interiectionem refert: ex quibus characteribus, vt oſtenſum eſt, Ypſilon littera conſtare cernitur, quæ prima Hyacinthi nominis aſpirata extat nota. Huc item ſpectat illud

*Virg. Ecl. 3. in fine.* Virgilij Aenigma de floribus, quos Regum nominibus inſignitos eſſe ait hoc modo:

***Dic quibus in terris inſcripti nomina Regum***
***Naſcantur flores: ———————***

**Per flores nominibus Regum inſignitos Hyacinthum florem**



**rem intelligi neceſſe eſt**, in quo ſyllabam IA, vel AI, geminam, impreſſam eſſe conſtat: ex qua duæ ſaltē primæ Aiacis Telamonis Regis filij nominis litteræ, voxq. Hyacinthi pueri luctuoſa colliguntur, atque inuerſa littera λ, vt dictum eſt, efficitur, quam huius Hyacinthi nominis litteram aſpiratam primam, Hy, vel potius ſyllabas duas priores eſſe patet hoc modo, Hya, vt initio diximus. Hinc aſpiratione in F cōuerſa, Fya, vel Fyo dicitur. Qua ex re luctuoſa, ac miſerabili (vt opinor) factum eſt, vt huius generis vox quādoque pro vectigali, atque vt Perſæ, & Itali dicunt, pro angaria, ac pro pœna metaphorice vſurpata ſit non raro a Poetis, qui Italica ſcripſerunt lingua: hæc enim nonniſi mœrorem afferre ſolent ijs, qui huiuſmodi res patiuntur. †

*† Sacratiſſima Trinitas per tres haſce litteras Græcas Π, Υ, Α, olim repræſentari ſolebat, vt legitur Diſt. 73. c. 1. & in Sūma: ſunt enim primæ litteræ trium perſonarū, vt πατὴρ Pater, cuius prima littera eſt Π, Υἱὸς, Filius, cuius prima littera eſt Υ. Ἅγιον πνεῦμα, Sanctus Spiritus, cuius prima littera eſt Α. Hinc ī Gallia ciſalpina, Venetijs, in Piceno, & in multis alijs Italiæ locis littera Ypſilon in Alphabeto, Υ in F, conuerſa, Fio nuncupatur. Filius enim Latine, Italica voce Figlio dicitur, & per eclypſim Fio, vt a Venetis paſſim pronūciatur, ab Hiſpanis Hijo, Quæ vox Græcæ dictioni Υἱὸς adſimilis nō parum videtur.*

Hæc de littera Fyo, necnō de Alphabeto Latino, quo etiam Latini ſcriptores aliqua ex parte inter numerandum vſi ſunt, ſicut idem, & ſane copioſius, ab Hebræis, ac Græcis fieri conſtat. Nos enim non niſi ſeptem vel octo ad ſummum litteras pro vniuerſa numerandi ratione adhibere ſolemus, quæ ſunt C. D. I. L. M. Q. V. X.

Littera autem I, vt a primo exordiar numero, apud nos pro vnitate vſurpatur: propterea quòd ex vna tantum, & recta quidem linea conſtat, ſine qua nulla Alphabeti elementa formantur: hæc enim linea ad ceteras litteras formandas aut duplicatur, aut ad circuli figuram agitur, aut incuruatur, aut alijs deſcribitur modis. Hinc eam maiores noſtri primam numerandi figuram conſtituentes vnitatem appellarunt: vnitas namque omnium numerorum mater eſt, Boetio teſte, qui ex ea tamquam matre vniuerſum numerum procreari, & in eam ipſam poſtremam rurſus reſolutionem fieri affirmat. Hac igitur ratione per I, vnitas ſignificatur: quoniam elementa omnia ab ipſa linea ſumunt exordium, & in eam reſoluuntur. Hæc denique littera I duplicata, dualitatem: triplicata, triadem: quadruplicata numerum quaternarium repræſentat.

Littera V, quinque ſignificat: ipſa enim quinta Vocalis eſt: cui ſi præponatur littera I, hoc modo: IV. numerum quaternarium efficiet: ſi autem VI. ſenarium conſtituet: & quot litteræ I poſt V geminantur, tot vnitates numero

quinario additas fuiſſe dicas oportet, vt VI, ſex: VII, ſeptem: VIII, octo. VIIII, nouem ad denarium vſque numerum procedendo, qui per X, indicatur.

Littera X, decem ſignificat, quia decima eſt conſonans; vt Priſciano placet: hiſce enim characteribus, H, K, & Z, detractis, quarum prima non eſt littera, ſed aſpirationis nota; aliæ vero ſunt a Græcis deſumptæ, vt dictum eſt, C, G, Q, pro vna littera connumeratis, teſte Priſciano, & B, atque F, inuicẽ ſibi cedentibus, cum Bruges & Fruges dicantur, S, vere ſibilo, non littera exiſtente, & propterea frequenter in verſu apud antiquos abiecta, litterã X, decimam conſonantem eſſe, ob idq. decem ſignificare fatendum eſt. Vel ſignificat decem, quia videtur conſtare ex duplici V, quæ bis poſita decem ſignificat, altera inuerſa hunc in modum X.

*Virgil. & Iuuenalis.*

Littera L, quinquagenarium numerum ad Græcorum imitationem repræſentat: nam Græci antiquiores per litteram ν, quinquaginta indicabant. L, autem, & N, inuicem ſibi cedunt, vt ait Priſcianus: dicimus enim Lympham & Nympham, idem intelligentes, aquam ſcilicet, quæ Græce dicitur Νύμφη: & quod veteres Græci Nympham appellabant, nos per mutationem vnius litteræ ν in I, Lympham, hoc eſt aquam, vocitamus. Non eſt igitur mirum, ſi quinquagenarium numerum, quem Græci per N exprimebant, nos per L ſignificemus, Græcos imitantes.

Littera C, centenarium numerum ſignificat, quia in hoc numero primum locum habere cernitur, vt Centum, cuius vocis primum elementum eſt, C.

Littera D, quingenta ſignificare ſolet: propterea quòd inter hanc litteram D, & M, quod mille ſignificat, H, & K, ob rationem aſſignatam detractis, quinque ſunt litteræ, quæ dimidium millenarij numeri efficiunt, vt nonnulli aiunt: ſed infra de hoc melius fortaſſe dicetur.

*Paul. Manutius in Addit. in Calep. & in Commẽt. in li. 11. Epiſt. fam.*

Littera M, mille indicat, cum huius nominis primum elementum ſit, M, vt vulgo fertur. Quamuis autem Priſcianus dicat notari Mille per X, & decem millia hunc in modum: CXↃ, Paulus tamen Manutius id omnino damnat tamquam a vetuſtate alienum, & Priſcianũ deridet: quodq. de D, & M, vulgo putatur, ingenioſe declarat dicens, Mille apud



apud Scriptores Latinos antiquitus notatum ſic eſſe, CIↃ: pro quingentis, quod eſt millenarij numeri dimidium, hoc modo, IↃ. Hinc librariorum incuria, ſeu præpropera feſtinatione ex hac figura CIↃ, M, defluxit, ſimilitudine errorem efficiente, quia M, quandoque ita ſcribitur, ↀ, vt minimum diſcrepare videatur a CIↃ. Ex hac item figura, IↃ, errorem creante ſimilitudine, pro quingentis littera D notari cœpit, atque vſum apud nos obtinuit: ſicut enim ex hac figura CIↃ, M, ita ex IↃ, D, facile conficitur. Adde etiã, quòd in antiquis libris aliæ item figuræ pro mille vſurpatæ ſunt, ob minus accuratam librariorum feſtinationem, qui, vt vno calami ductu, mille indicarẽt, pro CIↃ ſcribebant ſic, ω, quod quandam affinitatem cum figura CIↃ habere videtur. Hinc etiam apud vetuſtiores hanc figuram, ∞, pro mille ob eandem cauſam efficere ſolebant. Hæc de quingenteſimo, ac millenario numero: multo autem plura de antiqua apud Latinos numerandi ratione, quæ nunc in frequenti vſu non eſt, vt in additamentis Manutianis in Dictionarium Fratris Ambroſij Calepini ex Auguſtiniana familia videre eſt.

*Paulus Manutius vbi ſupra.*

Littera Q. quingenta millia apud veteres Latinos indicabat: quoniam Q. huius numeri primum eſt elementum. Hunc autem numerum per Q. litteram vſurpari hodie non video. De Latinis litteris, earumdemq. vſu hactenus, vt ad Hetruſcas notas accedamus.

---

# DE DEMARATHO
## HETRVSCARVM LITTERARVM INVENTORE.

QVARTA huius paraſtaticæ Columnæ facies Demarathum Corinthium, negotiatorem ditiſſimum, Græco habitu indutum, truculento viſu hominem, Hetruſcarumq. litterarum Inventorem repræſentat. Hic tyrannidem Cypſelli fugiens, Tullio teſte, in Hetruriam, Italiæ regionem, Tyrrheno mari incumbentem, ad primã vſque Tyberis ripam protenſam,

*Cic. lib. 5. Tuſculan. quaſt.*

tenſam, Macra fluuio a Liguria diſcretam, cuius hodie Metropolis eſt Florentia Ciuitas pulcherrima, & nobiliſſima, comparatis opibus luculentis commigrauit: atque inibi a Tarquinienſibus eiuſdem Regionis populis exceptus, Tarquinium Priſcũ Populi Romani Regem ex illuſtri Hetruſca vxore genuiſſe commemoratur. Hic item inuẽtor fuit Hetruſcarum litterarum, de quibus Liuius mentionem faciens, Romanos pueros Hetruſcis litteris nõ minus quàm Græcis eruditos olim fuiſſe affirmat hunc in modũ: Cære educatus apud hoſpites, Hetruſcis inde litteris eruditus erat: linguamq. Hetruſcam probe nouerat. Habeo Auctores, vulgo tum Romanos pueros, ſicut nunc Græcis, ita Hetruſcis litteris erudiri ſolitos. Hæc Liuius. Harum autem litterarum inuentorem fuiſſe Demarathum Corinthium Cornelius teſtatur aperte dicens: At in Italia Hetruſci litteras ab Corinthio Demaratho didicerunt. Hæc Tacitus. Huius linguæ Alphabetum ſupra Demarathi caput cernitur: ad cuius pedes hæc legitur Inſcriptio:

*Liu. lib. 9. ab Vrbe cond. poſt med.*

*Demarathus Corinthius Hetruſcarum litterarum Inuentor.*

**Litteræ a Demaratho inuentæ.**



HETRVSCARVM litterarum Alphabeta varia extiterunt, ſicut ex varijs libris, ac lapidibus, necnon Italiæ Bibliothecis conſtat, Theſeo Ambroſio teſte. Quamuis autem maiori ex parte eaſdem fere figuras habeãt, ordinem tamen eundem, eandemq. pronunciationem, ſeu poteſtatem,

*Append. de introd. ad varias linguas.*

teſtatem,



teſtatem, vel idem nomen, eundemq. legendi modum non item: alterum enim huiuſce linguæ Alphabetum, vt cetera prætercam, a dextro in ſiniſtrum latus, more Hebraico: alterum vero iuxta Latinam conſuetudinẽ a ſiniſtro in dextrum ſcriptum inueni, cuiuſmodi eſt quod præ manibus habemus: nam a ſiniſtro in dextrum legitur latus: quod vero a ſiniſtro in dextrum conſcriptum reperitur, prętermittere mihi viſum eſt. Hoc autem modo exaratæ videntur ſeptem vetuſtiſſimæ illæ Tabulæ æneæ, quæ iampridem Eugubij prope mœnia Ciuitatis effoſſæ hucuſque ibidem publice aſſeruantur: ex quarum vna nuper excuſa congeſtum eſt Alphabetum, quod etiam typis mandatum quantum ad quaſdam notas, alijs eiuſdem linguæ Alphabetis abſimile eſſe conſpicitur: fieri enim potuit, vt varijs characteribus idem Alphabeti elementum figurarint Hetruſci, vt ex varijs eiuſdem linguæ Alphabetis, quæ ad quinque, maiori ex parte ſimilia, ego ipſe vidi, coniectare licet: Id quod factum videtur ob aliquam fortaſſe litterarum mixtionem habitam cum Volſcis in Latio, & cum Oſcis in Campania Populis, quorum varias litteras, variumq. dicendi ſtylum fuiſſe multi prodiderunt. De Hetruſcis autem litteris nonniſi dicta Alphabeta partim typis mandata, partim vero conſcripta reperiuntur, quæ a Tarcuntis ſepulchro Volaterris olim inuento, & a ſeptem illis Tabulis æneis Eugubij repertis videntur deſumpta. Quarumnam vero Gentiũ propria fuerint elementa, ſeu litterarũ notæ, quæ in ipſis Tabulis æneis Eugubij aſſeruantur, non ſatis conſtat, etiamſi Hetruſcæ linguæ nomine circumferantur. De his vero Tabulis Eugubij in Theatro repertis ſcripſit verſu elegiaco Iacobus Taurellus Fanenſis, & eleganter quidem. Hæc de Hetruſcis litteris, vt ad Illyricam, Armenam, Seruianam, & Gothicam notas accedamus.

*Tabulæ æneæ Eugubij repertæ.*

DE

# DE SEXTA COLVMNA PARASTATICA,

## Gothicæ, Armenæ, Illyricæ, ac Seruianæ linguæ Inuentores repræſentante.

### *De Vlphila Gothicarum litterarum Inuentore.*

PRIMA huius paraſtaticæ Columnæ facies Vlphilam Gothorum Epiſcopum, habitu Epiſcopali indutum, Gothicarumq. litterarum inuentorem repræſentat. Hinc ſupra eius caput Gothicum Alphabetum conſpicitur: & ad eiuſdem pedes hæc legitur Inſcriptio:

*Vlphilas Epiſcopus Gothorum litteras inuenit.*

Litteræ ab Vlphila inuentæ.



*Trip. lib. 8. c. 13. Et Socr. li. 4. cap. 34. Niceph. li. 11. c. 48.*

VLPHILAM non ſolum Gothicarum litterarum fuiſſe inuentorem, ſed etiam Scripturam ſacram in Gothicam linguam primũ transtuliſſe multi prodiderunt. Qua profecto re, necnon verbi Dei propagatione, qua Gothos ad Chriſtianam fidem conuertit, damnum omni miſeratione digniſſimum ab eiuſdem Regionis populis omni immanitate, ac barbarie refertiſſimis, vniuerſæ Italiæ, & Romæ præſertim illatum rependiſſet, niſi poſtea hæreſim Arij, reiecta catholica fide, complexus eſſet: cuius



cuius exemplo eandem hæreſim alij ſectati ſunt: maxima enim Vlphilas apud Gothos præpollebat auctoritate.

*Niceph. Call. lib. 11. c. 48.*

Gothi, vt omnes teſtantur hiſtoriæ, Scythiæ populi immanes in tractu Septentrionali Europæ, Danis, & Nouergis contermini, olim armis Italiam ſubegerunt, Romamq. ipſam ſolo æquarunt, ſuamq. in totum Orbem non ſolum moribus, verum etiam lingua inuexerunt barbariem, quam Latinæ præſertim litteræ non modicam perpeſſæ dicuntur. Gothorum enim, quos Getas eſſe multi & eruditi quidem Viri volunt, aliqui Oſtrogothæ tanquam Orientales illorum vocabulis ita dicti, ſicuti Vuiſigothæ qui Occidentalium ſeſe Regionibus infudere, nuncupati ſunt. Non eſt igitur mirum, Latinam linguam ab huiuſmodi Gentibus maximam accepiſſe iacturam. Roma enim capta, in qua floruere Latinæ litteræ, Gothicam linguam didicit, vt ſanctus Auguſtinus teſtatur inquiens: Si licet dicere non ſolum Barbaris lingua ſua, ſed etiam Romanis *Sihor aarmen*, quod interpretatur, *Domine miſerere*, cur non liceret in Concilijs Patrum in ipſa terra Græcorum, vnde vbique deſtinata eſt fides, lingua propria *Homouſion* confiteri, quod eſt Patris, & Filij, & Spiritus ſancti vna ſubſtantia? Hæc Auguſtinus. Quibus verbis ſatis conſtat, Romanam linguam nonnihil a Gothis accepiſſe, immo ab ijs, necnon a Gallis, Longobardis, & a frequentia, ſiue concurſione in Vrbem aduenarum, contaminatam, barbarieq. conſpurcatam, & pene amiſſam olim fuiſſe, atque ita, vt multis iam ſæculis non modo Latine nemo fere locutus fuerit, ſed ne Latina quaſi quidẽ legens intellexerit. Quæ autem ætas illa intellexit, perperam maiori ex parte pronunciauit, aut ſcripſit: pronunciabatur enim B pro V, & contra V pro B, vt lauor pro labor, veneficium pro beneficiũ, beritas pro veritas, benio pro venio, & aliæ id genus ſexcẽtæ voces ita pronunciabãtur, vt ex codicibus manuſcriptis antiquis videre eſt: qui quidẽ pronunciãdi, ſcribendiq. modus in Hiſpania, prę́ſertim vero in Prouincia Caſtellę, & alibi apud multos ad hanc vſque diẽ remanſit. Hinc de huiuſmodi iactura Quintilianus ait: Mutauimus genus, & vltra nobis, quàm oportebat, indulſimus. Quid multa? totus prope mutatus eſt ſermo. Hæc Quintilianus. Idem ſenſit Diomedes Grammaticus dicens:

*Aelius Spartian. S. Hieron. in Geneſ. Oroſius li. 1. cap. 16. Rhodig. li. 18. c. 24. to. 2. & alij.*

*S. Auguſt. Epiſt. 177. Laurẽtius ſub fin. to. 2.*

*Quintil.*

*Diomed. Gramm.*

Iniecit poſtera ætas manum,& veluti diſciplinam priſtini ſæ-
culi ſermonē faſtidire cœpit, & noua veluti parturire verba.

*Plin. Tacitus, Macrob. Apuleius.*

Idem Plinius, Tacitus, Macrobius,& Apuleius dixerunt: Hu-
iuſmodi autem iacturam ad hæc vſque tempora paſſi ſumus:
Romanam enim linguam nobis olim non modo Romæ, verū
etiā in vniuerſa præſertim Italia peculiarem, ac natiuā, nunc
tanquam peregrinam, atque exteram intra lares noſtros ex-

*Paul. Manutius li. Epiſt. Famil.*

cipere ſolemus: immo, vt ait Paulus Manutius, elingues pene
ſumus in Latina lingua, quā tum lacte ipſo Romani imbibe-
bant: pueri enim cū primū balbutire incipiebant, a Matribus,
& Nutricibus nulla arte Latinā diſcebant linguam, qua vte-

*Cic. lib. 1. Tuſc. quæſtio. Et ex Terent. in prol. Hecyræ.*

*Cic. lib. 3. de Orat.*

bātur, vt ex Cicerone colligitur, dicente: Frequens conſeſſus
Theatri, in quo ſunt mulierculæ, & pueri, mouetur audiens
tā grande carmen. Et in Oratore: Equidem cum audio Socrū
meā Læliam (facilius enim mulieres incorruptā antiquitatē
conſeruant, quòd multorū ſermonis expertes ea tenent ſem-
per, quæ prima didicerūt) ſed etiā ſic audio, vt Plautum mihi,

*Cic. ī Bruto.*

aut Næuiū videar audire. Et in Bruto: Erant tamen, quibus vi-
deretur illius ætatis tertius Curio, quia ſplēdidioribus fortaſ-
ſe verbis vtebatur, & quia Latine nō peſſime loquebatur, vſu,
credo, aliquo domeſtico: nā litterarū nihil ſciebat, ſed magni
intereſt quos quiſque audiat quotidie domi, quibuſcū loqua-
tur a puero: quemadmodū Patres, Pædagogi, Matres etiā lo-
quantur. Legimus epiſtolas Corneliæ Matris Graccorum: ap-
paret filios non tā in gremio educatos, quàm in ſermone Ma-
tris. Ibidem: Nullum ille Poetā nouerat, nullū legerat Orato-
rem, nullā memoriam antiquitatis collegerat. Et infra: Anto-
nius exiſtimabatur bene Latine loqui, ſed litteras neſciebat.

*Cic. lib. 3. de Orat.*

Idem in eodem libro de Oratore ait: Nemo vnquā Oratorem
quòd Latine loqueretur, admiratus eſt: ſi aliter, irridet. Neque
eum Oratorem tantummodo, ſed hominem nō putant. Idem

*Cic. ibidē. non procul a fine.*

ibidem: Illud autē nequis admiretur quonam modo hæc vul-
gus imperitorum in audiendo notet, cū in omni genere, tum
in hoc ipſo magna quædam vis, incredibiliſq. naturæ. Omnes
enim tacito quodam ſenſu ſine vlla arte, aut ratione quæ ſunt
in artibus, & rationibus recta, ac praua dijudicant: ita vero, vt
ſiquid contractione breuius fieret, aut productione longius,
Theatra tota reclamāt. Ex huiuſmodi ergo tanti viri teſtimo-
nijs



nijs aperte dignoſcitur, Latinā linguam peculiarem olim, &
natiuam omnibus Romæ, & in vniuerſa Italia fuiſſe, viris ſci-
licet & mulierculis, nobilibus & ignobilibus, ſenibus & pue-
ris, doctis & indoctis, diuitibus & mendicis: in ea tamen alter
alterū præſtabat, ſicut in alijs linguis apud omnes Nationes
euenire ſolet. Nunc vero in hac perdiſcenda maximos perpe-
timur labores, melioremq. ætatis partem conſumimus, vixq.
eam ipſam in ſcribendo conſequimur, & laborioſe quidem in
eadem Latina lingua balbutire videmur, dum barbariem, ac

*Gell. lib. 5. cap. 20.*

ſtribiliginem, tortuoſæ ſcilicet orationis prauitatem, ac ver-
ſuram vitare, puramq. dicendi formam ſequi ſtudemus, ob
inſignem iniuriam Latinitati illatam ab exteris Nationibus,
& Gothica præſertim Gente: quæ Gens profecto barbara, &
immanis, quanta Latinis litteris, vniuerſæq. Italiæ damna
intulerit, Romanæ, vt cetera conticeſcam, ruinæ docent. Hæc
de Gothica lingua, vt ad Armenicam tranſeamus.

---

## DE S. IOANNE CHRYSOSTOMO LITTERARVM ARMENICARVM AVCTORE.

ALTERA eiuſdem paraſtaticæ Columnæ facies
ſanctum Ioannem Chryſoſtomum ob auream
ſermonis præſtantiam, Chryſoſtomum ſcilicet,
hoc eſt, aureum os, appellatum, patria Antio-
chenum, & Antiochenæ quondam Eccleſiæ pre-
sbyterum, Conſtantinopolitanum Archiepiſcopum, Græ-
cū Doctorem, Græcoq. more indutū, Armenicarumq. littera-
rū Auctorē repręſentat: ad cuius pedes hæc legitur Inſcriptio:

*S. Ioan. Chryſoſt. litterarum Armenicarum Auctor.*

ALPHABETVM, quod in Bibliotheca extat Vatica-
na, abſque nominibus, ac pronunciationibus con-
ſcriptum hoc loco non appoſuimus, ſed quod ſequi-
tur, ſtudioſorum commoditati ſtudentes conſcripſimus, ſicut
de Hebraico, Græco, Latino, Armenico, Illyrico, ac Seruia-
no eandem ob cauſam factum eſt.

## ALPHABETVM ARMENVM
nouem ac triginta litteris conſtans.

| Figuræ litterarum | Nomina litterarum | | Pronunciatio. |
|---|---|---|---|
| Ա ա | այբ | Aip | a |
| Բ բ | բեն | Pien Bien | p.b. |
| Գ գ | գիմ | Chiim Giem | c.g. |
| Դ դ | դայ | Ta Da | t.d. |
| Ե ե | եչ | Iec | ie.e. |
| Զ զ | զայ | Za | z. |
| Է է | է | Ae | æ.e. |
| Ը ը | ըթ | Iet | ie. |
| Թ թ | թօ | Tho | th. |
| Ժ ժ | ժէ | ge ze xe | g.z.x. |
| Ի ի | ինի | Inni | i. |
| Լ լ | լիւն | Liun | l. |
| Խ խ | խէ | Hhe | hh. |
| Ծ ծ | ծայ | Zza.Dha.Tza. | dh. tz. zz. |
| Կ կ | կեն | Chien.Gien.Kien.Quien. | c.g.k.q. |
| Հ հ | հօ | Ho. | h. |
| Ձ ձ | ձայ | Tſa.Ssa.xa. | ſſ.tſ.x. |
| Ղ ղ | ղատ | Chat.Glal.Gal. | gl.l. |
| Ճ ճ | ճէ | Ie.Gie.Hie. | i.g.h. |
| Մ մ | մեն | Mien. | m. |
| Յ յ | յի | Chi. | i. |
| Ն ն | նու | Nu. | n. |
| Շ շ | շայ | Sa.Scha. | ſ.ſc. |
| Ո ո | ո | Vua. | o. |
| Չ չ | չայ | Scha.Zia. | ſ.z. |
| Պ պ | պէ | Be. Pe. | p.b. |
| Ջ ջ | ջէ | Sche.Zche. | ſc.ch. q.z. |



| | | | |
|---|---|---|---|
| Ռ ռ | ռա | Rha.Rra. | rh.rr. |
| Ս ս | սէ | Se. | ſ. |
| Վ վ | վէ | Viech.Vieu.Vieph. | u. |
| Տ տ | տիւն | Dun.Tuen. | t.d. |
| Ր ր | րէ | Re. | r. |
| Ց ց | ցօ | Zzo. | zt.zz. |
| Ւ ւ | հիւն | Yun.Phyun. | y. |
| Փ փ | փիւր | Piur.Pſiur. | p.pſ. |
| Ք ք | քէ | Che. | ch. |
| Եւ և | և | Ieu. | eu. |
| Ֆ ֆ | ֆէ | Phe | ph. |
| Օ օ | այբիւն | Aipiun. | o. |

### VOCALES.

ա. ե. է. ը. ի. հ. ժ. յ. ո. վ. ւ. և. օ.

### DIPHTHONGI.

այ. աւ. իւ. ու. եւ. ոյ.

Հայր մեր որ յերկինս.

SANCTVM Ioannem Chryſoſtomum Armenicarum litterarum inuentorem fuiſſe Latina docet Inſcriptio, ratioq. ipſa perſuadet. Nam ſanctus ille diu in Armenia relegatus vixit, vbi poſt multa in vetus ac nouum Teſtamentum conſcripta, plurimos ſuæ vitæ ſanctitate, ac lingua, ad Euangelicam doctrinam traxit, & Scripturam ſacram in Armenicam linguam tranſtuliſſe dicitur: deinde in puſillum ac deſertum Armeniæ oppidulum nomine Cucuſon, ac demum Arabiſſum deportatus ex hac luce deceſſit. *Ex li. 10. Trip. hiſt.*

*Ptolom. Solinus, Dionyſ. Strabo, Plinius Stephan. Virgilius Lucanus.* *Gen. 8.* *Iſa. 37. in fine.*

ſit. Armenia autem, vt Scriptores omnes affirmant, eſt Aſiæ regio inter Taurum & Caucaſum montes a Cappadocia ad Caſpium vſque mare protenſa, ab Armenio Theſſalo Iaſonis comite, vt inquit Strabo, dicta. Hanc Terram Hebraica lingua Ærez Ararat, ideſt Terram Ararat appellat: huius vero regionis Incolæ nunc Chriſtiani ſancti Thomæ è cinctura dicti in temporalibus Perſarum regi, qui Sophi vulgo nuncupatur, obediunt, & iuxta ſanctæ Romanæ Eccleſiæ ritum ſe degere profitentur. Eiuſdem regionis Alphabetum nouem ac triginta litterarum figuris maiuſculis, totidemq. minuſculis conſtat, quæ cum characteribus, ac pronunciationibus variarum linguarum quandam affinitatem habent. Vulgaris autem lingua eſt eadem Turcica, & Tartarica, multaſq. voces Hebraicas habet, vt in Appendice oſtendemus: Georgiana vero Tartaricæ & Armenicæ media eſt.

*Ex Beroſo, & Xenophontis æquiuocis.*

Notis huiuſce Alphabeti conſtat perbreuis In ſcriptio poſt Abecedarium appoſita: quæ in chartula efficta, ſatiſq. oblonga a ſancto Ioanne Chryſoſtomo manu geſtatur, & in characteres noſtros tranſlata in hanc legitur verborum formam: *Chair mer or hierchins*. Latine vero hunc in modum: *Pater noſter qui es in cælis*. Quod factum reor, vt innuatur, ſanctum Ioannem Chryſoſtomum hac lingua Euangelicam doctrinam apud Armenos propagaſſe. Et quia vna eademq. littera varijs modis, & frequenter quidem pronunciatur, hinc factum eſt, vt huiuſmodi Alphabetum, quod a ſiniſtro latere ad dextrū legitur, iuxta varias earumdem litterarum pronunciationes, ac poteſtates, maiorem characterū numerū admittat, quàm cetera Alphabeta recipiant.

*Ex Theſeo Ambroſio in Introduct. variarū linguarum.*

Nec ſilentio prætereundum cenſetur, trigeſimam quartā litteram, quæ pro Y ponitur, hoc modo ſcriptā Ւ, Yun, vel Phyun apud Armenos vocitari: a quibus Fyo, vel Fya noſtrum ita pronūciatum, originem traxiſſe opinor, vt ex Theſeo Ambroſio videre eſt: nec ob id ceteras rationes ad hanc rem pertinentes, quas paulo ſuperius recenſuimus, contemnendas eſſe dicendum eſt: ſed ſuo quiſque potiatur ſenſu. Hæc de Armenico Alphabeto, vt ad notas Illyricas accedamus.

*Pag. 145. & 147.*





# DE SANCTO HIERONYMO LITTERARVM ILLYRICARVM INVENTORE.

TERTIA eiuſdem paraſtaticæ Columnæ facies ſanctum Hieronymum Stridonenſem, Virum profecto omnium doctrinarum genere præditum, Hebræam præterea linguā, Syram, Chaldaicam, Græcam, & Latinam perfecte callentem, litterarumq. Illyricarum Inuentorem repræſentat. Hinc ſupra eius caput Illyricum extat Alphabetum: ad eius autem pedes Leo iacere cernitur: atque infra hæc legitur Inſcriptio:

*S. Hieronymus litterarum Illyricarum Inuentor.*

ALPHABETVM, quod in Bibliotheca Vaticana extar, hic non appoſui: ſed ſtudioſorum ſtudens commoditati, quod verſa pagina videre licet, varijs figuris, varijſq. nominibus, ac pronunciationibus, ſiue poteſtatibus conſcriptum ob oculos ponendum cenſui, ſicut de Hebraico, Græco, Latino, atque Armenico, necnon Seruiano ob eandem rationem factum eſſe conſtat. Quam profecto induſtriam hiſce in Alphabetis præſtare mihi viſum eſt, cum huiuſmodi linguas apud multas Nationes in frequentiori, quàm ceteras, vſu eſſe non ignoremus.

# ALPHABETVM ILLYRICVM

Tribus ac triginta litteris conſtans.

Figuræ litterarum.



| Nomina litterarum. | Pronunciatio litterarum, vel poteſtas. |
|---|---|
| Aſ | a vocalis. |
| Buk | b |
| Viede | u conſonans. |
| Glagoglie | gh, vel gl, |
| Dobro | d |
| Ieſt | e vocalis, ſed quandoque ſonat, ie. |
| Sgiuiete, | non ſg, ſed medium inter ſ, & g: vt apud Venetos, no gheſe, pro eo, quod Latine dicitur: nõ adeſt. |
| Sielo | ſʒ non z, ſed medium inter ſ, & z. |
| Semglie | Hæc littera eandem pene retinet pronunciationem, quam habet ſuperior. |
| Iſge | Hæc eſt littera, quæ numerũ denarium ſignificat. |
| I | i vocalis. |
| Iu, & giu | |
| Kako | k |
| Liude | l |
| Miſlete | m |
| Naſc | n |
| On | o vocalis. |
| Pokoi | p |
| Erzi | r |
| Slouo | ſ conſonans. |





| | |
|---|---|
| Tuarde | t |
| Vk | u vocalis. |
| Hir | h Pronunciatur more Hebręorum, vt Abraham. |
| Fi | f |
| Zi | z |
| Ciarv | c Eſt littera, quæ pro duplici cc cum i, ponitur, & pronunciatur vt apud Italos Faccio, taccio. |
| Od | od pro duabus litteris. |
| Scai | pronunciatur vt, ſc, in latino verbo Scio. |
| Sčtai | ſčt pro his tribus litteris. |
| Ier | Deſeruit pro fulcimento conſonantium in fine dictionum. |
| Iat | ia & ie. |
| Iuſt | iu more Latinorum. |
| Ierieſt | hæc littera parum aut nihil deſeruit, ſed ponitur pro ſignificatione litterarum, quæ inſtar characterum Hebraicorum ſignificationem habet. |

SANCTVM Hieronymum Illyricarũ litterarum inuentorem fuiſſe aperte docet Inſcriptio: idq. fama ipſa nobis perſuadet. Quamuis enim ſanctus Hieronymus Illyricus, ſiue Dalmata non fuerit, eum tamen huius linguæ auctorem extitiſſe, rumor ſparſus eſt. Quòd autem hic ſanctus non fuerit Illyricus, ex eodem conſtat Hieronymo, qui hunc in modum ait: Vaſtatis vrbibus, hominibusq. interfectis, ſolitudinem, & raritatem quoque beſtiarum fieri, & volatilium, piſciumq. teſtis Illyricus eſt, teſtis Thracia, teſtis in quo ortus ſum ſolum: vbi præter cælum & terram, & creſcentes vepres, & condenſa ſiluarum, cuncta perierunt. Hæc Hieronymus, qui Illyricum a patrio Solo hic ſeparat, & in Catalogo Dalmatiam ab eodem patrio Solo diuidens, ſcribit ſe Stridone natum, idq. oppidum eſſe

*Hieron. in c. 1. Soph. to. 5.*

*Hieron. in Cat. Script. Eccl. in fine to. 1.*

in confinio Pannoniæ, Dalmatiæque. Blondus item Foroliuienſis affirmat Strignam, quæ olim Stridon (vbi Euſebij Hieronymi patris ſepulchrum adhuc extare teſtatur) intra Arſiam flumen, Italiæ ea in ora, Plinij, ceterorumq. veterum teſtimonio, ex ipſius etiam Auguſti deſcriptione, limitem contineri: proptereaq. Iſtriæ, non Illyrio, aut Dalmatiæ Stridonē adſcribi debere ait. Quamuis igitur Hieronymus ſit Iſtrianus, Stridonenſis videlicet, non Illyricus, ſiue Dalmata, eum tamen vel Illyricæ linguæ, quæ Sclauona nunc dicitur, fuiſſe inuentorē, vel eam ſaltem (latius enim tunc lingua illa patebat) optime calluiſſe fatendum eſt. Habet namque Gens illa Miſſas, codicem horarium, ceterasq. diuinas preces, vt ego ipſe vidi Illyrica conſcriptas lingua ab omnibus Dalmatis intellecta: ſedisq. Apoſtolicæ auctoritate (quam a Paulo II. habuerunt) publice illis vbique vtuntur: eas autem a ſancto Hieronymo accepiſſe illius Regionis incolæ perſuaſiſſimi ita ſunt, vt captis potius armis omnes diſperire malint, quàm eas relinquere. Qua ex re colligi poteſt, Illyricam linguam, ſeu Dalmatam, quæ tunc late patebat, atque Iſtriam etiam, ſi non omnem, maiori tamen ex parte occupabat, a ſancto Hieronymo etſi non terra, lingua tamen Illyrico, ſicut vulgata omnium ſtat ſententia, excultam ſaltem, in melioremq. formam redegiſſe, ſiue in ſcribendo fuiſſe innouatam: huiuſce enim linguæ Stridonem Dalmatiæ finitimam expertem fuiſſe, vero ſimile haudquaquam videtur eſſe.

*Hieron. in proœm. li. 3. in Hier. to. 4. Et in 6. & 7. Zachar. to. 5. Marian. Vict. ĩ Indice ĩ Hieron.*

Vtcumque autem ſit quod a nobis hucuſque dictum eſt, hoc vnum pro certo affirmare poſſum, Hieronymum multis in locis homines linguæ ſuæ Latinos vocare, vt Marianus Victorius Reatinus, olim Epiſcopus Amerinus interpretatur, dum idem Hieronymus Hebræorum, Græcorumq. eruditionem in ſcripturarum ſanctarum explanatione hominibus linguæ ſuæ ſe tradere ſcribit, commentarios ſuper Prophetas omnibus notiſſimos eo nomine intelligens, vt idem Victorius affirmat: niſi Hieronymum Illyrica lingua Scripturam ſacram ijs populis coram explanaſſe dicamus, vel Scripturam ſacram in Illyricam linguam tranſtuliſſe, vt nonnullis placet. Sed vt res ſeſe habeat, hanc linguam a Hieronymo in vſum ſaltem reuocatam, in melioremq. cultum fuiſſe reſti-





tutam, & ab Illyrico Polyphemi (vt Appianus ſcribit) ſiue, vt alij volunt, Cadmi filio, vel Cadmonis, vt ait Suidas, inuentam olim fuiſſe opinandum eſt, cum ab eo ipſo Illyrio Regio illa Europæ, & Adriatico mari incumbens Appiano, Euſtathio, & Suida teſtibus, Illyris, ſiue Illyrium ſolet nuncupari: quam hodie Italice Sclauoniam vocant. Alphabetum autem a ſancto Hieronymo inuentum, vel ſaltem inſtauratū, quamuis ab omnibus alijs linguis, quod ad figuras pertinet, valde diſſimile ſit, habet tamen eaſdem litterarum pronunciationes ac poteſtates, quibus lingua Seruiana, ſicut infra patebit, vti ſolet. Hæc tamen lingua a Dalmatis nec adhibetur, nec intelligitur: illa vero quæ Buchuizza, ideſt litteraria dicitur, Dalmatia, atque Iſtria, Stiria, et Carinthia, necnon Gentes aliæ his finitimæ vtuntur: Croaticaq. appellatur a Croatia, inter Dalmatiam & Iſtriam ſita.

Hæc de Illyricis litteris, ſiue Hieronymi, vt aiunt, lingua. Quid autem per Leonem ad eius pedes iacentem ſignificetur, declaratum eſt, cum de Bibliotheca Cæſarienſi locuti ſumus. *Pag. 51.* Cur vero idem ſanctus pileo rubro pingi ſoleat, ſilentio haudquaquam prætereundum videtur. Quamuis enim Galero rubro vſque ad Innocentij IIII. tempus Cardinales vſi non fuerint (eum namque ab eodem Pontifice in Concilio primo Lugdunenſi acceperunt, vt ſuo loco fuſius dicemus) is tamen rubeo colore pingi ſolet, vt Hieronymum Cardinalitia dignitate decoratum fuiſſe, indicetur.

*Pileus rubeus in Cõcil. Ludg. 1. datus.*

Cardinalatus enim nomen ac dignitas ſiue officium non ſolum Gregorij magni tempeſtate in vſu fuerunt, vt in eius Epiſtolis videre eſt, verum etiam Damaſi Papæ temporibus, Volaterrano teſte, qui ait: Inuenio in antiquis Tabulis apud Eccleſiam Aretinam Donationis cuiuſdam Zenobij Senatoris Romani eidem Eccleſiæ vſque a tempore Damaſi Pontificis factæ, vbi eſt huiuſmodi ſubſcriptio:

*Epiſt. Gregor. lib. 1. epiſt. 79. & 81. lib. 2. ep. 25. Et can. 7. q. 1. Paſtoralis.*

*Volaterr. lib. 22. Anthropologiæ.*

Ego Io. S. R. E. Diaconus Cardinalis ex parte Damaſi Pont. laudo, & confirmo.

Itaque non video, ait Volaterranus, cur ſanctus Hieronymus Damaſo charus non fuerit S.R.E. presbyter Cardinalis. Hæc Volaterranus. Quamuis enim ſub Benedicto octauo, ſub Innocentio quarto, & ſub Paulo ſecundo Cardinalitia

inſignia fuerint amplificata, ceteriſq. temporibus dignitatem ipſam auctam conſtet, non tamen Cardinalatus nomen antea non fuiſſe cenſendum eſt: aliud namque eſt inſignia recentiora eſſe amplificata: aliud vero Cardinalium nomen veteribus fuiſſe incognitum.

*Ex Biblioth. Damaſo, & Platina.*

Nec tamen ſilentio prætereundum eſt, Cardinales in primitiua Eccleſia Presbyteros fuiſſe nuncupatos, quibus Euariſtus Pontifex primus omniũ Titulos diuiſit, quos Marcellus nõ multo poſt limitauit pro Gentibus ad Chriſti fidẽ venientibus, atque infantibus baptizandis, mortuiſq. ſepeliẽdis: nam ducẽtos & triginta ſex Sacerdotes Cardinales Romæ quãdoque fuiſſe multi Scriptores prodũt. Primitus autem Presbyteri, quandoque vero in quacumque Eccleſia principales Sacerdotes, ſeu Epiſcopi cardinales dicti ſunt, vt ex Gregorio Magno videre eſt. Quod autẽ principio prorſus oneri fuit, ſummo tandem, nec immerito quidem, & oneri & honori eſſe cœpit, quãdo ſcilicet in adminiſtranda Rep. Chriſtiana Pontifici ſemper prẹſto adeſſe cœperunt, ita vero vt inter contentiones Imperatorum ac populi Romani de Pontifice creãdo non ſemel ſubortas, auctoritatẽ & prærogatiuam ſummi Pontificis eligẽdi ſibi iure cõpararint. In primitiua igitur Eccleſia Cardinales nomine presbyterorum nuncupabantur, vt etiam ex eiuſdem Hieronymi, qui ad hanc vſque diem Presbyter vocitatur, verbis colligi poteſt. Hieronymus enim in explicatione libri Iſaiæ hunc in modum ait: Senatus quoque conſulta dicuntur, & principes quondã Romani Conſules appellati ſunt, vel a conſulendo ciuibus, vel ab agendo cuncta cõſilio. Et nos, inquit, habemus in Eccleſia Senatum noſtrum, cœtum presbyterorum. Hæc Hieronymus, qui per Senatum presbyterorum, Collegium Cardinalium, teſte Archidiacono, inſinuauit, ac ſeipſum tamquam Senatorum, ſiue Cardinalium collegam ſuboſcure nominauit. Idem viſus eſt innuere cum ad Ageruchiam ſcripſit dicens, ſe in chartis Eccleſiaſticis Damaſum Papam iuuaſſe, ſynodiciſq. conſultationibus Orientis, & Occidentis reſpondiſſe. Si enim Hieronymus a ſecretis Damaſi Papæ ſolum fuiſſet, non ſe iuuaſſe eum, ſed ei ſe inſeruiſſe in chartis ſcribendis dixiſſet: nec ſynodicis conſultationibus ſe reſpondiſſe addidiſſet, ſed mitius loquens, reſponſa

*Guido Arch. Frãciſcus Zabarella Cardi. & alij. Greg. li. 1. Epiſto. 79. & 81. Et li. 3. ep. 25. Et Can. 7. q. 1. Paſtoralis.*

*S. Hiero. in cap. 3. Iſa. ſub init. tom. 4.*

*Hier. epiſt. 11. cir. medi. to. 1.*



ſponſa tranſmiſiſſe ſcribendo dixiſſet: reſpondere enim auctoritatem quandam ad ſecretarium non pertinentem præſefert.

Extat ad hoc idem probandum ſatis euidens coniectura, quæ colligi poteſt ex verbis eiuſdem Hieronymi dicentis ſe omnium pene ſententia ſummo Sacerdotio dignum fuiſſe iudicatum. Quibus ex verbis coniectare licet, tam clerũ, quàm plebem Romanam propenſiſſimam in Hieronymum fuiſſe, ita vero, vt mortuo Damaſo, Hieronymũ ſubrogaſſent. Hinc Hieronymum presbyterum, ideſt Cardinalẽ fuiſſe cenſendum eſt, cum ſummos Pontifices, Marcellum ſcilicet, Melchiadẽ, Silueſtrum ex Presbyteris Cardinalibus, Marcum, Iulium, Liberium, & Damaſum, eiusq. ſucceſſores, vel ex Presbyteris, vel ex Diaconibus Cardinalibus in ſummum Pontificatum fuiſſe aſſumptos conſtet. De Hieronymi Cardinalitio, Cyrillus Hieroſolymitanus Epiſcopus mentionem facit ad Auguſtinum ſcribens. Idem Euſebius Cremonenſis ſancti Hieronymi diſcipulus ad Theodonium ſcribens Romanum. Idem ſanctus Petronius Epiſcopus Bononienſis in tractatu Apophtegmatum ſelectorum ſanctorum Patrum ſcribit. Idem S. Auguſtinus in ſermone ad fratres in Eremo. Quamuis autẽ ſermones omnes ad fratres in Eremo Auguſtini eſſe non iudicentur, vt fuſiſſime quidem a nobis demonſtratum eſt in noſtra Bibliotheca, ſiue in Indice Theologico, & ſcripturali, huiuſmodi tamen ſermo non niſi magnam auctoritatem habere poteſt, cum ex vetuſtiſſimis manuſcriptis exemplaribus patet ſancti Auguſtini operibus ij omnes interſerantur, tantiq. Doctoris, ac doctrina, & pietate digni ſint iudicati.

*Hiero. epi. 99. ad Aſellã to. 2.*

*Anno Domini 400.*

*Anno Domini 440.*

*Aug. ſerm. 25. to. 10.*

Vt autem huius generis quæſtionem concludam, aliam ad noſtram opinionem comprobandam in medium afferam coniecturam, quæ ex eiuſdem Auguſtini ſententia colligitur. Auguſtinus enim ad Hieronymum ſcribens Petrum vere erraſſe, & a Paulo iure reprehenſum hunc in modum ait: Quamquam ſecundum honorum vocabula, quæ iam Eccleſiæ vſus obtinuit, Epiſcopatus Presbyterio maior ſit: tamen in multis rebus Auguſtinus Hieronymo minor eſt, licet etiã a minore quolibet non ſit refugienda, vel dedignanda correctio. Vbi gloſsa, Hieronymum fuiſse Cardinalem, verbis illis affirmat: cui conſentit Cardinalis de Turre Cremata idem caput

*Aug. epiſt. 19. to. 2.*

*Decr. p. 2. cauſa 2. q. 7. cap. 34. Turr. Cremat. lib. 7. Summ. Eccle. ca. 83.*

caput exponens hoc modo: Quamquã Epiſcopatus ſit preſbyterio maior ſcilicet ordine, Auguſtinus tamen Hieronymo minor eſt, adminiſtratione ſcilicet, ac dignitate: quoniã Hieronymus Presbyter Cardinalis fuit, & omnis Presbyter Cardinalis maior eſt quolibet Epiſcopo nõ Cardinali, vt quidam dicunt, & refert Hugo in Gloſsa. Hæc Ioannes de Turre Cremata Epiſcopus Cardinalis: in cuius doctrinæ confirmationem dicam ego quod de Auguſtini verbis ſentio.

Auguſtinus enim, ni fallor, vt in ea ad Hieronymũ epiſtola Petrũ iure a Paulo fuiſse reprehẽſum oſtendat, comparatione inter ſe & Hieronymum vti videtur, quaſi dicere voluiſset: Sicut Auguſtinus eſt Hieronymo maior, & minor, ita Petrus eſt Paulo maior, & minor, & æqualis, vt placet Auguſtino Triũpho dicenti: Paulus fuit minor Petro poteſtate prælationis, quia ſolus Petrus fuit Cephas, ideſt caput totius Eccleſiæ. Maior autem prerogatiua electionis, quia electus fuit a Chriſto poſt Reſurrectionem, & glorificationem. Vnde in Bulla Papæ Paulus ponitur a dextris, Petrus vero a ſiniſtris. Aequalis fuit officio prædicationis, & fidei defenſionis, quia creditum eſt ei Euangelium præputij, Petro vero Euangeliũ Circumciſionis, ſicut ipſe teſtatur ad Galatas ſcribens. Vnde in tali caſu iuſte poterat Petrum reprehẽdere, ſicut æqualem ſibi, vel minorem. Hæc Triumphus. Hac igitur comparatione dicendum eſt, Auguſtinum maiorem Hieronymo fuiſse, ratione ſcilicet ordinis Epiſcopalis, Hieronymum vero maiorem Auguſtino ratione adminiſtrationis, & aſſiſtẽtiæ, cum Cardinales Papæ aſſiſtant, ſicut Apoſtoli Chriſto. Si autem Hieronymus Cardinalis non fuiſset, non video, quo modo Hieronymus Auguſtino maior eſse potuerit, niſi id ad ſenectam præſertim ætatem vel ad alia, quæ Cardinalitia dignitate maiora eſse non poſsunt, referatur, vel ad vitæ ſanctitatem, quæ hominem maiorem facit quàm nomen Epiſcopi: illudq. humilitatis cauſſa a ſancto Auguſtino dictũ fuiſſe fatendũ eſt. Adde etiã quòd ſancti Auguſtini tẽpore Epiſcopatus Cardinalitia dignitate maior omnino fuit, vt Onuphrius Panuinius teſtatur: Cardinalis enim Presbyter, vt Onuphrius docet, medius erat locus inter Epiſcopum & ceteros Presbyteros non Cardinales.* Sed ſub Alexãdro III. ſub quo Romana Ec-

*Queſti. 7. ar. 2. de poteſt. Eccle. ad 1. arg. Idem fere ait S. Bon. in Pſ. 67. poſt medi. tom. 1.*

*Gal. 2.*

*Onuphrius Panuin. de Epiſc. Tit. & Diaconijs Card.*

**Anno Domi. 176.*



na Eccleſia ad maximum in terris faſtigium euecta fuit, Imperatore potentiſſimo Friderico Ahenobardo, eoq. Eccleſiæ infeſtiſſimo hoſte, conculcato, victo, pacemq. ab Eccleſia petere coacto, tum primum ex Epiſcopis verſa vice Cardinales fieri cœpti. Cardinalium enim dignitas cum Eccleſiæ, & Romani Pontificis dignitate ſemper creuit. Hæc Onuphrius. Quamuis igitur Epiſcopatus Cardinalitia dignitate maior olim fuiſſet, ob id tamen dicendum non eſt, tunc temporis Cardinalatum non extitiſſe, aut Hieronymum Cardinalitia dignitate decoratum non fuiſſe: conſtat enim, vt ipſemet Hieronymus teſtatur, eum a Paulino Epiſcopo Antiocheno, Antiochenæ Eccleſiæ Presbyterum anno ſuæ ætatis trigeſimo creatum fuiſſe, vt etiam idem fere dicit Epiphanius.

*Hic Pont. Senatus Veneti opera contra vim Imp. eſt in ſede repoſitus.*

*Hier. Epiſt. 61. ad Pã. to. 2.*

*Epiph. Epiſto. 60.*

Nec deſunt interea qui ipſum Hieronymum Presbyterum deinde Eccleſiæ Romanæ factum fuiſſe affirment, e quorum numero eſt Ado ſanctiſſimus, idemq. doctiſſimus, Treuerienſis Archiepiſcopus, qui hac de re luculentiſsimum præbet teſtimonium. Idem narrat Aloyſius Lippomanus, & alij permulti. Presbyterum autem Romanum creatum nõ niſi Cardinalem cenſendum eſſe, multi, & eruditi quidem viri affirmant, dicentes, non eo Hieronymum Presbyterum Eccleſiæ Romanæ cenſeri, quòd iuxta eius ritũ Presbyter fuerit creatus, cum propter hanc rationem omnes Presbyteri nuncupationem huiuſmodi accepturi eſsent: nec etiam quòd Romæ ordinatus, cum fieri nequeat, vt vnus & idẽ Romæ & Antiochiæ Presbyter iure ordinetur. Sed ideo Eccleſiæ Romanæ Presbyter creatus nuncupatur, ideſt nouo titulo inſignitus, ita vero, vt Presbyter primarius diceretur. Primarij autem Presbyteri, non niſi Cardinales intelligi debent, vt ex Decreto colligitur, vbi Clerici S.R.E. in ſingularis potentiæ, & præexcellentiæ culmine conſtituti inſtar ampliſſimi Senatus Romani a Conſtantino reuerendiſſimi appellantur. Id quod adſimile eſt eiuſdem Hieronymi ſentẽtiæ dicentis: Eccleſia habet Senatum, cœtum Presbyterorum, ſine quorum conſilio, nihil monachis agere licet: Senatum quoque Romani habẽt, cuius conſilio cuncta agebant, & nos habemus Senatum noſtrum cœtum presbyterorum. Quem plane Presbyterorum cœtum, ac Senatum Archidiaconus, vt diximus, pro Cardinalium

*Ado de vitis ſanctorum.*

*Anno ſalutis 500. tẽpore Greg. VII.*

*Aloyſ. to. 4.*

*Diſtin. 96. cap. Conſtantinus.*

*S. Hieron. in caput. 3 Iſa. ſub init. tom. 4.*

nalium Collegio exponit. Quare Sanctum Hieronymũ Cardinalem fuiſſe, ob idq. pileo rubro depingi ſolere concludẽdum eſt, etiamſi ad eam vſque diẽ Cardinales huiuſmodi galero atque purpura donati non fuiſſent. Qui multa ad hanc rem pertinentia videre cupit ad Fratris Alphonſi Ciacon Hiſpani viri quidem eruditiſſimi Tractatum confugiat, vbi plurima teſtimonia, & rationes non paucas de eiuſdem Sancti Cardinalitio recenſet. Hæc de ſancti Hieronymi Cardinalitia dignitate, atque Alphabeto, quod ipſe inuenit, vt ad Cyrillum Seruianæ linguæ Auctorem accedamus.

# DE SANCTO CYRILLO

## ALIARVM ILLYRICARVM LITTERARVM INVENTORE.

QVARTA eiuſdem paraſtaticæ Columnæ facies, Cyrillum Epiſcopum habitu Epiſcopali indutũ, Illyricarumq. litterarum cultorem præcipuum, ſiue Inuentorem repræſentat. Hic primus a Sede Apoſtolica impetrauit, vt in Dalmatia illius Prouinciæ idiomate diuinum officium recitare liceret. Sunt tamen qui a Methodio id impetratum dicant. Vterque autem Euangeliũ Dalmatis prædicauit. Cyrillus item Clementis Papæ corpus Romã aſportandum curauit: hinc ad eius pedes anchora iacere cernitur, vt huiuſmodi tranſlatio maritimo itinere facta innuatur. Alphabetum autem Seruianum ſupra eius caput conſpicitur, infra vero hæc legitur Inſcriptio:

*S. Cyrillus aliarum Illyricarum litterarum Auctor.*

ALPHA-



### ALPHABETVM SERVIANVM tribus & quadraginta litteris conſtans.

| Figuræ litterarum | Nomina litterarum | | Pronunciatio, vel poteſtas. |
|---|---|---|---|
| А а | Азъ | Aſ | a |
| Б б | Букн | Buki | b |
| В В в | Вѣде | Viede | v conſonans |
| Г г | Глаголе | Glagoglie | gh |
| Д д | Добро | Dobro | d |
| Є є | Єсть | Ieſt | e ie |
| Ж ж | Живѣте | Xiviete | gg |
| Ѕ ѕ | Ѕѣло | Selo | z |
| З з | Земле | Semglie | ſ |
| І і | Іже | Ixe | i vocalis |
| Н н | Н | I | i conſonans |
| К к | Како | Kako | k q |
| Л л | Люде | Liude | l |
| М м | Мнслѧте | Mislete | m |
| Н н | Нашн | Naſci | n |
| О о | Он | On | o |
| П п | Покон | Pokoi | p |
| Р р | Ѧрцн | 'rzi | r |
| С с с | Слово | Slovo | s |
| Т т | Тврздє | Tvrde | t |
| Оу ȣ ȣ | Оукъ | Vk | v vocalis |
| Ф ф | Ферьта | Ferta | f |
| Ѳ | Ѳнта | Thita | th |
| Х х | Херь | Her | hh |
| Ъ | Єрь | Ier | e ie |
| Ы | Єры | Ieri | i |
| Ѿ | Ѿть | Ot | od ot |

| | | | |
|---|---|---|---|
| ѿ | ѡдь | Od | od |
| ꙍ ѡ ω | ѡ҃ | O | o vocalis |
| Ц ц | Цн | Zi | zz |
| Ч ч | Черькь | Cierv | cc ci |
| Ш ш | Шѧн | Sciai | sc |
| Щ щ | Щан | Sctai | ſct |
| ѣ | ѣть | Iat | ia |
| ѩ | ѧѩ | Ea | æ |
| ѧ | ѧ | E | e angusta |
| ꙗ | ꙗко | Iako | ia |
| ѥ | ѥ | Ie | ie |
| ю | ю | Iu | iu |
| ѱ | Псн | Pſi | ps |
| ѯ | ксн | Kſi | ks |
| ѵ | ѵ | Giu | giu |
| ѫ | ѫа | Cchia | cch |

SANCTVS Cyrillus, quẽ Seruiani Alphabeti Inuentorem fuiſſe docet Inſcriptio, Illyricus ſiue Sclauorum fuit Epiſcopus, & S. Clementis, qui tertius poſt B. Petrum Apoſtolum Pontificatum tenuit, corpus Romam deferendũ, & in Baſilica eiuſdem Clementis nomine inſignita recondendum curauit; vt anchora etiã illa fortaſſe innuit: Clemens enim, alligata ad eius collum anchora, in mare præcipitatus martyrio fuit decoratus. Eadem in Eccleſia ſancti Clementis Cyrillus & Methodius Sclauorum Epiſcopi miraculis clari ſepulti ſunt: quorum ſacras reliquias ſub altari in eiuſdẽ Eccleſiæ ſacello peruetuſto repertas fuiſſe conſtat: nunc vero Sixtus V. Pont. Maximus eiuſdem ſancti Cyrilli corpus in Eccleſiam ſancti Hieronymi Illyricorũ ab eodem Pontifice conſtructam transferendum mandauit.

Alphabetum hoc loco conſcriptum, vt ad rem noſtram reuertamur, non eſt illud, quod in Bibliotheca extat Vaticana, ſed eo copioſius. Hoc autem nominibus item, ac pronunciationibus, quæ in omnibus Alphabetis inibi ſcriptis deſiderantur, Seruianumq. non Illyricum nuncupatum, hic ob oculos ponendum cenſui, cum hæ litteræ Seruianæ non Illyricæ dicantur, nec ab Illyricis, ſeu Dalmatis dignoſci queãt, niſi laborioſe perdiſcantur, ſicut in qualibet Natione exterarum linguarum characteres percipi ſolent. Hæ litteræ inſtar Hebraicarum litterarum myſterijs plenæ a Seruia, & Bulgaria, Vallachia, Moldauia Daciæ partibus, necnon a Boſina, Ruſſia, & Moſcouia, atque ab alijs Gentibus ad Orientalem plagam pertinentibus adhibentur, maioriq. ex parte a Græco fonte deſumptæ ſunt, Græcosq. accentus recipiunt, characteribus maiuſculis, qui eos non admittunt, exceptis more Græcorum. Huius generis lingua, quæ omnium linguarum cenſetur ditiſſima, & non niſi regulis permultis ad vnguem acquiri poteſt, Chiurilizza, hoc eſt, Cyrilliana à Cyrillo inuentore, quem Chiuril appellant, nuncupatur. Boſina vero inter ceteras Gentes Seruianam linguam adhibentes, puriori, & elegantiori loquendi forma vti ſolet, ad quam elegantiam & loquẽdi venuſtatem Seruia non parum accedit, ſicut a Marino Temperizza Epidaurio è Societate Ieſu hanc linguã optime callente accepi. Huius generis eſt Epitaphium illud, quod in templo ſanctæ Mariæ de Ara cæli lapide inciſum extat ad pauimentum Altaris maioris in monimentum Katarinæ Boſnenſis Reginæ, quæ inibi humata iacet. Epitaphium vero in hunc legitur verborum formam:

КАТАРИНИ КРАЛИЦИ БОСАНЗСКОИ
СТИПАНА, ХЕРЦЕГА СВЕТОГА
САВЕ, СПОРОДА ЕЛИНЕ И КѸЋЕ
ЦАРА СТИПАНА РОЕИИ ТОМАША
КРАЛА БОСАНСКѠГА ЖЕНИ
КОІ. ЖИВИ ГОДИНИ. Н. Н. Д.
И ПРИМИНѸ Ѹ РИМИ НАЛИТА ГНА
Ч. Ѹ. О. Н. ЛИТО НА. К. НЕ.
ДНИ ОКТОБРА, СПОМИНАКЗ
НЕ ПИБСМОМЗ ПОСТАВЛЕНЗ

 Itali-

Italicis conſcriptum litteris legitur hunc in modum:

*Katarini Kraglizi Boſanskoi,*
*Stipana Kerzega Suetoga*
*Saue, ſporoda ieline i kucchie*
*Zara Stipana roieni. Thomaſcia*
*Kraglia Boſanskoga xeni.*
*Koliko xiui godini. LIIII.*
*I, priminu, u Rimi nalita Goſpodina*
*M.CCCCLXXVIII. Na XXV.*
*Dni Octobra, Spominak*
*Gne, piſmom poſtauglien.*

Idem vero Latine redditur hiſce verbis:

Katarinæ Reginæ Boſnenſi,
Stephani Ducis Sanctæ
Sabæ, ex genere Helenæ, & domo
Principis Stephani natæ, Thomę
Regis Boſnæ Vxori.
Quantum vixerit annorum LIIII.
Et obijt Romę, Anno Domini
M.cccc.Lxxviii. xxv.
Die Octobris. Monumentum
ipſius ſcriptis poſitum.

Hæc de variarum litterarum inuentoribus: nunc vero reliquum eſt, vt ad ea, quæ e regione huius poſtremæ columnæ paraſtaticæ ad parietem depicta cernuntur, tranſeamus.

DE



# DE SEMICOLVMNA LATERITIA

## E REGIONE POSTREMÆ COLVMNÆ PARASTATICAE

Parieti annexa, in qua Chriſtus Saluator noſter, & Silueſter Papa, Conſtantinusq. Magnus Imperator depicti conſpiciuntur.

SALVATOR noſter, Chriſtus Ieſus, Deus & homo, ad cuius dextram Silueſter eiuſdem Vicarius, & Petri ſucceſſor, ad læuam vero Conſtantinus Imperator depicti cernuntur, e regione poſtremæ Columnæ paraſtaticæ repræſentatur diuinam quandam præſeferens Maieſtatem, vt per pictoriam artem effingi potuit, dextra manu Mundum, læua autem Librum, in quo duarum litterarum A ſcilicet, & Ω Hieroglyphicum ſcriptum conſpicitur. Sed ſupra eius caput hæc legitur Inſcriptio:

*Ieſus Chriſtus, ſummus Magiſter, cæleſtis doctrinæ Auctor.*

Hoc loco non immerito SALVATOR noſter duabus quidem rationibus depictus cernitur, ſicut enim litterarum inuentarum ordo in primo Adam diuinitus edocto incœpit, ita & in ſecundo Adam, Chriſto, ſummo ſane Magiſtro, cæleſtisq. doctrinæ Auctore, eundem variarum linguarum, per quas omnium ſcientiarum genera explicata ſunt, ordinem ac periodum, ſiue ambitum concludi neceſſe erat. Sicut etiam primus Adam de terra terrenus, qui peccato inobediētiæ Mūdum corrupit, atque damnauit, mortemq. vniuerſo generi humano comparauit, in huiuſmodi variarum litterarum inuentione primum ſibi locum ſortitus eſt, ita iure quidem factum eſt, vt ſecundus Adam de cælo cæleſtis, qui ad mortem

vſque

*Philip. 2.*

vſque factus obediens ſuo pretioſo ſanguine Mundum ipſum inſtaurauit, ac redemit, dum mortem noſtram moriendo deſtruxit, & vitam reſurgendo reparauit; eidem primo Adamo ærumnis ac laboribus pleno gratiarū ſummiq. boni theſaurus ex aduerſo reſponderet. Quoniam vero litterarum figuræ pro quibuſdam Hieroglyphicis deſignādis vſurpatæ ſunt,

*Pagin. 83. 48. & 114. & 129.*

vt ſcilicet per litteram Y, humana vita, per Θ, mors, per T, Crux Dominica repræſentaretur, ſicut de his atque alijs litteris ſatis diffuſe ſuis locis demonſtratum eſt; hinc eo in Codice, quem Chriſtus geſtare cernitur, harum litterarū A & Ω, Alpha videlicet, & Omega, quarum vna eſt Alphabeti Græci prima, altera vero poſtrema, Hieroglyphicum ſcriptum fuit: propterea quòd duas haſce litteras Redemptor noſter

*Apo. 1. 21. & 22. Ex Iſidoro lib. 1. Etymol. cap. 4. Et Pier. li. 47. circa finem. Ex Tertull. lib. de Mon.*

ſibi vendicauit dicēs: Ego ſum Alpha, & Omega, principium & finis: concurrentibus enim litteris in ſe inuicē A ad Ω vſque deuoluitur: & rurſus Ω ad A replicatur: vt oſtenderet in ſe eſſe & initij decurſum finem, & finis recurſum ad initium, vtq. omnis diſpoſitio in Ω deſinens, per quem cœpta ſunt, per Verbum ſcilicet Dei, quia caro factum eſt, proinde deſinat quemadmodum & cœpit, & a Deo in Chriſto omnia ad initium reuocarentur. Ideo inquit: Ego ſum A & Ω, principiū & finis: qui eſt, & qui erat, & qui venturus eſt. Dicitur enim Deus, primum vniuerſarum rerum principium, & finis, ad quem cuncta ordine ſuo diriguntur: Omnia enim propter ſe-

*Prou. 16.*

metipſum operatus eſt Dominus, vt ait ſapiens. Dicitur itē Deus qui eſt, & qui erat, & qui venturus eſt, ad eiuſdem æter-

*Boet. li. 5. Proſa 6. de conſ. phil.*

nitatem indicandam. Aeternitas enim, teſte Boetio, eſt interminabilis vitæ tota ſimul & perfecta poſſeſſio. Sed quia id a nobis intelligi non ſatis poteſt, hinc per temporis differentias præſentis ſcilicet, præteriti, ac futuri nobis exprimitur. Ad

*Iſa. 44.*

hoc idem indicādum dictum eſt per Iſaiam prophetam: Ego primus, & nouiſſimus. Item Beatus Ioannes in ſua Apoca-

*Apoc. vlt.*

lypſi. Ego ſum A & Ω, primus & nouiſſimus, principium & finis: quamuis enim in illa ſacratiſſima Trinitate nihil maius aut minus, nihil prius aut poſterius, niſi prioritas originis, non autem temporis, aut dignitatis exiſtat, hæc tamen de ea affirmātur ad triū perſonarum æternitatem declarandā. Hæc de Ieſu Chriſto SALVATORE noſtro ad parietem depicto.

Ad



Ad eiuſdem parietis dextram ſanctus Silueſter Chriſti Vicarius, & Petri ſucceſſor paſtoralibus indumentis, atque inſignibus ornatus, venerandoq. aſpectu ſenex conſpicitur: ad cuius pedes hæc legitur Inſcriptio:

*Sanctus Silueſter, Chriſti Domini Vicarius.*

Ad læuam Conſtantinus Magnus habitu imperatorio, ſiue paludamento indutus, ſatisq. belle effigiatus cernitur: ad cuius pedes Inſcriptio in hanc verborum legitur formam.

*Conſtantinus Imperator, Eccleſiæ Defenſor.*

Duo hic inſignes Viri, Silueſter ſcilicet, Chriſti Vicarius, & Conſtantinus Imperator, Eccleſiæ defenſor repræſentantur, vt Latinæ docent inſcriptiones. Id autem non abſque conſilio factum eſſe credendum eſt (alios enim Chriſti Vicarios, & Eccleſiæ defenſores fuiſſe conſtat) ſi de Silueſtro Papa, & Conſtantino Imperatore hiſtoria perpēdatur, atque Eccleſiæ Catholicæ Romanæ amplificationis initium in memoriā reuocetur. Conſtantinus nāque Imperator cum lepræ curan- *Hiſt. ex Bre. Rom. Nicephor. li. 7. de Hiſtor. Eccle. cap. 33. S. Anton. p. 2. Tit. 9. cap. 1. §. 2. S. Vincen. ſpec. hiſt. lib. 13. ca. 47. Et Hugo Floria. & Metaphr. et alij permulti.* dæ cauſa medicorum conſilio balneum ſibi ex infantium ſanguine parandum mandaſſet, ſancti Apoſtoli, Petrus, & Paulus noctu ei vigilanti apparuerunt præcipientes, vt ſi ex lepra liberari vellet, omiſſa impij balnei immanitate, Silueſtrum in Soracte monte latitantem accerſeret: a quo ſalutari lauacro recreatus, in omni ditione Romani Imperij Templa Chriſtiano more ædificanda imperaret: ſublatisq. inanium Deorum ſimulachris, vero Deo cultum adhiberet. Quare Conſtantinus cæleſtibus monitis obtemperans Silueſtrum diligentiſſime conquiſitum accerſit: à quo Apoſtolorum imagines recognoſcens, baptiſmo ſanatur, & ad tuendam, propagandamq. Chriſti Eccleſiam inflammatur: Silueſtroq. auctore multas Baſilicas ædificandas curauit, easq. magnificentiſſimis donis exornauit, arasq. publice, & vbique conſtruendas conceſſit: id quod ad eam vſque diem fieri non licuit: Pontificibus enim tunc temporis locus certus ac definitus non erat, ſed in cryptis, ſiue in cœmeterijs, aut in ædibus

piorum

piorum conſecrare ſolebant ſuper ligneo Altari, quod in Lateranenſi Baſilica a Conſtantino Magno prima publice conſtructa conſeruatur, & non niſi a ſummo Pontifice, & a Cardinalibus per pontificiam diſpenſationem adhibetur, vt fuſius in Emblemate II. dictum eſt.

> *Pag. 6.*

Silueſtri igitur tempore, Conſtantino Imperatore per lauacrum baptiſmi a lepra mundato eiuſdem Silueſtri manu, donationeq. Eccleſiæ Catholicæ Romanæ ab eodem Imperatore facta, ſuas Eccleſia recepit vires, amplificariq. tunc primũ cœpit. Conuerſio autem Conſtantini ab illa igneæ Crucis viſione ſumpſit exordiũ: hinc eo in loco, qui nunc vulgo dicitur Pons mollis, olim Miluius vocitatus, non procul ab Vrbe Roma, & a Porta Flaminia, quæ præſens in tẽpus Sanctæ Mariæ de Populo nuncupatur, Conſtantinus contra Maxentium certans ex eo victoriam reportauit, ſanctiſſimo Crucis ſigno ſibi iam oſtenſo Græcis hiſce litteris: EN TOTTΩI NIKA, ideſt, IN HOC VINCE. quod profecto ſignum primus ipſe in vexillum transformauit, & nummos eo obſignari iuſſit, quod deinceps a Chriſtianis fuit paſſim obſeruatum.

> *Euſeb. lib. 1. de vita Conſt. cap. 22. 23. 24. 25.*
> *Et Nicepho. lib. 7. cap. 29.*
> *Euſeb. vbi ſupra cap. 32.*
> *Et li. 9. de hiſt. Eccl. cap. 8. & Prudẽtius Poeta.*

Hoc item ſanctiſſimæ Crucis vexillum Conſtantinus mirifica contra Maxentium potitus victoria in Vrbe Roma, ſublimiq. loco ſtatui iuſſit. Suam enim ſtatuam ex ære fabrefactam, dextra manu ex eadem materia ſignum Crucis elaboratum tenentem, ac Romæ in loco percelebri firmis innixam fundamentis collocari præcepit hac Latina Inſcriptione inſignitam:

> *Et Nicepho. lib. 7. cap. 19. & 37.*
> *Euſeb. lib. 1. de vita Conſt. ca. 33.*
> *Et libro 9. Eccl. Hiſt. cap. 8.*
> *Niceph. li. 7. Hiſt. Eccle. cap. 8.*

HOC SALVTARI SIGNO, VERO FORTITVDINIS INDICIO, CIVITATEM NOSTRAM TYRANNIDIS IVGO LIBERAVI, ET S. P. Q. R. IN LIBERTATEM VINDICANS, PRISTINAE AMPLITVDINI ET SPLENDORI RESTITVI.

Miraculum autem illud de ſigno Crucis cum Inſcriptione Græca, necnon Conſtantini conflictatio ipſa cum Maxentio, atque Baptiſmus, in Palatio Vaticano ſummi Pontificis, Romæ in aula, quæ dicitur Conſtantini, belliſſime per pictoriam artem repræſentantur.

De



De huiuſmodi vexillo Auguſtali, quod ſanctus Ambroſius ad Theodoſium Auguſtum Imperatorem ſcribens, Labarum Chriſti ſacratum nomine ſignum appellat, Petrus Nannius ſua in hunc Ambroſij locum Notatione ſermonem habet, ſed fuſius quidem Euſebius de Conſtantini vita ait, circa horas meridiei, iam luce vergente, vidiſſe ſe ſuis oculis in ipſo cælo ſoli imminẽs Crucis trophæum, quod non niſi luce conſtabat, additumq. titulum his verbis: HOC VINCE. Deinde cum hoc ipſum in ſomnis apparuiſſet, tali ſpecie effigurari mandauit. Erat autem huiuſmodi ſpecie configuratum: Haſtile in ſublime erectum, auroq. veſtitum, antennam ſiue ceruchos habebat trãſuerſos inſtar Crucis. In ſummo faſtigio corona ex lapidibus pretioſis & auro conſerta collocabatur, in qua erat ſalutaris vocabuli inſigne, ita vt littera P decuſſatim in medio poneretur his litteris:

> *Sozom. lib. 1. capit. 3. Hiſt. Trip. li. 1. cap. 9. Amb. to. 5. epiſt. 17. Euſeb. li. 1 cap. 23. 24 & 25.*

| | | |
|---|---|---|
| X | I | Σ |
| | P | |
| T | O | Σ |

Decuſſare eſt aliquid ad decuſſis figuram ita redigere, vt inter ſe litteræ, Græcæ χ, aut Latinæ x, ſpeciem præbeant. Ea enim figura apud Latinos vocatur Decuſſis, quia vt nos hodie, ita veteres hac figura numerum denarium ſignificabãt. Quòd ſi litteram x per medium ſeces, relinquetur v, quæ figura denarij dimidium, hoc eſt, quinarium numerum commonſtrat. Vnde eam Latini quicuncem vocauerunt. Hoc igitur modo hæ litteræ decuſſatim ſumuntur, quibus CHRISTOS reſultat, quia decuſſatim, aut tranſuerſa legũtur. Græcas autem litteras decuſſatim poſitas in cono galeæ ſequentibus deinde temporibus geſtare ſolebat Imperator. Ab antẽna autem illa, ſiue ceruchis haſtili in tranſuerſum inſertis, velum pendebat, opus regium, varietate gemmarum multa luce fulgurantium obtectum, auroq. intertexto, ineffabilem magnificentiam, pulchritudinemq. ſpectantibus de ſe præbens. Ceterum hoc velum ita ceruchis dependulum, iuxta latitudinis, & longitudinis modum bona, & cõgrua proportione ſibi ipſi reſpondebat. Hæc ex Petro Nannio, & Euſebio

Z

*Euſeb.li.1. de vit.Cõſtanti.cap. 34.* bio locis ſupra citatis. Euſebius autem eam Crucis imaginē in cælo viſæ, & lapidibus pretioſis fabricatam a Conſtantino ſibi oſtenſam fuiſſe aperte fatetur.

De huiuſmodi etiam vexillo Auguſtali Pierius Valerianus hoc idem alijs tamen verbis, hunc in modum ait: Cõtus erat *Pier.Valeria.lib.50. Hierogl.* prælongus, cuius apex in ρ Grçcæ litteræ ſimilitudinem incuruabatur: inde paulo infra X Græca identidem littera ſua inſignis decuſſatione addita erat, id Chriſti nomen oſtentat. Inde Crucis ſignum faciebat bacillus tranſuerſus, cui velum aut mappula ſolebat appendi vexilli loco. Hæc duo ſignificabant apud Græcos, quorũ characteribus ſignata erãt, CHRISTVS PASSVS, aut CRVCIFIXVS. Hæc Pierius.

De huius vero generis ſigno, quod Conſtantino apparuit, variæ fuerunt opiniones aut ſententię, ex nummis hoc tamen ſigno Crucis varie obſignatis, & excuſis exortæ: ſed omnes vnum, eundemq. ſenſum reddunt. Sunt enim qui ex nummo aureo Valentis Imperatoris illud ſignum Conſtantino apparuiſſe velint eo modo, quem ex prima figura infra videre eſt, vbi littera X, quæ eſt Ch, apud Græcos, &, P, ſuperpoſita, quæ eſt, R, apud eoſdem: quibus litteris Chriſtus ſignificatur, A & Ω, hinc inde poſitis, quas, vt diximus, idem Saluator noſter Chriſtus ſibi vindicauit. Alij vero ex nummo æreo Conſtantini Magni eo apparuiſſe modo, quem ſecunda figura demonſtrat, vbi ſignum Crucis cernitur, ad cuius dexteram X Græca, quæ eſt Ch: ad læuam vero C quæ ab antiquioribus Græcis pro S, vſurpabatur: ex quibus item notis Chriſtus ſignificari ſolebat. Hęc autem figura C, quæ Sigma Grçce dicitur, et pro S ponebatur, vt in vetuſtis codicibus, & nũmis apparet, eadem fere eſt ac C Latinorũ, niſi quòd extrema cornua habet intus magis reflexa, & magis oblonga modo hic appoſito. Chriſtus etiã per abbreuiationẽ a Græcis hoc pacto ſcribebatur XC, vel XΣ, aut XPΣ. Ex qua ſcribẽdi formula ortus eſt error quorundam Latinorũ, qui hanc vocẽ CHRISTVS hoc modo ſcribere ſolent, Xp̃s. Idem fere error cõmittitur ab ijſdem, cum ſcribitur Ieſus: Græci enim per abbreuiationem ſcribere ſolent hoc modo, IC, vel IΣ, aut IHΣ. Hinc imperiti Græcos characteres ignorantes, ſcribunt, Ieſus, cum aſpiratione hunc in modum: Iheſus, & per abbreuiationem IHS, vel Ih̃s, putantes mediam litteram, quæ eſt Ita apud Græcos, & conuertitur in E, apud Latinos, eſſe aſpirationẽ, ignoratione linguæ Græcæ decepti. Nõnulli denique ex nummo aureo Anthemij Imperatoris ijs notis, quas infra tertio loco cernere licet, apparuiſſe volunt, vbi X & P, ſigno crucis ſuperpoſito, vel X et P, Cruce ſuper figuram orbicularem mundum repræſentantem locata conſpiciuntur.



| EX NVMMO VALENTIS. | EX NVMMO CONSTANTINI. | EX NVMMO ANTHEMII. |
|---|---|---|



Alius extat æreus Conſtantini nũmus, in quo eiuſdẽ Imperatoris effigies ad viuũ expreſſa, vt infra videre eſt, reprçſentatur Græca hac Inſcriptione: AΥ.Κ.ΦΛ. ΚΩΝCΤΑΝΤΙΝΟC, hoc eſt, Imperator Cæſar Flauius Conſtantinus: prima enim huius Inſcriptionis dictio eſt ΑΥΤΟΚΡΑΤΩΡ abbreuiata, per quã vocẽ ſupremũ Imperatoris ius ſignificãtẽ Imperator exprimebatur. Αὐτοκράτωρ namque dicitur qui per ſe poteſt, nec aliũde pẽdet. Ex altera vero numiſmatis parte vel tria labara, ſeu vexilla, vel tres Cruces extant Græca item hac Inſcriptione: ΝΙΚΑΙ ΕΩΝ, ideſt, Vincit exiſtens, ſignum ſcilicet Crucis vincit vbicumque exiſtit: illud autem numiſma antiquo Romanorum more inciſum, alterum autẽ Chriſtiano more inciſum, vtrumque tamen triplicem crucem repræſentans cernitur: ſed illud ſubobſcure, hoc autem clare. Quare ex huiuſmodi numiſmate facile colligi poteſt, ſignum Crucis, quod media demonſtrat figura ſuperius poſita, tribus hiſce Crucibus ſatis adſimile, Conſtantino apparuiſſe Græca illa Inſcriptione: ΕΝ ΤΟΥΤΩΙ ΝΙΚΑ.†

† *Vel* ΝΙΚΑΙΕΩΝ, *i. Nicenſium: incidebatur enim nomẽ Populorũ, a quibus numiſmata cudebãtur.*

Nec ſilentio prætereundum eſt, ſimulacrum Conſtantini in hoc numiſma, quod infra videre eſt, inciſum imagini ipſi, per quam Conſtantinus in Vaticani Palatij aula, eiuſdem Imperatoris nomine nuncupata, repræſentatur, omnino eſſe adſimile, vt ego, ita eſſe, ijs imaginibus collatis, re ipſa comperi. Hæc autẽ numiſmata, quę hoc loco inciſa conſpiciuntur, non ſemel vidi, & contrectaui, opera tamen Annibalis Zitelli conciuis mei, viri quidem eruditi, omniũq. antiquitatum, ac veterum præſertim imaginum virorum illuſtrium apprime ſtudioſi, & S.D. N. Sixti V. cubicularij, penes quẽ aſſeruãtur.

Quamuis autem ſimplex, vel vnicum Crucis ſignum Conſtantino apparuiſſe omnes fere affirment, triplex tamen eiuſdem ſigni forma, vt in ſuperiori figura, necnon infra videre eſt, in vetuſtis nummis conſpicitur. Id quod factum eſſe reor, vel ad indicandas tres illas cruces, quas Helenam Conſtantini matrem inueniſſe conſtat: vel ad paſſionem Chriſti, qui inter duos latrones Cruci fuit affixus, vberius explicandam: ſiue vt hoc Symbolo ſanctiſſima Trinitas repræſentaretur: quæ, cum omnia eius opera ad extra, vt Theologi optime docẽt, ſint indiuiſa, humani generis ſalutem fuit operata, quamuis Filius aſſumpſerit humanitatem, per quam paſſus eſt. †

*† Triplex item Crucis ſignũ præſefert triplicem Crucis viſionem, per quam triplex victoria fuit a Conſtantino reperta. Prima Romæ contra Maxẽtium: Secunda contra Bizantium: Tertia contra Scythas. De his Niceph. lib. 8 c. 32. De prima etiam, c. 3. De ſecũda lib. 7. c. 47*

EX NVMMO ALIO CONSTANTINI ÆREO.




Hæc de Crucis ſigno, Conſtãtini Magni cõuerſionis initio, cui additũ fuit regenerationis lauacrũ, per quod a lepra tum corporali tũ etiam ſpirituali eum purgatũ fuiſſe, pro cõperto habetur. De hoc ſancto regenerationis lauacro per Silueſtrũ Papam Conſtantino ſubminiſtrato, & ſanctorũ Apoſtolorum Petri, & Pauli imaginibus, non ſolum S. Antoninus, & alij ſupra



pra citati, ſed etiam Adrianus Põtif. Max. in Concil. Gen. VII. luculẽtiſſimum præbuit teſtimonium. Quis autem tantæ erit audaciæ, qui teſtimonium ſummi, ac tam vetuſti Põtificis in Concilio generali prolatum aſpernatur, eiq. ſomnia, ac deliramenta ſui capitis opponat? De hoc item lauacro Damaſus, Nicolaus primus, & alij ſummi Pontifices teſtantur: Idem docent Cedrenus, Zonaras, ac Nicephorus Calliſtus, qui etiam mentionẽ facit de Cõſtantini baptiſterio, quod ad hanc vſque diẽ Romę in Baſilica Lateranenſi aſſeruatur. Ante hos Theophanes Graptus in ſacra Hiſtoria de hoc eodem Conſtantini lauacro ſermonẽ habet. Argumentũ denique inuictũ ad hanc rem corroborandã in mediũ afferri poteſt hunc in modũ: Fieri non potuit, vt ſancti Patres in Concilio primo Nicæno Cõſtantinũ ſedere non baptizatũ, quotidianiſq. ſacris intereſſe, a quibus non baptizati excludebãtur, paſſi fuiſſent. Quibus omnibus Conſtantinũ tũc temporis interfuiſſe, epiſtolaſq. tã pias de religione Chriſtiana conſcripſiſſe conſtat, vt Euſebius narrat, qui etiã de ſacro eius lauacro loquitur. Hoc idẽ in Bibliotheca Vaticana, & in bibliothecis Gręcis ſcriptũ reperitur. Nec huic veritati refragari debet quod ſanctus ſenſit Hieronymus dicens, Conſtantinũ iam ſenẽ ab Arianis fuiſſe baptizatũ: Hieronymus enim, vt pace tãti viri ſic dixerim, nominis vicinia, falſoq. rumore adductus, quod de Conſtãtio Conſtantini filio dicebatur, id patri attribuit: Conſtãtius enim in extrema ætate, vt ait Damaſcenus, ab Euſebio Nicomedienſi Ariano fuit rebaptizatus. Nec mirum videri debet, Hieronymum dictis de cauſis id aſſeueraſſe, cui in angulo terræ poſito, vt ipſe in libro de Viris Illuſtribus ait, multa ignota eſſe potuerunt. Hæc de baptiſmo, vt ad Conſtantini Donationẽ tranſeamus.

*De ſanctorum Apoſtolorũ ſacris imagĩnibus. Nic. 2. circa an. Domini 581. Cedr. init. 3. Tomi. Niceph. li. 7. cap. 35.*

*Pag. 58. et 60.*

*Euſeb. lib. 4. de vita Conſtant. cap. 29. & ſeq.*

*De baptiſmo c. 62.*

*Hieron. de vir. ill. to. 1.*

Donationem Eccleſiæ Catholicæ Romanæ a Conſtantino Imperatore vere factam fuiſſe permulti Scriptores, & inſignes quidem prodiderunt, quorum tantum nomina poſtremo loco recenſebimus. Si enim omnia, quæ pro hac re comprobanda, ſiue corroboranda ſeſe offerunt, in medium afferrem, ingens plane volumen conficeretur. Nunc vero pene obiter, & currente quaſi calamo, perpauca quędam, quæ hac de re dubitantibus ſuaſionem præſtare poſſunt, hic breuiter conſcribenda cenſui. Vt autem ex palea, ſiue ex zizania

zizania triticum, & ex terra aurum colligamus, ſeu ex ſpinis roſam decerpamus, atque ex Herculeis manibus clauam, vel ex hoſtibus gladiũ extrahamus, Donationis huiuſce veritatẽ ex eiuſdẽ veritatis inimicis extorquendã eſſe in primis dijudico. Hinc topico illo Ariſtotelis, & vulgatiſſimo quidem argumento (vt aiunt) a minori ad maius veritatem ipſam, veluti e tenebris lucem detractam, magis firmam reddemus, teſtimonijs omni fide digniſſimis adductis, eamq. rationibus denique non inſulſis confirmabimus, confirmatamq. relinquemus.

*Ex Geneb. li. 3. Chro. Anno Domini. 315.* Ampliſſimum, vt ab huiuſce veritatis hoſte initium ſumã, de egregia, piaq. Conſtantini liberalitate ac munificentia, ſiue Donatione Eccleſiæ Catholicæ Romanæ præſtita teſtis eſt Zoſimus, homo Græcus, Græcæq. ſuperſtitioni valde addictus, atque exitioſus. *Niceph. li. 16. hiſt. Eccleſ. capit. 41. & 42.* Zoſimus enim de Conſtantino Imperatore, qui Silueſtro Papæ, eiusq. ſucceſſoribus Romam dono dedit, & omnia Imperatoria indumenta, & ornamenta, atque alia permulta, vt Auguſtinus Steuchus Eugubinus *Auguſtin. Steuchus.* aduerſus Laurentium Vallam hominem iniquum, & mordaciſſimum, atque ad obloquendum omnibus in rebus natum, duobus libris de Donatione Conſtãtini aperte probat, hunc in *Phot. Cõſt. 8. Nomocanonis c. 1. ſub anno 860. Niceph. li. 16. hiſt. Eccleſ. ca. 41. & 43.* modũ ait: Conſtantinus ceſſit Roma, & Cõſtantinopolim a ſe maieſtatẽ Imperij transtulit, quòd ſe Romanis ſciret inuiſum ob mutatam religionẽ. Hæc Zoſimus, qui de mutata religione a Conſtantino, qui ab idolorum cultu, deteſtanda execratione relicta, ad Chriſtianam fidem tranſijt, manifeſte loquitur, de eiuſdem Conſtantini Donatione tacite nonnihil videtur innuere. Zoſimus enim ait Conſtantinum ceſſiſſe; dicat aliquis: Cuinam ceſſit? non Senatui, non populo: nam nemo id ſcripſit. Nec Senatus, Populusve hac de re mouit vnquam litem. Pontifici igitur ceſſit, qui Romam vt ſuam iam inde ab eo tempore poſſidet, ſeruat, ac de ea antiquas tabulas, teſtimonia, & cenſus habet.

*Am. Marcell. li. 27.* Ammianus item Marcellinus Ethnicus tale aliquid de Conſtantini Donatione innuit dum de opibus, ac potentia Romani Pontificis conqueritur, & mirum in modum dolet.

*Lib. de tradit. rerum geſtarum Rom.* R. Abraham leuita Donationis huiuſce veritati velit nolit ſuffragatur Hebraica lingua dicens:

ולתורתם



קסטנטינו קיסר הוא חקק תורת הנצרים ושב לעבודתם ולתורתם
לאחר שלש מאות שנה לישו לחשבונם והוא יצא מרומי ונתנה
לכומרי אדום עד היום הזה ובנה מדינת קסטנטינה נובילה :

Hæc autem, quæ Hebraice conſcripta ſunt, Latine redduntur in hanc verborum formam:

Conſtantinus Cæſar legem Nazaræorum confirmauit, & ad eorum cultum ac legem tranſijt annis tercentum poſt Ieſum iuxta eorundem computationem. Ceſſit deinde Roma, eamq. ſacerdotibus Idumæorum (ſic Chriſtianos appellãt) ad hanc vſque diem, Conſtantinopoli ædificata.

Abben Ezra in Danielis illud: Et ſuper vllum Deum non intelliget: luculentiſſimum de hac Donatione Conſtantini affert teſtimonium dicens: *Abb. Ezr. in xi. Dã.*

והטעם שכבד מקום רומא שהוא בנו
והניחן לעון הנקרא אבן :

Horũ verborum ſenſus in Latinã linguã vertitur hoc modo:

Conſtantinus decorauit locum Romæ, quæ erat ſedes eius: & reliquit eum iniquitati (ſic impie impij de ſanctis Apoſtolis loquuntur) quæ vocatur Petrus (vt ait Genebrardus) vel vt Ioannes Paulus Euſtachius Neophytus, vir quidem Chriſtianæ pietatis obſeruantiſſimus exponit, vanitas nuncupatur.

Rex Gedalia Iachia in Traditionum catena idem apertius affirmat verbis hiſce Hebraicis:

בשנת ד אלפים ן לבריאה היה ברומה קסטנטינו הקסר והחזיק
אמונתם והדרין אל סלויסטרו פפא כל־אשר לו באיטליאה והלך
ובנה מהדש עיר ביזנטי ועל שמו קראה קסטנטינופולי :

Anno a creatione mundi 4050. Romæ Conſtantinus Cæſar Chriſtianæ fidei adhæſit, & Silueſtro Papæ quod in Italia habebat, dono dedit: Bizantium adijt, & Conſtantinopolim iterum condidit, ſuoq. nomine eam nominauit.

Hæc de Conſtantini Donatione ab ijs, qui foris ſunt: nunc reliquum eſt vt ad noſtros, & ad eos præſertim omni fide digniſſimos accedamus, quorum in numero eſt Sanctus ille Athana-

*Aug. Steuchus. Centur. 4. cap. 7. Greg. lib. ep. ſub an. 600. Nauel. gener. 11. Chr. Cētur. 10. cap. 10. Aug. Steuchus. Grati. Decret. pa. 1. diſtinc. 95. ca. 14. Cōſtantinus.*

Athanaſius, qui Conſtantinū in Concilio præſertim Nicæno vidit. Hic enim ad Felicē Papā ſcribens recenſet quæ Conſtātinus in Edicto ſuo de Donatione facta Silueſtro Papæ, eiuſq. Succeſſoribus ſanxerat & promulgarat. S. etiā Damaſus, qui Liberio ſucceſſit, & Cōſtantinū videre potuit, de eadem Conſtantini Donatione ſcripſit, vt Centuriatores quoque affirmāt. Sāctus præterea Gregorius ſuis in Epiſtolis patrimoniū Eccleſiæ, & per Occidentem late patens, quo ipſe frueretur, tunc etiā temporis ampliſſimū fuiſſe nō ſemel demonſtrauit. Quo ſane tēpore S. Iſidorus, vt Nauclerus teſtatur, de huiuſmodi Donatione aperte locutus eſt. Hanc eandē Donationē Iuſtinianus Imperator centum poſt annis, deinde Arithbertus Longobardorum Rex, Pipinus, Carolus Magnus, Ludouicus, Otho denique magnus in publico Rauennatenſi Concilio confirmarunt, vt etiam Centuriatores teſtantur. Decretum item de huiuſmodi Donatione pijſſimum, quod a Canoniſtis Palea, a Grçcis Oraculum appellatur, ſicut ait Steuchus, ab alijs pagina Donationis, vt cetera huius rei nomina prætermittā, in cunctis Græcorum Bibliothecis reperitur. Quod Græce, ac Latine conſcriptū in Bibliotheca Vatic. aſſeruatur: Latine vero impreſſum in primo Conciliorū Tomo & in Decreto Gratiani extat, citaturq. ab omnibus, qui Conſtantini Donationē verā fuiſſe contendunt. Qui eam tuentur, ſunt hi:

## DE VERA CONSTANTINI DONATIONE SCRIPTORES.

Sanctus Athanaſius Epiſc.
Sanctus Damaſus I.
Sanctus Gelaſius I.
Leo IX. aduerſus Michaelem Conſtantinopolit. cap. 12. & 13.
Gregorius VII.
Innocentius III.
Gregorius IX.
Nicolaus III.
Pius II.
Iſidorus Epiſcopus Hiſpal.
Ado Epiſcopus Viennenſis.
Iuo Epiſcopus Carnoten. par. 5. cap. 44. & 54.
Brochardus Epiſcopus Vormacienſis.
S. Thomas Aquinas.
Auguſtinus Triūphus quæſt. 43. de pot. Eccl.
Gēnadius Scholarius Grçcus.
Anſelmus Lucenſis.
Abbas



Abbas Ioachinus.
Emmanuel Caleca Græcus.
Dominicus Epiſc. Brixienſis, dictus Torcellanus.
Henricus Gandauēſis in Quolibeto.
Theodorus Balſamon Patriarcha Antioch.
Nicolaus Lyranus in Baruch cap. 5. & in Nahum, & in Apoc.
Martinus Polonus.
Aluarus de planctu Eccleſiæ lib. 1. cap. 52. & 56.
Petrus Damiani Cardin. Hoſtienſis.
Volaterranus.
Albericus de Roſath.
Simeon Archiepiſc. Theſſalonicenſis.
Ioānes Nauclerus Germanus.
Leonicus hiſtor. Turcicarum ſcriptor.
Hieronymus Aleāder, Card. Brunduſinus.
Auguſtinus Steuchus.
Cæſar Coſta Archiepiſcopus Capuanus.

*Ex Augu. Triūph. q. 1. de pot. Eccl. ar. 1. in corp. Apoc. 1. Ex Augu. Triumpho q. 43. de pot. Eccleſ. art. 1.*

Quamuis huius generis Donationem a Conſtātino factam fuiſſe conſtet, ab eo tamen temporalem poteſtatem non niſi Eccleſiæ redditam, & corroboratam, a Chriſto autem, qui eſt princeps Regum terræ, ſancitam eſſe dicas neceſſe eſt. Summi vero Pontifices ob Principum iniuriam, quæ iuſto rerum dominio, & iuri haudquaquā detrahit, per aliquot annos ea Donatione potiti non ſunt: ſicut enim Chriſtus, cui ſolium Dauid debebatur, huius poſſeſſionem non ſtatim accepit, ita Petrus, Chriſti Vicarius, & alij ſummi Pontifices Conſtantini Donationem illico non ſunt conſecuti. Nec Silueſter Donationem ipſam tabulis incidendam curauit, nec in Capitolium aſcendit: ſatis enim erat, Imperatorem ſacroſancto Sacerdoti ante altare procubuiſſe, imperiūq. coram tot teſtibus ſacraſſe, ac deuouiſſe. Nec item in dubium verti debet, num Conſtantinus Imperij partem Papæ, ſibi parte reſeruata, cōcedere, immediatam Imperij adminiſtrationem eidem dare potuerit: bona enim Reipublicæ quamuis alienari non queant, in vſum tamen meliorem commutari, Deoq. a quo recipiuntur, dicari poſſunt, in miniſtrorum ſcilicet Eccleſiaſticorum ſuſtentationem, Eccleſiæ reparationem, & in pauperum erogationem, iuxta triplicem bonorum diſtributionem ex Deuteronomio deſumptam. Quare Conſtan-

*Deut. 14. & ponitur 12. qu. 2. Mos.* tinus in dominium illius, qui eſt Deus & homo, hoc eſt
Chriſtus Ieſus, cuius Vicarius eſt ipſe Papa, Imperij bona
transferre potuit, immo Eccleſiæ Chriſtiq. Vicario quæ a
*Auguſt. Triumph. q.43.ar.3.* Deo receperat (cum omnia ſint Dei, cuius eſt omnis terra,
& plenitudo eius, orbis terrarum, & vniuerſi, qui habi-
*Pſal. 23.* tant in eo, vt Pſalmographus teſtatur) reddidit, ac red-
dere debuit. Hinc idem Conſtantinus Papæ, eiusq. ſuc-
*15.q.1.ca. Videntes.* ceſſoribus immediatam temporalium rerum adminiſtratio-
*Aug. vbi ſup. art.2.* nem iure dedit, ſeu potius reddidit: quam ſummus Pon-
tifex Imperatori pro Eccleſia defendenda conceſſit, iuxta
*1. Tim. 6.* illud Pauli dictum: Sæcularia iudicia ſi habueritis, con-
temptibiles, qui ſunt in Eccleſia, illos conſtituite ad iudican-
*Greg. 19. Moral. c. 14.* dum. Qua in re ſanctus ait Gregorius: Contemptibiles de Ec-
cleſia eligendi ſunt ad iudicandum: quia per laicos, & per il-
los, qui ſunt minoris meriti in Eccleſia, iudicia ſunt exercen-
da, ac temporalia negocia tractanda, non autem per Cleri-
cos immediate. Hinc ſummus Pontifex ſua auctoritate leges
imperiales corrigere poteſt, ſicut lex diuina humanam: easq.
mutare valet pro temporum diuerſitate, ſi euidens inde vtili-
tas oriri videatur: lex enim imperialis ab auctoritate Papæ eo
ipſo depēdet iure, quo a lege diuina eā dependere dicas opor-
tet: cuius quidem legis, diuinæ ſcilicet, Papa eſt Vicarius,
*Dion. de Cæl. hier. cap.4.* ac miniſter: præſertim vero cum lex diuinitatis, teſte Dio-
nyſio, influentiam in hæc inferiora non niſi per media con-
ferre queat. Medius autem inter Deum & populum Chriſtia-
num eſt ipſe Papa. Quare populo Chriſtiano nulla lex dan-
da eſt, niſi ipſius Papæ auctoritate, ſicut lex vlla Iſraelitico
populo data non fuit, niſi medio ſiue intercedente Moyſe, qui
*Deut. 5.* de ſe ipſo ait: Ego ſequeſter, & medius fui inter Deum, &
vos vt annunciarem vobis verba eius. Poteſtatem igitur
non modo ſpiritualem, verum etiam temporalem Pontifici
ſummo ineſſe fatendum eſt: immo tantum abeſt, vt Papa
*Auguſtin. Triūph. q. 1. art. 1. de pot. Eccl.* temporalem poteſtatem non habeat, vt omnis Impera-
torum, ac Regum poteſtas ab auctoritate Papæ depen-
deat, vt dictum eſt, & ſubdelegata iure nuncupetur.
*Et habetur 2. q. 1. c. Quicunque.* Poteſtas enim iuriſdictionis tam ſpiritualium quàm tempo-
ralium, immediata eſt in ſolo Papa, qui eam immediate ha-
bet a Deo, vt Triumphus recte docet, & ratio ipſa nobis per-
ſuadet:



ſuadet: ſicut enim in corpore naturali omnia membra in- *Auguſtin. Triūph. de pot. Eccl. q. 1. art. 1.*
fluentiam a corde habent, ita in corpore myſtico omnem
poteſtatem a Pontifice ſummo influentiam recipere, dicen-
dum eſt. Hæc autem poteſtas a Chriſto Domino per
ſummum Pontificem in Epiſcopos deriuatur: qui a Chriſti
in terris Vicario ſicut riuuli a fonte, radij a ſole, & ab ar- *Ex Concil. Epheſino.*
bore rami pendere dignoſcuntur. Imperatoribus autem, ac
Regibus, ceterisq. Principibus eſt in miniſterium data ob ra-
tiones ſuperius aſſignatas. Hinc ſummus Pontifex omnem
ſæcularem poteſtatem iudicare poteſt, ac debet ſicut ex De-
creto videre licet, vbi Zacharias Romanus Pontifex Franco-
rum Regem non minus iniquum quàm regnandi oneri non
aptum priuaſſe regno, Pipinumq. Karoli Imperatoris Pa- *15. q. 6. c. Alius.*
trem ſubrogaſſe legitur. Innocentius item huius nominis
IIII. in Concilio Lugdunenſi primo Federicum II. Impe-
ratorem imperio priuauit, & ad electores imperij de nouo eli-
gendo Imperatore ſcripſit. Id quod executioni mandatum *Cōcil. Lugdun. 1.*
fuit, vt infra, ſuo loco videre eſt. Nec huiuſmodi doctrinæ
refragatur quod alij aliter ſentientes dicunt de Moyſe, & Aa-
ron: vterque enim Chriſtum, vt Triumphus ait, repræſen- *Quæſt. 1. de pot. Eccleſ. art. 3.*
tauit: aliter tamen Moyſes, aliter vero Aaron. Moyſes nam-
que, vt legiſlator, Aaron autem vt ſummus Sacerdos Chri-
ſtum ſignificarunt. Etenim Chriſtus, cuius vicem gerit Pa-
pa, fuit Legiſlator iuxta illud Iſaiæ: Dominus legifer noſter: *Iſa. 33.*
Dominus iuſtus noſter. Fuit item Sacerdos, Pſalmographo
teſte, dicente: Tu es ſacerdos in æternum ſecundum ordinem *Pſal. 109.*
Melchiſedech. Quamuis igitur Moyſi poteſtas, quæ fuit im-
perialis, Aaron poteſtate, quæ fuit ſacerdotalis, maior dice-
retur, non tamen poteſtatem Papæ omni alia maiorem infi-
cias quis ire poteſt, cum ſummus Pontifex gerat vicem Chri-
ſti, cuius poteſtas per Moyſen, & Aaron fuit repræſentata, ſa-
cerdotalis videlicet ac temporalis: quam poteſtatem Eze-
chiel tempore Ioſedech & Sedechiæ auferendam propheta-
uit dicens: Aufer Cydarim, tolle coronam, hoc eſt, ſacerdo- *Ezech. 21.*
tium, & regnum: Cydaris enim eſt mitra ſummi Pontificis,
corona vero Regis tiara. Id quod factū eſſe conſtat. Nam Io-
ſedech ſummus Pontifex, & Sedechia Rex manu Nabucho-
donoſor in captiuitatem ducti fuerunt. Huius autem gene-
Aa 2 ris

ris priuationem vt ex prophetiæ ſerie colligitur, Propheta vaticinatus eſt duraturam donec veniret ille, cuius eſt iudicare, hoc eſt Chriſtus qui ſacerdotalem ſcilicet ac regalem, ſiue temporalem habuit: de quo etiam Iſaias dixit: *Iſa. 9.* Super ſolium Dauid, & ſuper regnum eius ſedebit, vt confirmet illud, & corroboret in iudicio, & iuſtitia amodo, & vſque in ſempiternum. Hinc Angelus de Chriſto idem teſtatus eſt, dicens: *Luca c. 1.* Dabit illi Dominus ſedem Dauid Patris eius, & regnabit in domo Iacob in æternum. Solium autem Dauid temporalem conſtat extitiſſe poteſtatem, quam in Chriſto fuiſſe aperte, & erudite docet Franciſcus Toletus e ſocietate Ieſu, vir ſane pius ac doctiſſimus. *Franc. Tolet. in c. 1. Luca.* Qui autem huiuſmodi regalem ac temporalem poteſtatem in Chriſto fuiſſe negat, deteſtandæ Iudæorum cæcitati ſuffragatur. Quare diuino conſilio factum eſt, vt Pilatus, qui ea in Inſcriptione ſanctiſſimæ Crucis faſtigio impoſita Chriſtum Iudæorum Regem appellauit, Iudæis reclamantibus dixerit: Quod ſcripſi, ſcripſi. Chriſtus autem huiuſmodi poteſtatem temporalem, quotieſcumque ſibi id expedire videbatur, exercuit: & præſertim cum adulteram in adulterio deprehenſam a morte temporali manifeſte liberauit. *Ioan. 8.* Chriſtus item non modo ſpiritualem exercuit, vendentes & ementes de templo eijciens, verum etiam temporalem, mēſas nummulariorum, & cathedras vendentium columbas euertens. *Matth. 21. Mar. 11. Ioan. 2.* Temporalem præterea poteſtatē ſuā eſſe patefecit, cū dæmonum legionem in porcos intraſſe, eosq. in mare præcipitandos conceſſit. *Matth. 8. Mar. 5. Luca 8.* Quæ res cum abſque poſſeſſoris damno fieri non queat, ſi Chriſtus rerum etiam temporalium Dominus non extitiſſet, id eum facturum non fuiſſe dicendum eſt. Idem intelligi voluit, cum ficum non ſine alicuius damno areſieri iuſſit. *Matt. 21. Mar. 11. Luca 13.* Idem denique rei temporalis dominium demonſtrauit, cum Apoſtolis vt aſinam, & pullum ad ſe adducerent, mandauit, poſſeſſore non reclamante, vbi primū Chriſtum Dominū ita iuſſiſſe audiuit.

Duplex igitur in Chriſto fuit poteſtas, quam deinde in eius Vicario remanſiſſe fatendum eſt. Hinc ſanctus Petrus non ſolum ſpiritualem exercuit poteſtatem, ſed etiam temporalem: *Act. 5.* præſertim vero cum Ananiam & Saphiram temporali morte mulctauit: quam etiam poteſtatem ſibi reſeruandam



uandam innuit, auricula Malchi abſciſa. Huic denique doctrinæ fauet illud, quod B. Paulus ad Philemonem laicum, Ciuem Coloſſenſem, et Chriſtianum pro Oneſimo a Paulo ad fidem conuerſo, olim autem ſeruo Philemonis, a quo ante conuerſionem fugerat, ſcripſit, vt eum reciperet. Quamuis enim id ei Paulus imperare, vel Oneſimum Philemonis ſeruū penes ſe retinere potuiſſet, vt ipſe ait, voluit tamen eum ad id faciendum cohortari. Quibus verbis, Paulum rei temporalis poteſtatem habuiſſe affirmandum eſt: ſi enim res aliter ſeſe haberet, nec ſeruum profugum, qui bona temporalia Philemoni domino ſuo furatus fuerat, ſecum retinere, nec Philemoni vt eum reciperet, imperare valuiſſet, ſicut id ſibi facere licuiſſe aperte ait.

*Ex Augu. Triumpho q. 1. de pot. Eccl. ar. 1.* Poteſtas igitur iuriſdictionis, tā ſpiritualiū quàm tēporaliū eſt in ſolo Papa immediate a Deo per Chriſtū: deriuata vero in omnibus Epiſcopis et Prælatis a Chriſto, mediāte Papa: ſed tēporaliū poteſtas Principibus ſæcularibus eſt in miniſteriū data. Non ſolum autē huiuſmodi poteſtas eſt in Eccleſia, verū etiā coactiua tam ſpiritualis quàm tēporalis, de qua Ioſephus Stephanus Valentinus Doctor, Theologus eruditum quidem edidit librum. Quæ res ex eo colligi poteſt, quòd in veteri Teſtamento legitur hunc in modum: *Deut. 17.* Si ſuperbierit nolens obedire imperio ſacerdotis, ex decreto iudicis morietur. Id quod in noua item lege eſſe quis inficias ire audet, dicente Apoſtolo: *Act. 15.* Viſum eſt Spiritui ſancto, & nobis nihil vltra vobis imponere oneris niſi hæc neceſſaria, vt abſtineatis vos ab immolatis ſimulacrorum? Quibus verbis, teſte Chryſoſtomo ſancto, Apoſtoli nouam legem condunt: nam de his nihil præcepit Chriſtus. Hoc idem confirmatur ex eo, quòd Beatus Paulus pertranſiens ciuitates, *Act. 20.* Apoſtolorum, ac ſeniorum præcepta cuſtodienda, & executioni mandanda præcipiebat. Nec huic doctrinæ illud Deuteronomij refragatur: *Deut. 4. & 12.* Non addetis ad verbū, quod ego loquor vobis (ait Deus) nec minuetis ex eo. Et: Quod præcipio tibi, hoc tantum facito Domino. Idem in fine Apocalypſi: *Apoc. vlt.* nam huiuſmodi prohibitio non niſi de additione nouarum legum prioribus legibus contraria, & corrumpente, non autem perficiente opus præceptum. *S. Thom. c. 1. ad Gal. lect. 2. & 3.* Nec eſt par ratio de veteri ac nouo Teſtamento: vetus

vetus enim lex data eſt vni tantum Populo, & ad præſcriptũ tẽpus,hoc eſt ad Chriſti vſque aduentum:ſed lex Euangelica vniuerſo terrarũ orbi ad finem vſque mũdi duratura. Ideo ita facile omnia determinari nõ poterãt, vt aliæ leges tã ciuiles, quàm Eccleſiaſticę neceſſarię quãdoque nõ forent. Adde etiã quòd eædẽ leges,& ritus populis diuerſis cõuenire nõ poſsũt.

De duplici ſummi Pontificis poteſtate ſpirituali ſcilicet ac temporali, vel coactiua ipſe Chriſtus locutus eſt dicens: Data eſt mihi omnis poteſtas in cælo, & in terra. Quamuis autem hæc Saluatoris noſtri verba a Beato Hieronymo, ac beato Anſelmo exponantur de ſpirituali poteſtate,ideſt ſicut ſum Rex in cælo ita in cordibus hominum; & a Theophilacto de omni diuina in omnes creaturas poteſtate,non temporali: Nicolaus tamen primus ad Michaelem Imperatorem ſcribens hunc in modum ait: Chriſtus beato Petro vitæ æternæ clauigero terreni ſimul, & cæleſtis Imperij iura commiſit. Quare Zacharias Papa Regem Francorũ non tam pro ipſius iniquitatibus, quàm etiam pro eo quòd ad tantã poteſtatem exercendã nõ erat idoneus regno depoſuit,& Pipinum Karoli Imperatoris patrẽ loco eius inſtituit.

*Nicol. 1. et ponitur diſtinct. 22.*

*Zach. Ro. Põt. & ponitur. 15. quæſt. 6. c. Alius.*

Poteſtatem ſummam viſus eſt exercere Chriſtus dum vendentes de templo eiecit, flagello de funiculis facto. Si enim vtramque poteſtatem Eccleſia non haberet, Apoſtolis dicentibus: Ecce gladij duo hic, non reſpondiſſet Chriſtus ſatis eſt, ſed nimis. Hinc S. Bernardus ad Eugenium Papam ſcribens ait: Quid denuo gladium, quem ſemel iuſſus es reponere in vaginam,vſurpare tentas? Quem tamen qui tuum eſſe negat, non ſatis videtur mihi attendere verbum Domini dicentis: Conuerte gladium tuum in vaginam. Tuus ergo, et ipſe tuo forſitan nutu, ſed non tua manu euaginandus: alioquin, ſi nullo modo ad te pertineret, dicentibus Apoſtolis: Ecce gladij duo hic, non reſpondiſſet Chriſtus: Satis eſt, ſed nimis. Hæc Bernardus: ex cuius verbis ſatis clare patet, gladium vtrumque, ſpiritualem ſcilicet ac temporalem immediatum eſſe in ſolo ſummo Pontifice: ille ab Eccleſia, hic pro Eccleſia: ille ſacerdotis, hic militis manu exercendus: quem etiam Apoſtoli exercere viſi ſunt in Ananiam, et Saphiram, et Petrus in Malchum, auriculam eius abſcindens: cui tamen

*Ioan. 2.*

*Luca 22.*

*S. Bern. li. 4. de conſid.*

*Matt. 26. Ioan. 18.*

*Act. 5.*

tamen



tamen præceptum fuit a Chriſto, vt gladium in vaginam ad tempus conuerteret, ne Saluatoris noſtri paſſioni, humanæq. redemptioni foret impedimento.

Quamuis autem Regnum omne de Chriſto dictũ in Scriptura ſacra multi de ſpirituali tantum regno, & æterno intelligendum eſſe velint, non deſunt tamen qui de vtroque regno intelligi debere affirment. Nec huic doctrinæ aduerſatur quod Saluator noſter de ſe ipſo dixit: Regnum meum non eſt de hoc mundo: voluit enim hiſce verbis, vt ſanctus ait Ambroſius, Pilatum ſuſpicione liberare, qua credere poterat, ſe regnum Iudæorum temporale affectaſſe: atque hunc ſenſum illud dictum habere poteſt: Rex ſum, ſed non eo modum,quo Cæſar & Herodes. Vel, vt ait Chryſoſtomus, Regnum Chriſti non fuit de hoc mundo, quia non fuit modo mundano, ſicut alij ſunt reges, qui ex fortitudine miniſtrorum accipiunt regnandi poteſtatem: ipſe autem regnando ſuper ſuos ſibi ipſi ſufficiens eſt, nullius indigens auxilio, vel fauore. Dixit etiam Chriſtus: Regnum meum non eſt de hoc mundo, vt triplicem, & falſam quidem de ſuo ipſius regno, ac poteſtate refelleret opinionem, Conſanguineorum ſcilicet, Gentilium, ac Iudæorum. Conſanguinei enim ipſum mundana, ſiue carnali affectione ac propagatione regnaturum expectabant: Gentiles tyrannica auctoritate, armorumq. poteſtate: Iudæi vero,vt Diſcipuli,temporali quadam ſucceſſione eum regnaturum, ac liberaturum Iudæos è manibus Romanorum, ſperabant dicentes: Nos ſperabamus quòd ipſe eſſet redempturus Iſrael. Ad primam opinionem confutandam dictum eſt, Regnum Chriſti non eſſe de hoc mundo,hoc eſt, Chryſoſtomo teſte, non ex mundana generis conſanguinitate,ex qua non poteſtatem,& virtutem regnandi,ſed potius infirmitatem moriendi contraxit. Ad ſecundam opinionem refellendam,eodem Chryſoſtomo teſte,idem pronunciatum eſt: qui ſuos compeſcuit Diſcipulos præcipiens vt gladium in vaginam conuerterent: Patrem vero,qui pluſquam duodecim legiones Angelorum ſibi exhibuiſſet, rogare deſtitit. Ad tertiam opinionem reijciendam dictum eſt: Regnum meum non eſt hinc: non ſecus atque dixiſſet Chriſtus: Regnum meum non ad temporalem ſucceſſionem, ſed ad

*Chryſoſt. Aug. Theophil. & Cyril. in hũc locũ Ioan. 18. Et Ambroſ. in Lucam.*

*Ambr. in Luc. 3. prope finem.*

*Chryſoſt. homil. 83. in Ioã. to. 3.*

*Luca 24.*

*Matt. 26.*

*Ioan. 18.*

*Ioan. 18.*

poſſiden-

poſſidendam æternam manſionem. Nec contrarium ſentientibus fauet illud eiuſdem Saluatoris dictum: Reddite quæ ſunt Cæſaris Cæſari, & quæ ſunt Dei Deo: Hiſce enim verbis quandam legalem iuſtitiam ſancitam eſſe dicendum eſt, vt ſcilicet vnicuique quod ſuum eſt, reddendum eſſe pro comperto habeamus, eo videlicet modo, quo dicit Apoſtolus: Reddite omnibus debita: cui tributum, tributum: cui vectigal, vectigal: cui honorem, honorem: & cui timorem, timorem. Nec propterea poteſtatem Papæ temporalem diminutam vllo pacto eſſe opinandum eſt: Imperatoribus enim, ac Regibus temporalia reddenda ſunt pro ſtipendijs ipſorum, qui, vt ait Apoſtolus, Eccleſiam Dei defendere, & Chriſtianum populum gubernare, ac Rempublicam in pace conſeruare debent. Nemo enim ſuis militat ſtipendijs: nec quiſquam paſcit gregem, & de eius non comedit lacte. Illud præterea Apoſtoli dictum: Quid mihi de ijs, qui foris ſunt, iudicare? Non de ijs, qui ſunt in temporali poteſtate conſtituti, ſed de infidelibus, nomine, & re extra Eccleſiam degentibus intelligendum eſſe omnes interpretantur, a quibus tamen infidelibus dominandi ordo, quem de lege, ac beneficio naturæ eſſe conſtat, auferri non poteſt, vt ait Triumphus: quia ſicut Deus beneficia naturæ bonis, & malis largitur, dum ſolem ſuum oriri facit ſuper bonos & malos: & pluit ſuper iuſtos, & iniuſtos; ita Eccleſia ad imitationem iudicij diuini facere debet, niſi ij iura Eccleſiaſtica, iuraq. noſtra rabie tyrannica occupare, Chriſtianoſq. infeſtare ſtudeant: hiſce enim de cauſis ſummus Pontifex ab eis dominium, & iuriſdictiones auferre, ac bellum ijſdem iuſte indicere poteſt, ac debet.

*Matth. 22. — Rom. 13. — Ex Augu. Triumpho quæſt. — Rom. 13. — 1. Cor. 9. — 1. Cor. 5. — Auguſtin. Triũph. q. 23. art. 3. de pot. Eccleſ. — Matth. 5.*

Vt igitur quæ dicta ſunt, ſummatim concludamus, temporalem ſummo Pontifici ineſſe poteſtatem, Conſtantiniq. Donationem veram extitiſſe, immo rerum temporalium poteſtatem tyrannice olim vſurpatam, tamquam Eccleſiæ propriam ab eodem Conſtantino redditam fuiſſe cum Auguſtino Triumpho affirmamus. Hinc in ſemicolumna lateritia, de qua ſermonem habuimus, Saluatorem noſtrum, Eccleſiæ vniuerſalis caput repræſentatum eſſe diximus: ad cuius dextram Silueſter, Chriſti Vicarius, ad læuam autem Conſtan-

*Ex Augu. q. 1. de poteſt. Eccl. art. 1. in corp.*



tinus magnus, Eccleſiæ & opibus atque armis defenſor pro huiuſmodi Donatione indicanda, ſeu potius innuenda, vt reor, per pictoriam artem repræſentati conſpiciuntur. Reliquum eſt autem, vt ad cetera tranſeamus declaranda.

## DE BIBLIOTHECÆ VATICANÆ FENESTRIS

BIBLIOTHECA Vaticana, cuius primaria porta eſt ad Orientem, excipit itẽ lumen per quattuor ac decem feneſtras, quarum ſeptem ad Septentrionẽ, totidemq. ad Meridiem vergunt: illæ quattuor elementa, hæ vero quattuor anni tempeſtates, & Sixti V. ſtemmata gentilitia alternatim depicta comprehendunt.

### *De Feneſtris ad Septentrionem vergentibus.*

AD PRIMAM dextræ partis feneſtram in ipſo feneſtræ fornice mulier ſuper delphinum ſedens, tridentemq. manu geſtans depicta cernitur, ad aquã, vnum elementorum, quibus quaſi alimentis quodcunque animal viuit, atque conſtat, repræſentandam. Quamuis autem terra primum, inferioremq. locum tanquam elementum ceteris grauius, ac ponderoſius ſibi vendicet, vt Ariſtoteli, alijſq. philoſophis placet, & ratio ipſa ſuadet; Aqua tamen primo cernitur loco. Id quod vel pictorum iudicio factum eſt, vel ad imitationem verborum Ouidij, qui elementis diſtribuit loca hunc in modum:

*Ariſt. lib. 4. de cælo. — Ouid. lib. 1. Metamorph. ſub init.*

*Ignea conuexi vis & ſine pondere cæli*
*Emicuit, ſummaq. locum ſibi legit in arce.*
*Proximus eſt aer illi leuitate, locoq.*
*Denſior his tellus, elementaq. grandia traxit,*
*Et preſſa eſt grauitate ſui: circumfluus humor*
*Vltima poſſedit, ſolidumq. coercuit orbem.*

Quibus verbis Ouidius quamuis aquæ poſtremum locum tribuere videatur, ſi ea tamen perpendantur, nil aliud ex ijſ-

dem verbis, quàm terræ ſuperficiem circumfluentem ab aqua humectari, ac poſſedi colligi poſſe fatendum eſt. Hunc eundem fere ſenſum patitur illud Scripturæ ſacræ dictum: *Pſal. 135.* Qui firmauit terram ſuper aquas, hoc eſt iuxta aquas terram ipſam humectantes, eo loquendi modo, quo dici ſolet: Hæc ciuitas fundata eſt ſuper mare, vt Venetiæ: illa vero ſuper Sequanam fluuium Galliæ, Belgas a Celtis diuidentem. Hoc eodem fere modo intelligitur illud Pſalmi dictum, quo *Pſal. 23.* ſuper maria fundatum eſſe mundum legimus. Quoniam vero aqua procreationi earum rerum, quæ è terra præſertim naſcuntur, maximum præbet auxiliũ, hinc ſupra feneſtræ fornicẽ hæc legitur Inſcriptio: PROCREATIONVM ORIGO.

---

AD tertiam feneſtram, ſecunda prætermiſſa, in qua inſignia Sixti V. depicta cernuntur, in ipſo feneſtræ fornice femina humi ſedens, leone, alijsq. animalibus hinc inde conſiſtentibus, depicta conſpicitur: quæ Terram ſignificat. Terra enim per Deam Cybelem repræſentatur, quæ & Rhea dicitur ἀπὸ του ῥέο, fluo, quòd terra affluens ſit omnium rerum. Dicitur etiam Pales quòd terra ſit pabulorũ Dea. Ops item dicta putatur, quòd terræ ope vita hominum ſuſtentetur: vel ab antiquo adiectiuo Ops, quo veteres pro diuite vtebantur, quemadmodum contra, inopem dicimus pauperem & egenum. Hæc quoque Mater Deorum, quia omnia gignit, dicta a Poetis cenſetur, vel quòd putarent cæleſtes omnes in terris fuiſſe genitos, deinde ob inſigne aliquod meritum in cælum fuiſſe tranſlatos. Alma item mater ab alendo nuncupata eſt. Maia interea dicebatur, &, vt ait Cornelius Labeo, Magna mater quòd Terra ſit omnium communis parens: vel quòd iuxta Poetarum hiſtorias fabuloſas primitus mortales omnes ex terra naſcebantur. Hinc Prometheus *Ouid. lib. 1. Metamorph. nõ procul ab initio.* Iapeti filius, vt idem Heſiodus oſtendit, hominem ex humo imbri mollita finxit, cui Minerua ſpiritum immiſit. Id autem fortaſſe deſumptum fuit a vera diuinaq. hiſtoria libri *Gen. 2.* Geneſeos, vbi primus homo de limo terræ legitur creatus a Deo, qui ſtatim in faciem eius ſpiraculum vitæ inſpirauit: hinc lingua Syriaca, vt Theodoretus ait, primus ille homo

Adam



Adam dictus eſt, terrenus ſcilicet, aut pulueroſus. Syrorum *Theod. in Gen.* enim mos eſt, terram rubram appellare Adam. Qua ex re omnis homo puluis, & in puluerem dicitur reuerſurus, ac Terræ filius iure nuncupatur. Ob idq. olim obſcuro, ignotoq. genere prognati, Terræ filij dicebantur, propterea quòd Terra communis eſt omnium parens, iuxta hanc perbreuem Inſcriptionem, quæ ſupra feneſtræ fornicem legitur: MATER OMNIVM. Eandem ob cauſam prouerbialis figura in hominem exulem, erronem, & incertis vagantem ſedibus hunc in modum Græce dicebatur: Γῆν πρὴ γῆς, ideſt Terram pro terra, vt ex Cicerone videre eſt, dicente: Hæc & alia *Cicer. lib. 14. Epiſt. ad Attic. epiſt. 10.* ferre non poſſum: itaque γῆν πρὴ γῆς cogito: ſignificat enim ſe de fugiendo cogitare. Hæc denique Dea, Cybele ſcilicet, per quam terra repræſentatur, curru vehi a Poetis fingitur, quia terra pendet in aere, & ſuper ſtabilitatem ſuam, vt ſacroſancta Scriptura docet, dicitur firmata, ideſt ſuper mũdi cen- *Pſal. 103.* trũ, ad quod partes terræ ita vndequaque ſua tendũt natura, vt ab ipſo cẽtro declinare nullo penitus modo queãt. Eadem quoque Dea rotis ſuſtineri fertur, quia rotatur ſemper, & voluitur mũdus. Hæc de Terra, vt ad aeris elemẽtũ accedamus.

---

AD quintam feneſtram, quarta prætermiſſa, quæ Sixti V. ſtemmata gentilitia habet, in feneſtræ fornice femina ſupra aerem per fumum ſiue nubem quandam repræſentatum ſedens, aëreamq. comam habens depicta cernitur. Inſcriptio autem ad aerem indicandum hæc eſt: INANITATIS IMPATIENS. Aer enim inanitas quodam modo dicitur multo plus raritatis quàm inferiora elementa admixtum habens. Hinc non ſolum Virgilius, verum etiam alij probatiſſimi *Virg. Ecl. 6. Et Geor. lib. 1. Lucr. li. 2. Ariſt. lib. 4. phyſ.* ſcriptores per vacuum, & per inane aerem intellexerunt. Quamuis enim vacuum in rerum natura, vt Ariſtoteles recte docet, non reperiatur, vacuum tamen, vt aiunt, ruſticale rudiores homines dari opinantur, dum aliquem locum re viſibili, ac palbabili repleri non vident: ſed vbi viſibile corpus non extat, ibi ſtatim aerem tanquam inanitatis impatientem adeſſe, locumq. ipſum replere dicas neceſſe eſt: natura enim vacuum nullo modo pati poteſt.

AD ſeptimam feneſtram, ſexta inſignibus Sixti V. decorata, in ipſo item feneſtræ fornice depicta cernitur femina, humi ſedens flammas igneas dextra manu geſtans, igneamq. habens comam, intra quam fœnix, quæ per ignem innouari ſolet, vt fuſius dictum eſt, conſpicitur, ad ignem omnium elementorum leuiſſimum indicandum, hac Inſcriptione: PROCREATIONIS EXPERS. Ignis enim a gignendo, ideſt naſcendo per antiphraſim figuram dicitur, quòd in eo nihil naſcatur: immo quidquid ſub cælo tangit, ipſe tandem deſtruit, & conſumit: nihil enim, vt ait Doctor noſter Aegidius columna Romanus, in igne diu ſtare poteſt, quod ab eo non conſummatur. Nec id Ariſtoteli aduerſari puto dicenti hunc in modum: Nonnulla corpora eſſe animalium, quæ igne non abſumantur, Salamandra claro documento eſt: quæ, vt aiunt, ignem, inambulans per eum, extinguit. Hæc Ariſtoteles, qui iuxta aliorum opinionem loqui hoc loco videtur. Quamuis enim Salamandra ob magnam ſuam ipſius frigiditatem aliquandiu in igne abſque ſui corruptione ſtare queat, vt omnes concedunt, eam tamen abſque ſui conſumptione in igne permanere Ariſtoteles non affirmat, ſed ignem ab illa per eum inambulante extingui ait, ſicut etiam id ab Aegidio non negatur. Alienam item opinionem ſequi Ariſtotelem dijudico, dum loco ſupra citato, beſtiolas in igne oriri, & viuere, & ab eo dimotas emori, eundem Ariſtotelem dixiſſe lego. Ait enim: In Cypro Inſula, ærarijs fornacibus, vbi chalcites lapis ingeſtus compluribus diebus crematur, beſtiolæ in medio igne naſcuntur pennatæ, paulo muſcis grandibus maiores, quæ per ignem ſaliant, atque ambulent. Id autem eidem Ariſtoteli aperte refragatur: qui nullum animal in igne generari poſſe ait: atque huiuſce dicti rationem reddit dicens: Ineſt enim in ſemine omnium, quod facit vt fœcunda ſint ſemina, videlicet quod color vocatur: idq. non talis facultas aliqua eſt, ſed ſpiritus, qui in ſemine, ſpumoſoq. corpore continetur, & natura, quæ in eo ſpiritu eſt proportione reſpondens elemento ſtellarum, quamobrem ignis nullum animal generat. Hæc Ariſtoteles, qui vitalem in ſemine eſſe calorem, quem non ignem, neque ignis aliquam eſſe ait facultatem, ex qua gigni animal vllum, vt ipſe inquit, non

*Phœnicis hiſtoria. pag. 116.*

*Aegid. Ro. 2. ſent. diſt. 15. q. 1. artic. 2.*

*Ariſt. lib. 5. de hiſt. anim. cap. 19. to. 5.*

Salamandra extinguit ignẽ.

*Ariſt. loco ſup. citato.*

Beſtiolæ ĩ igne naſcũtur, & viuunt.

Animal nullum in igne generatur.

*Ariſt. lib. 2. de gen. animal. c. 3. to. 6.*



non poſſet. Huic doctrinæ conſonum videtur eſſe illud, quod idem Ariſtoteles ait de Vireone aue, quam igne procreari, fabuloſum eſſe pro comperto habet. Hæc de igne procreationis experte, vt a quattuor elementis ad quattuor anni tempora tranſeamus.

*Ariſt. lib. 9. de hiſt. anim. to. 5.*

# DE FENESTRIS MERIDIEM SPECTANTIBVS.

BIBLIOTHECAE Vaticanæ læua ſeptem habet feneſtras, Sixti V. inſignibus, & quattuor anni tempeſtatibus alternatim inſignitas. Quattuor autem anni tempeſtatum deſcriptio ex quattuor Ouidij deſumpta eſt hiſce verſibus:

*Verq. nouum ſtabat cinctum florente corona:*
*Stabat nuda æſtas, & ſpicea ſerta gerebat:*
*Stabat & autumnus calcatis ſordibus vuis:*
*Et glacialis hiems canos hirſuta capillos.*

*Ouid. lib. 1. Metamorph.*

Hæ quattuor anni tempeſtates per pictoriam artem repræſentantur: & ſingulæ cuique ex quattuor hiſce verſibus hemiſtichium vnum tributum eſt. Ver nouum per feminam, quæ coronam floribus confectam dextra manu, læua autem copię cornu floribus plenum geſtat, repræſentatur hac inſcriptione: *Cinctum florente corona*. Aeſtas item per feminam ſpicis triticeis ornatam, quæ dextra manu falcem, læua autem ſpicarum faſciculum habet, hac inſcriptione ſignificatur: *Spicea ſerta gerit*. Autumnus denique per feminam caput vuis ornatum habentem, atque vuis circumſeptam repræſentatur hac Inſcriptione: *Calcatis ſordidus vuis*. Hiems autem per ſenem ad ignem ſedentem, & calefacientem ſignificatur hac inſcriptione: *Canos hirſuta capillos*. Hæc de vaſis amplioris Bibliothecæ Vaticanæ feneſtris. Nunc reliquum eſt, vt ad eiuſdem Bibliothecæ cameras Cappellis Pontificijs, Concilijs, Hiſtorijs, atque Emblematis ornatas accedamus.

DE

# DE CAPPELLIS PONTIFICIIS A SIXTO V. INNOVATIS,

## *quæ in duobus Cubiculis fornicatis Bibliothecæ annexis, repræſentantur.*

EO IN CVBICVLO, quod ad Theatrum, ſiue ad Meridiem vergit, quattuor Cappellæ Pontificiæ in fornice depictæ repræſentantur, hoc eſt, ſancti Ioannis in Laterano, ſancti Pauli, ſanctæ Sabinæ, & ſancti Laurentij.

In altero, quod Septentrionem ſpectat, totidem cernuntur Cappellæ, hoc eſt, ſanctæ Mariæ Maioris ad Præſepe, ſanctæ Crucis in Hieruſalem, ſanctæ Mariæ de Populo, & ſanctorum duodecim Apoſtolorum.

*Ex cōſtitutione 24. Bullarij Sixti V.*

*S. Leo in ſer. S. Gregor. li. 40. hom. to. 2. Innoc. 3. in ſerm.*

Horum autē locorū pars maior Cappellis Pontificijs antiquitus decorabatur, præſertim vero per Summos Pontifices, quos ob eximiā vitæ ſanctitatem, rerumq. geſtarū gloriā magnos nō immerito appellamus, Leonē videlicet, & Gregoriū, quorū ſermones diuina quadā ſpiritus eloquentia pleni inter Miſſarum ſollemnia ad Populum habiti hanc rem aperte declarant. Hinc Sixtus V. vt ſanctam, & vetuſtam ſummorum Pontificum conſuetudinem innouaret, quas narrauimus Pontificias Cappellas in priſtinum ritum reuocauit, easq. in Baſilicis, certisq. almæ Vrbis Eccleſijs, Dominicis videlicet Quadrageſimæ, & Aduētus, alijsq. ſtatis ſollemnibus diebus ac feſtiuitatibus celebrandas mandauit. Vt autē huius generis innouatio pateat clarius, Cappellas, quæ inter Miſſarū ſollemnia celebrari ſolent, hoc ordine recenſere mihi viſum eſt.

## DE CAPPELLIS ADVENTVS.

IN ADVENTV, Dominica prima ad ſanctum Laurentium: Secunda, ad ſanctum Ioannem in Laterano: Tertia, ad ſanctam Crucem in Hieruſalem: Quarta, ad ſanctum Paulum. In Natali Domini, ad ſanctam Mariam Maiorem, ad Præſepe Domini, more antiquiſſimo. In Circumciſione Domini, ad ſanctam Mariam de Populo. In Epiphania, ad ſanctum Petrum. In feſto item die Purificationis in Cappella Palatina, vbi a ſummo Pontifice Candelæ benedictæ diſtribuuntur.



## DE CAPPELLIS QVADRAGESIMÆ, ET PASCHATIS.

IN die Cinerum Cappella celebratur in Eccleſia ſanctæ Sabinæ, vbi Cineres a ſummo Pontifice ſollemni more benedicti ſuper capita ad pœnitentiæ, mortisq. teſtificationem ſparguntur. Dominica prima Quadrageſimæ ob magnam ad ſancti Sebaſtiani Eccleſiam ab Vrbe diſtantiā, lociq. anguſtiā Cappella celebratur in Eccleſia ſanctæ Mariæ de Populo nuncupata, vniuerſæ Vrbis deuotione percelebri, & loci amplitudine, necnon commoditate non parū opportuna. Quibus item de cauſis Chriſti fidelium commoditati conſultū, decretumq. fuit, vt eadem Eccleſia ſanctæ Mariæ de Populo, pro ſancti Sebaſtiani Eccleſia viſitari poſſit, cum ſeptē, aut nouem Eccleſiæ de more viſitantur: Dominica ſecunda, Cappella celebratur in Eccleſia S. Pauli: Tertia, in Eccleſia S. Laurentij extra muros: Quarta, in Eccleſia S. Crucis in Hieruſalem: Quinta, in Eccleſia S. Mariæ Maioris: Dominica Palmarum in Baſilica S. Petri. Feriæ quartæ, quintæ, & ſextæ Maioris hebdomadæ Matutina, necnon Feriæ quintæ, & ſextæ, ac Sabbati ſancti in Cappella Palatina celebrātur. Dominica Paſchatis, in Baſilica S. Ioannis in Laterano, vbi Populo ſollemniter a ſummo Pōtifice benedictio datur. Die ſecūda & tertia Paſchatis in Cappella Palatina Miſſa celebratur. Sabbato itē in albis, in quo cuiuſcūque Pōtificatus anno primo, deinde ſingulo quoque ſeptēnio Agnus Dei cōſecrātur, ac diſtribuūtur.

## DE CAPPELLIS POST PASCHA IN FESTIS MOBILIBVS.

IN ASCENSIONE Domini, quo etiam die Romanus Pontifex populo ſollemniter benedicit, & in die Pētecoſtes, atque in die omnium Sanctorū Pontificiæ Cappellæ celebrantur in Baſilica S. Petri. Cōmemoratio autē omnium

omnium fideliũ defunctorũ celebratur in Cappella Palatina. In die item Feſto ſacratiſſimi Corporis Chriſti in Cappella Palatina Miſſa celebratur, fitq. proceſſio Pontificalis.

## DE CAPPELLIS FESTORVM IMMOBILIVM.

IN ASSVMPTIONE Beatæ Mariæ Virginis ad ſanctam Mariã Maiorem, de more: vbi dotes pro maritandis puellis ex inſtituto Sixti V. diſtribuuntur. In eiuſdem Natiuitate ad ſanctam Mariam de Populo. In Inuentione ſanctæ Crucis ad ſanctã Crucem in Hieruſalem. In Natali ſancti Petri, in Baſilica Vaticana eiuſdem. In Conuerſione ſancti Pauli, in eiuſdem Baſilica. In Natali ſancti Ioannis Baptiſtæ in Baſilica Lateranenſi. In die Feſto ſancti Laurentij Martyris in eiuſdem Baſilica extra muros. In Annunciatione B. Virginis in Eccleſia ſanctæ Mariæ ſupra Mineruã, vbi etiã dotes pro maritandis puellis de more diſtribuuntur.

Ceteris feſtis, ſollemnibuſq. diebus diuina officia in Cappella Palatij Apoſtolici de more celebrantur. Hæc de Pontificijs Cappellis: nunc reliquum eſt, vt occidentalium Conciliorum, quæ in Cubiculis Bibliothecæ maiori annexis depicta cernuntur, declarationem aggrediamur.

---

# DE CONCILIIS OCCIDENTALIBVS

## in Bibliotheca Vaticana depictis.

### *De Concilio Generali Lateranenſi primo.*

*S. Anton. par. 2. tit. 17. §. 10.*

CONCILIIS Orientalibus octo ad Bibliothecæ Vaticanæ dextram per Pictores repræſentatis, & qua fieri potuit, breuitate ac facilitate declaratis, ita vero, vt per pictoriam artem inibi repræſentata, atque alia, etiam abſentes percipere queant, nunc reliquum eſt, vt Concilia totidem Occidentalia in alijs Cameris Bibliothecæ maiori



maiori annexis depicta explicentur. Vt igitur a dextra exordiamur parte, Synodorum ordine id poſtulante, Concilium Lateranenſe Generale primum ſe ſe offert declarandum circa annum Domini 1159. celebratum, cui præſens adfuit Alexander huius nominis III. qui olim Federici Imperatoris iram & impetum fugiens abdidit ſe Venetias, quem deinde cognitum, & a Senatu perhonorifice ſuſceptum Othone Imperatoris filio nauali prælio a Venetis victo, captoq. Federicus ſupplex adorauit, & ad eius pedes prouolutus excõmunicationis abſolutionem obtinuit, obedientiam pollicitus, cum prius fuerit eum perſequutus, & quattuor ſchiſmaticorum Pontificum fouerit ſeditiones, quibus Romana Eccleſia mirum in modum fuit perturbata, & afflicta, Guelphorum, & Gibellinorum ſectarum tempeſtate.

*General. II.*

*Blon. l. 5. dec. 2. & Plat.*

*Genebr. & Onuphr. et Plat.*

Hoc in Concilio, quod poſt quattuor ſchiſmaticos Põtifices ex hac luce ſublatos, celebratũ eſſe credendũ eſt, Lex ſalutaris, vt ait Genebrardus, de duabus ſuffragiorũ tertijs Cardinaliũ ſancita fuit, ne tempus in poſterũ huius generis ſchiſma de ſummo Pontifice eligendo ſuboriri poſſet. Præſedit autem in hac Synodo ſummus ipſe Pontifex Alexander, vt videre eſt ad dexteram Concilij partem, trecentiq. Epiſcopi tam Orientales, quàm Occidentales interfuerunt pro moribus tam laicorum, quàm eccleſiaſticorum reformandis, necnon Vualdenſibus, & Catharis damnandis, torneamentiſq. prohibendis, vt ad dextrum Concilij angulum cernere licet, vbi mirus huius generis ludi apparatus cernitur, viro edictum manu geſtante, torneamentiq. ducem alloquente. Ex hac parte Palatium Lateranenſe, ex altera vero Roma, Tyberinumq. flumen repræſentantur. Hæretici vero, qui hoc in Concilio damnati fuerunt, ſeu pauperes Lugdunenſes, Vualdenſes dicti ſunt a quodam diuite Vualdone Lugdunenſi, qui opibus relictis, pauperibuſq. erogatis, Euangelicam paupertatem ſimulans, multoſq. ſub huiuſmodi velamine impios errores adumbrans quoſdam libros vulgari maternaq. lingua, cum idiota eſſet, ſanctorum dictis, ac teſtimonijs extortis ſibi conſcribi curauit: ſuoq. inflatus ſpiritu munus Apoſtolicũ prædicando vſurpauit. Cathari autem dicti ſunt quaſi puri propter munditiam, & puritatem, quam arrogantiſſime, & falſo

*Genebr. libro 4. anno Chriſti 1178.*

quidem oſtentabant, dicentes ſe ſine peccato eſſe contra illud Ioannis: Si dixerimus quòd peccatum non habemus, nos ipſos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt. Hinc omittebant illud orationis Dominicæ: *Dimitte nobis debita noſtra*. Hoſce hæreticos S. P. Auguſtinus in Manichæos, in Macarios, & in Cathariſtas diſtinguit. Inſcriptio autem ad vniuerſam huius Concilij picturã pertinens in hanc legitur verborũ formã:

*Ioan. 1.*

*Auguſt. li. de hær. c. 46. to. 6.*

*Alexandro III. Pont. Federico I. Imp.*
*Vualdenſes & Cathari hæretici damnantur,*
*Laicorum & Clericorum mores*
*ad veterem diſciplinam reſtituuntur.*
*Torneamenta vetantur.*

Torneamenta hoc in libro intelligũtur exercitia illa armorum vſum repræſentantia, vnde, vt plurimum, cædes, vel grauia vulnera reportantur: quæ ſi pro viribus tantum humanis experiendis, vel pro armorum vſu addiſcendo fierent, ita vero, vt vitæ corporis, animæq. periculum eis non ineſſet, licita forent, & ab Eccleſia prohibita non fuiſſent, cuiuſmodi ſunt haſtiludia, ludus Troianus, ſiue cannarum vel virgarum, quibus equites tecti clypeis ludere ſolent, & cetera id genus alia, quæ adhibito moderamine, quo cædes, & alia diſcrimina cauentur, illicita non exiſtimantur, ſed potius permittuntur. Hinc pugnans in torneamento illicito, reus homicidij, & irregularis iudicatur, ſi quis in eo etiam fortuito inter pugnantes vel extra pugnantium cœtum occidatur. interfectus autem inter pugnantes, nec non ille, qui etiam non pugnandi cauſa acceſſit, ſepultura Eccleſiæ priuatus iudicatur. Hinc mirum non eſt, ſi prima huius generis torneamẽta illicita vetentur, cum ſine animæ diſcrimine exerceri non queant. Hæc de Concilio Lateranenſi Generali primo, eiusq. Inſcriptione.

*Sext. decretal. Extrauag. titu. 9. cap. vnico.*

DE



# DE CONCILIO II. LATERANENSI OECVMENICO,

## *& duodecimo Generali, omniumq. Conciliorum celeberrimo.*

CONCILIVM hoc Oecumenicum XII. & Lateranenſe II. circa annum Domini 1215. celebratum, omnium, quæ vmquam fuerint in vniuerſa Europa, vel Eccleſia, extitit celeberrimum. Nam præter Romanum Pontificem, Innocentium huius nominis III. qui Concilio præfuit, ex quattuor orbis terrarum nobiliſſimis Patriarchis duo hac in Synodo interfuerunt, Conſtantinopolitanus ſcilicet, & Hieroſolymitanus: Antiochenſis enim excuſatione morbi legitima, ſacerdotes legatos & ſanctos miſit: Alexandrinus autem ab Aegyptijs ire vetitus ex ſuis miſit Oratores. Archiepiſcopi tum Græci, tum Latini ſeptuaginta: Epiſcopi quadringẽti, Abbates duodecim, ſacrorũ Cœnobiorum primores octingenti conſedere. Fuerunt denique in vniuerſum Patres 1285. vel 1300. vt placet Antonino Archiepiſcopo Florentino, qui mille & tercentum Epiſcopos huic Synodo interfuiſſe ait, Epiſcopos pro Prælatis, iureq. ſuffragij ferendi in Concilio inſignitos vſurpans. Græci item & Romani Imperij Legati, Regumq. Franciæ, Hiſpaniæ, Angliæ, Hieruſalem, & Cypri oratores interfuere.

*Sanctus Ant. par. 3. tit. 19. cap. 1. §. 6.*
*Aemil. lib. 5.*
*Blon. lib. 6. dec. 2. in fine.*
*Plat. in uita Innoc.*
*Sur. to. 3. Concil.*
*Genebr. libro 3. anno Chriſti 1215.*

Hoc in Concilio damnatus fuit libellus, quem edidit Abbas Ioachim contra Petrum Lombardum, Magiſtrum ſententiarum de vnitate eſſentiæ, ſiue de eſſentia ſanctiſſimæ Trinitatis. Magiſter enim in libro primo ſententiarum dixit: Quædam ſumma res eſt, Pater, Filius, & Spiritus ſanctus, & illa non eſt generans, nec genita, nec procedens. Hæc Magiſter. Ex quibus verbis, Abbas Ioachim huiuſmodi doctrinam haud recte percipiens, quaternitatem colligebat: & quartam in diuinis rem adſtruebat, huiusq. generis errorem & notam Magiſtro impingebat. Hinc damnata Ioachim doctrina, ſuper quam dictũ errorem Magiſtro Sententiarum

*Mag. ſent. lib. 1. Diſt. 5.*

 falſo

falſo adſcriptum fundabat, approbata eſt hæc Magiſtri doctrina, hunc ſcilicet in modum: Quædam ſumma res eſt, incomprehenſibilis quidem & ineffabilis, quæ veraciter eſt Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus, tres ſimul perſonæ, quarum quælibet eſt illa ſumma res nō generans, non genita, nec procedens: ſed Pater eſt qui generat: Filius qui gignitur: Spiritus ſanctus qui procedit: diſtinctiones enim ſunt in perſonis, & vnitas in eſſentia, vel in ſubſtantia, & in natura. Alius namque eſt Pater, alius Filius, alius Spiritus ſanctus quantum ad diſtinctionem perſonarum, non tamen aliud: ſed in eſſentia, & natura vniuerſa Trinitas omnino idem: tresq. perſonæ illæ diuinæ conſubſtantiales dicuntur, & ſunt.

*De ſumma Trin. cap. Firmiter.*

Hoc itē in Concilio de confeſſione auriculari ſingulo quoque anno facienda, & Euchariſtia in Paſchate recipiēda, deq. cōſecrationis verbis ſanctiones fuerūt acclamatæ, & promulgatæ: bellumq. ſacrum, quod Cruciatam appellamus, de Hieroſolyma recuperanda decretum fuit, cruce ſignatis inſtitutis. Hinc ſummus Pontifex Innocentius in ſubſellio pontificio aſſidens duos viros ad eius pedes prouolutos cruce ſignatorum duces inſtituere, Cōcilio vniuerſo ſpectante, conſpicitur. Huius Concilij Inſcriptio in hanc legitur verborū formā:

*Innocentio III. Pont. Federico II. Imp. Abbatis Ioachim errores damnantur. Bellum ſacrum de Hieroſolyma recuperanda decernitur. Cruceſignati inſtituuntur.*

*Breu. die 4. Octob.*

Ad læuam huius Concilij partem ſanctus Franciſcus Eccleſiam Lateranenſem humeris ſuſtinere cernitur. Hic enim Romam venit, vt ſui ordinis regulam ab Apoſtolica ſede confirmandam curaret, ſed ab Innocentio III. reiectus eſt. Hunc autem idem Innocentius, cum in ſomnis poſtea iſdem Franciſcus, quem repulerat, collabentem Lateranenſem Baſilicam ſuis humeris ſuſtinere ſibi viſus eſſet, conquiſitum accerſiri iuſſit, benigneq. accipiens, omnem eius inſtitutorum rationem confirmauit. Quare huius generis hiſtoria tam inſignis ad Baſilicam Lateranenſem, in qua Synodus



dus ipſa celebrata fuit, & ad eundem Pontificem pertinens hoc in loco repræſentatur, vt Inſcriptio, quæ infra legitur aperte docet hunc in modum:

*Innocentio III. Pontifici per quietem S. Franciſcus Eccleſiam Lateranenſem humeris ſuſtinere viſus eſt.*

Ad eiuſdem Concilij dextram ſanctus Dominicus flagellum manu geſtans conſpicitur. Hic enim ſanctus, quamuis ſui ordinis confirmationem ab Innocentio III. in Concilio Lateranēſi, ad quod cum Epiſcopo Tholoſano iuerat, non acceperit, ſed eiuſdem Pontificis hortatu ad ſuos pro regula ſibi deligenda remearit, & ab Honorio III. Sancti Auguſtini Regula ſuſcepta, ordinis Prædicatorum confirmationem impetrarit, hoc tamen in loco repræſentatur, propterea quòd eius conſilio, & opera Simon ille Illuſtriſſimus, & Chriſtianiſſimus Comes a monte Forti pugnam contra Albigenſes ſuſcepit: quo in prælio centum millia hæreticorum ab octo millibus Catholicis fuſa, & interfecta fuiſſe perhibentur: ex quibus, cum multi capti eſſent, centum & octoginta fuerunt concremati hæreſim abiurare renuentes. In huiuſmodi hæreticæ prauitatis extirpatione, & in prædicationis officio, a quo prædicatorij ordinis nomen deſumptum eſt, ſanctus Dominicus annos circiter decem ijs in partibus adlaborauit. Inſcriptio dictam contra Albigenſes pugnam indicans, in hanc verborum legitur formam:

*S. Dominico ſuadente contra Albigenſes hæreticos Simon Comes Montiforten. pugnam ſuſcipit, egregieq. conficit.*

Et quoniam Innocentij III. virtutem & doctrinam Beatorum Virorum, Franciſci videlicet, ac Dominici ſanctitas non parum adiuuit, hinc iure quidem vnus & item alter hoc in Concilio tamquam Eccleſiæ Catholicæ propugnacula, & fulcimenta repræſentantur.

DE

# DE CONCILIO LVGDVNENSI PRIMO, ET GENERALI XIII.

*To.3. Cōc. Anton. 3. par. ti.19. cap.5. §.1. & 2. Platina ĩ vita Innoc. 4. Genebr. li. 4. Chron. Aemil. lib. 7. Vinc. lib. 32. Spe. hiſt.*

LVGDVNENSE primum Concilium, & Generale XIII. Lugduni, Ciuitate celeberrima, totiusq. Galliæ celticæ olim emporio, in colle ſupra confluentem Rhodani, & Araris imminente: nunc vero in plano ſita, magna ſui parte Rhodano & Arari fluminibus incluſa, circa annum Domini 1245. miſſis per orbem terrarum nūncijs, celebratum fuit ſub Innocentio IIII. primo Anagniæ Pontifice, qui præſens adfuit Concilio, in quo Federicum II. Imperatorem, qui pacem inter Eccleſiam, & Imperium initam non ſemel violauit, Cardinalesq. ſanctæ Romanæ Eccleſiæ, ceterosq. Prælatos & Clericos ad Concilium proficiſcentes carceri mancipauit, regnumq. Siciliæ, beati Petri patrimonium in ſceleſtiſſimam, ac tyrannicam ſeruitutem redegit, hæreſisq. vehementi ſuſpicione laborauit, Federicum, inquam, rogatum prius & admonitum per Cardinales Legatos, deinde ad Concilium per nuncios accerſitum, eoq. proficiſci renuentem, excommunicatum, omniq. honore ac dignitate priuatum adiudicauit, adiudicatumq. promulgauit, & Eccleſiæ hoſtem declarauit, atque ad electores Imperij de nouo eligendo Imperatore ſcripſit.

*Ex Vinc. lib. 30. c. 143. et Anton. 3. par. vbi ſupra.*

Hoc in Concilio interfuerunt omnes ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales, alijq. prælati, necnon Ludouicus Rex Francorum offerens ſeſe, ſuumq. regnum in Eccleſiæ, ac ſummi Pontificis defenſionem, vt ad læuam huius Concilij videre eſt. Ad dexteram vero Innocentius IIII. ſubſellio pontificio inſidens pileo rubro Cardinales decorare cernitur: nam ad illam vſque diem huius generis galerum geſtare ampliſſimus ille Senatus non conſueuit. Quæ res vſum tandem obtinuit, & iure quidem, non ſolum vt maior illuſtriſſimo illi ordini accederet maieſtas, ſicut res ipſa poſtulat, ſed vt huiuſmodi argumento admoneantur Cardinales oportere pro Chriſtiana



Chriſtiana religione ſe ſemper paratos eſſe diſcrimini, & ſanguinem effundere, ſi opus foret. Cardinales enim ſunt Conſiliarij ſummi Pontificis, Templi Dei baſes, clariſſima Eccleſiæ lumina, & columina, veriq. cardines figurati in ijs Sacræ ſcripturæ verbis: Domini enim ſunt cardines terræ, & poſuit ſuper eos orbem. Quam ſententiam Oſtienſis ille Doctor egregius ad ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales perpulchre tranſtulit dicens: Sicut oſtium regitur cardine, ita & Eccleſia Romana conſilio regitur Cardinalium: quia etiam per ſeptuaginta illos viros ſenes, populi magiſtros, eiusq. onus ſecum ſuſtentantes, & per illos Sacerdotes Leuitici generis conſiliarios figurati ſunt. Hi autem in primitiua Eccleſia ad pium miniſterium inſtituti nonnumquā presbyteri, quandoque vero in quacumque Eccleſia principales Sacerdotes, ſeu Epiſcopi dicebātur Cardinales, ideſt principales: vt apud Gregorium Magnum videre licet: qui primates Eccleſiæ cuiuſcumque etiam Epiſcopos frequenter Sacerdotes Cardinales appellat, quibus inſtar ſeptuaginta illorum ſenum onus populi in veteri teſtamento ſuſtentantium, ad Leuitici generis Sacerdotum, animarum cura, ſpe retributionis futuræ, committebatur. Quod autem principio prorſus oneri fuit, ſummo tandem, nec immerito quidem, & oneri atque honori etiam eſſe cœpit, quando ſcilicet illi in adminiſtranda Republica Chriſtiana Pontifici ſemper præſto adeſſe cœperunt, atque ita vt inter contētiones Imperatorum, ac populi Romani de Pontifice creando nō ſemel ſubortas, auctoritatem, & prærogatiuam ipſius Pontificis eligendi ſibi iure compararint. Hinc ijs paulatim non ſolum poteſtas, ſed decus etiam & ornamentum, quod ad habitum pertinet, paulatim acceſſit, præſertim vero vbi primum ab Innocentio IIII. ſancitum fuit, vt equo deinceps inſidentes rubro vterentur galero: poſtea vero a Paulo II. Veneto veſte coccinea, cucullo inſigni, hoc eſt, Lacerna, quam ſic veteres appellant, donati fuerunt, eouſque huius generis habitum non habentes. Vnde Cardinalis nomen ita celebre paulatim redditum fuit, ita denique hic ordo ſupremus, tantoq. incremento auctus euaſit, vt ſolus ſit vniuerſæ Reipublicæ Chriſtianæ Senatus.

*1. Reg. 2. — Num. 11. — Deut. — Greg. li. 1. Epiſt. epiſt. 79. & epi. 81. & lib. 2. epiſt. 25. Et Can. 7. q. 1. Paſtoralis. — Anno Chriſti 1245. vel 50.*

Hæc de Pileo rubro, & purpurea veſte, quibus Cardinales non

non immerito decorati ſunt, vt in hoc Concilio videre eſt: in quo etiam de recuperanda Terra ſancta ſancitum fuit, Sancto Ludouico Francorum Rege, quintæ expeditionis Duce creato, qui cruce ſignatus, et in Aſiam cum exercitu profectus, quinto poſt anno in Galliam remeauit.

*Genebr. li. 4. Chron. anno Chriſti 1245.*

Nec ſilentio prætereundum eſſe cenſeo, Innocentium IIII. inter alia et permulta quidem a ſe geſta, immortalitateq. digniſſima, nuncios ex ordine Prædicatorum ad Tartaros miſiſſe pro ijs ad fidem conuertendis. Hic etiam Pontifex Petrum Martyrem ex eodem ordine ſanctorum cathalogo adſcripſit, compluresq. Cardinales, viros ſane egregios, creauit, præſertim vero Hugonem, ordinis itẽ Prædicatorum, primũ Cardinalem, virũ omni probitate ornatum, ac doctiſſimum, qui vniuerſam ſcripturam ſacram quadruplici ſenſu explanauit, et in Pſalmos luculentiſſimum edidit commentarium, Bibliorumq. indicem, quem Concordantias vocant, laborioſiſſimum ſane, et immenſi tædij, ac temporis opus, ſacrarũmq. litterarum ſtudioſis magnopere neceſſarium, primus excogitaſſe, excogitatumq. promulgaſſe, perhibetur: qui etiam in Germaniam ad Imperij electores legatus miſſus eſt pro nouo eligendo Imperatore, Federico II. dignitate imperatoria priuato, et huic Concilio Lugdunenſi primo interfuiſſe creditur. Summus autem Pontifex Innocentius multis rebus geſtis clarus Peruſij ex hac luce deceſſit. Inſcriptio, quæ huius Concilij res præcipuas exponit, in hanc legitur verborum formam:

*Vinc. Spe. hiſt. lib. 31. cap. 2. Anton. 3. par. ti. 19. c. 1. §. 3.*

*Anton. 3. par. vbi ſupra. et Six. Sen. lib. 4. Bibl.*

*Innocentio IIII. Pont. Max. Imp. Federicus II.*
*hoſtis Eccleſiæ declaratur, imperioq. priuatur.*
*De Terræ ſanctæ recuperatione conſtituitur:*
*Hieroſolymitanæ expeditionis Dux Ludouicus Francorum Rex deſignatur:*
*Galero rubro, & purpura Cardinales donantur.*





# DE CONCILIO LVGDVNENSI SECVNDO, ET GENERALI XIIII.

CONCILIVM Lugdunenſe II. & Generale XIIII. celebratum fuit Lugduni circa annum Domini 1272. Epiſcoporum 500. Abbatum 60. aliorumq. minorum Prælatorum, ac Sacerdotum fere mille, præſide Romano Pontifice Gregorio X. Placentino, qui fuit creatus Pontifex, dum in Syria legationis munere fungebatur, et Viterbij coronatus. Hic Conclaue, et eundem fere in eligendo Pontifice modum, qui nunc obſeruatur, et alia ad Conclaue pertinentia decreuit: nam ad illud vſque tempus Cardinales in Conclaui haudquaquam recludebantur, ſed ſummo mane ſingulis diebus, ſi Romæ erant, in Laterano: vel in Baſilica ſancti Petri, aut alibi, prout occaſio ſe ſe offerebat; ſi autem extra Vrbem, in Eccleſia Cathedrali illius loci, in quo morabantur, vna conueniebant, non ſecus atque hac tempeſtate fieri ſolet, dum congregatio habenda eſt.

*S. Ant. 3. par. ti. 10. 20. cap. 2.*

*Onuph. Panu. & Petr. Maturus in Chron. S. Ant. 3. par. ti. 20. cap. 2.*

Concilium hoc pro Terra ſancta recuperanda coactum fuit, necnon contra Græcos de proceſſione Spiritus ſancti a Filio: declaratum enim, definitumq. fuit, Spiritum ſanctum ab æterno a Patre, et Filio, nõ tamquam ex duobus principijs, ſed tamquam ex vno principio: non duabus ſpirationibus, ſed vnica ſpiratione procedere: damnatiq. ſunt ſub anathematis vinculo, qui aliter ſenſerint, ſeu aliter aſſerere auſi fuerint. Hinc in ipſo Concilio Articulus de proceſſione Spiritus ſancti a Patre, et Filio, dum ſollemnis fiebat luſtratio, Latine, atque Græce decantatus eſt. Quare ad dexteram huius Concilij per Pictorem repræſentati verba hæc Latinis figuris, notiſq. muſicis conſcripta leguntur:

*In 6. Decretal. de ſum. Trin. & fide Cathol. lib. 1. tit. 1.*

*Qui a Patre, Filioq. procedit.*

Ad læuam autem verba hæc Græca idem ſonantia notis item muſicis inſignita leguntur in hanc verborum formam:

ΤΟ ΠΝΕΥΜΑ ΤΟ ΑΓΙΟΝ ΕΚ ΤΟΥ ΠΑΤΡΟΣ, ΚΑΙ ΤΟΥ ΥΙΟΥ ΕΚΠΟΡΕΥΕΤΑΙ.

Id eouſque, & ad hanc vſque diem profeſſa prædicauit, & docuit ſacroſancta Romana Eccleſia, mater omniũ fidelium, & magiſtra. Hoc item habet orthodoxorum patrum atque doctorum tum Latinorum, tum etiam Græcorum incommutabilis, ac vera ſentẽtia ſicut in eodem Concilio definitũ fuit. Sunt qui velint Græcorum Imperatorem, Michaelem Paleologum, & Tartarorum Regem huic Concilio interfuiſſe, ſicut pictura ipſa monet: Imperatoriſq. auctoritate vnionem, ſiue concordiam vtriuſque Eccleſiæ, nonnullis tamen repugnantibus Græcis, initam fuiſſe affirmant. Huius generis vnionem ſiue concordiam per pictores repræſentatam ad dexteram huius Concilij partem videre eſt: vbi duæ mulieres ſe inuicem ſalutantes cernuntur, indumentis Eccleſiaſticis indutæ: quarum vna Eccleſiam Latinam, altera vero Græcã ſatis clare demonſtrant, ſi vtriuſque indumenta recte conſpiciantur. Inſcriptio vero hanc hiſtoriam declarans hunc in modum legitur:

*Ex Geneb. libro 4. 1272. Guil. Nãg. Nicephor. Greg. lib. 5. To. 3. Concil. & Blon. dec. 2. lib. 8. Et Trith. in Chron. Monaſt. Hirſ.*

*Gregorio X. Pont. Græci ad ſanctæ Eccleſiæ Romanæ vnionem redeunt.*

Hinc Michael Paleologus Imperator, vt ait Nicephorus, Romanæ & Catholicæ Eccleſiæ fidem ac ritus recipere renuentes varijs mulctauit modis, bonorũ videlicet publicationibus, relegationibus, carceribus, excæcationibus, flagris, mutilationibus, et id genus alijs pœnis. Quare Becus, Patriarcha Conſtantinopolitanus excellentis plane ingenij, ac doctrinæ vir, Imperatoris edicto de proceſſione Spiritus ſancti non obtemperans, ſeu potius aduerſans, in teterrimos carceres, vt idem Nicephorus ait, coniectus fuit: at deinceps reſipiſcens, mutata ſententia, priſtinæ dignitati reſtitutus, ab intimis Imperatoris conſilijs efficitur, atque ita, vt ſine eius conſilio nil penitus gereretur.

*Niceph. Greg. li. 5.*

*Genebr. li. 4. Chron. 1272.*

*Ibidem.*

Non



Non deſunt tamen qui affirment, non Imperatorem, ſed eius Legatos huic Synodo interfuiſſe: quæ quidem ſententia verior exiſtimatur, vt aperte colligitur ex Epiſtola eiuſdem Gregorij X. ad eundem Imperatorem eiuſq. Filium miſſa, in qua eis de vnione ab ipſis Legatis inita gratulatur.

Ad eandem Concilij dextram Sanctum Bonauenturam Cardinalem ex ordine Minorum Cathedræ inſidentem, necnon eiuſdem inſtituti Fratres ad inferiorem partem aſſidentes, & cum Græcis de proceſſione Spiritus ſancti diſputantes videre eſt. Inſcriptio ad hanc hiſtoriam pertinens, hæc eſt:

*Ex act. Cõcil. Et ex Regiſtro. Ex Guill. Nang. Et Nicephor. Greg. li. 5. Et Geneb. lib. 4. Chroni. 1272.*

*In hoc Concilio S. Bonauentura egregia virtutum officia Eccleſiæ Dei præſtitit.*

Sanctus item Thomas Doctor angelicus Neapoli degens ad hoc Concilium a Gregorio X. fuit accerſitus: ſed in itinere faciundo aduerſa valetudine impeditus in Monaſterio Foſſæ nouæ ordinis Ciſtercienſis, non procul a Terracina, & prope Pipernum caſtrum, ad duo milliaria, permanſit, vbi Cantica canticorum explanauit, ac tandem inibi ex hac luce deceſſit.

*S. Ant. 3. par. ti. 20. cap. 2. & Breu. Roman. die 7. Martij.*

Huic etiam concilio inter alios viros inſignes præſens adfuit Frater Hieronymus Minorita Aſculanus, qui fuit Nicolaus Papa huius nominis IIII. Hic Regem Tartarorum baptizandum ad Concilium duxit, vt videre licet ad huius Concilij læuam, vbi Rex ipſe ſollemni, & Eccleſiaſtica pompa baptiſmum ſuſcipere cernitur, ſicut Inſcriptio docet, quæ hunc in modum legitur:

*Rex Tartarorum ſollemniter baptizatur.*

Sunt tamen qui dicant non Tartarorum Regem, ſed eius Nuncios huic Synodo interfuiſſe: quorum vnũ a Petro Oſtienſi Epiſcopo ſollemni pompa baptizatum eſſe affirmant.

*Ex Actis Concil.*

Hoc item in Concilio cernere eſt Gregorium X. ſubſellio Pontificio inſidentem, & Regem Tartarorum humi prouolutum, ſummiq. Pontificis pedes exoſculantem, quem prope

Dd 2 Frater

Frater Hieronymus, de quo ſermonem habuimus, adſtare cernitur, ipſumq. Regem eo duxiſſe repræſentatur. Inſcriptio, quæ infra eſt, in hanc legitur verborum formam:

*Tartarorum Rex a Fratre Hieronymo ordinis Minorum ad Concilium perducitur.*

Nec a re noſtra alienum fore hoc loco duximus, ſiqua de Fratre Hieronymo, quem hac in Inſcriptione videmus nominatum, dicamus. Vt autem quod pollicemur, tum exactius tum breuius preſtare poſſimus, Epitaphium luculentum, quod in eius ſepulchro ſtatuis marmoreis inſignito inciſum legitur, hic apponendum cenſui: hac enim Inſcriptione, & eiuſdem Fratris Hieronymi laudes, & Sixti V. qui monumentum ipſum nobiliſſimum in Eccleſia S. Mariæ Maioris ædificandum curauit, animi ingenuitatem amplectemur. Epitaphium in hanc legitur verborum formam:

NICOLAVS IIII. *Ordinem Minorum profeſſus, Philoſophus, & Theologus egregius Conſtantinopolim a* GREGORIO X. *miſſus, Græcos ad R. E. communionem, Tartaros ad fidem reduxit. Poſt S. Bonauenturam Generalis, ſanctitate, & doctrina Ord. propagauit.* NICOLAI III. *nuncius inter Francorum, & Caſtellæ Reges pacem conciliauit. Sanctæ Potentianæ Cardinalis, Legatus* HONORII IV. *in Galliam, Senatoriam P. R. dignitatem ſedi Apoſtolicæ reſtituit. Factus Pontifex Remp. ſublatis diſcordijs compoſuit, Chriſtianos Principes ſacro fœdere iunxit, Ptolemaidem copijs adiuuit. Flaminiam in Pontificis iterum ditionem redegit. Publicum in monte Peſſulano Gymnaſium reſtituit. Probos, & eruditos in cognatorum loco tantum habuit. Lateranen. & hanc Baſilicam ſtructuris, & opibus auxit. Tandem Iuſtitia, & Religione orbem terræ moderatus magnæ ſanctitatis opinione obijt prid. Non. Aprilis. M. C C. XCII. Pontificatus ſui Anno V.*

DE



# DE CONCILIO VIENNENSI XV. GENERALI.

VIENNENSE Concilium Generale XV. Viennæ, quæ eſt Auſtriæ Metropolis, Vrbs inclyta, omniumq. Vrbium, quas Danubius ſuſtinet, & ædium magnificentia, & rerum copia clariſſima, celebratũ fuit circa ann. Dom. 1311. ſub Alberto I. Imperatore, & ſub Clemente huius nominis V. Hic natione Vaſco, dum erat Archiepiſcopus Burdegalenſis (nam Cardinalis, Burdegalæ degebat) ſummus Pontifex abſens creatus Peruſiæ, & Lugduni a Cardinalibus coronatus, Rege Galliæ, Rege Angliæ, ac Rege Tarraconenſi, vel Aragoniæ præſentibus, ſedem Pontificiam ab Vrbe Roma, Auenionem circa ann. humanæ ſalutis 1305. tranſtulit: ſed eam Gregorius XI. poſt ann. 70. Romam anno Dom. 1376. reduxit.

*Ex Plin. lib. 3. cap. 24. S. Ant. 3. par. ti. 21. cap. 1. Prateolus. Plat. & Palm. to. 3. conc. Ex Geneb. lib. 4. Chroni. 1311.*

Sunt qui velint huic Concilio interfuiſſe Philippum IV. cognomento pulchrum Francorum Regem, eiusq. filium primogenitum, Ludouicum ſcilicet Hutinum dictum Nauarræ tunc Regem, & Philippi fratrem Karolum Valois comitem, vt ex vita Clementis V. manuſcripta conſtat.

Huic Concilio ſummus præſedit Pontifex: præſentes autem adfuerunt duo Patriarchæ, Alexandrinus ſcilicet, & Antiochenus, Epiſcopi 300. alijq. Patres permulti contra Saracenos pro Terra ſancta recuperanda, necnon contra Templarios hæreticos, quibus condemnatis, eorum inſtituti redditus in alias ſacrorum ordinum familias fuerunt diſtributi: & quaſi dato a ſummo Pontifice ſigno e Concilio Viennenſi ob nefanda quædam ſcelera, prauasq. opiniones ad Religionem pertinentes, vniuerſus eorum ordo deletus fuit. Rex Armeniæ Regno renunciat, & in Ordinem ſancti Franciſci ſeſe abdidit.

*S. Anton. vbi ſupra. Onuphr. et Blon. dec. 3. lib. 9. Trithemius. Et Geneb. li. 4. Chronic. 1311.*

Hoc in Concilio Feſtum Sacramenti corporis Chriſti ab Vrbano IIII. inſtitutum, cuius officium cum hymno & proſa S. Thomas edidit, & ab eodem Vrbano in præmium, colum-

*Polid. Virgil. lib. 6. cap. 8.*

columnam argenteam accepit, confirmatum fuit, luſtratioq. ipſa, qua corpus Chriſti ſanctiſſimum in ferculum Feria V. poſt Octauam Pentecoſtes ferri ſolet, centum fere poſt annis Papiæ initium ſumpſit, & in hoc item Concilio fuiſſe inſtituta, atque inde ad reliquas Occidentis partes manaſſe perhibetur. *Prateolus, & Genebr. vbi ſupra.*

Eodem in Concilio Clericorum mores reformati ſunt, decretumq. fuit, vt honeſtis donarentur ſtipendijs qui in primarijs Europæ Academijs, Hebraicam, Chaldaicam, Græcam, & Arabicam linguam publice profitentes docerent, vt fides catholica apud omnes Nationes propagaretur. Conſtitutiones item, quæ Clementinæ a Clemente ipſo Pontifice editæ, & ab eiuſdem Pontificis nomine dictæ, approbatæ fuerunt, ſicut innuere videntur quattuor illi Viri, qui libros manu geſtantes in terram prouoluti, pontificiamq. benedictionem poſtulantes hoc in Concilio repræſentati cernuntur. Quæ quidem fere omnia Inſcriptiones, quæ infra leguntur, hiſce verbis comprehenduntur:

*Clemente V. Pontifice Clementinarum decretalium conſtitutionum Codex promulgatur.*

*Proceſſio ſollemnitatis corporis Domini inſtituitur.*

*Hebraicæ, Chaldaicæ, Arabicæ, & Græcæ linguarum ſtudium propagandæ fidei ergo in nobiliſſimis quattuor Europæ Academijs inſtituitur.*

Hac in Camera præter quattuor Concilia penicillo inibi repræſentata, Palatium Lateranenſe nouum & vetus depicta cernuntur: quorum alterum ad læuam, alterum ad dexteram videre eſt. De his in Emblemate 6. ſermonem habuimus. Nunc reliquum eſt, vt ad alia Concilia, quæ in altera camera repræſentantur, accedamus. *Pag. 17.*





# DE CONCILIO FLORENTINO XVIII. GENERALI,

## *Quod Græci octauam Synodum vocant.*

FLORENTINVM Concilium Generale XVIII. celebratum eſt primùm Ferrariæ, quæ eſt Ciuitas admodum nobilis a Pado flumine in Italia circumpadana dicta. Attamen inibi inchoatum, propter ingruentem peſtem abſolui non potuit: hinc ab Eugenio IIII. tranſlatum eſt Florentiam, Ciuitatem in Hetruria clariſſimam, quæ olim Fluentia, quòd ad Arni fluenta extructa ſit, dicta: & Fluentini illic Populi, Catoni & Plinio, qui nunc Florentini nomine magis auſpicato vocantur, vt Politianus in quadā ſcribit epiſtola, nuncupabātur. Nunc autē Florentia dicitur, & vere Florētiſſima vocitari poteſt, non ſolū ob mercaturæ, militiæq. peritiam, variarumq. diſciplinarū cognitionem, ingeniorumq. nobilitatem, atque ædificiorum prȩſtantiam, verum etiam ob miram Ferdinandi Medicei magni Ducis magnanimitatem, qua tota Hetruria & Florētia præſertim exultat, & gloriatur: de qua nunc illud paronomiſticum non immerito dici valet:

*Florida florenti floret Florentia flore.*

Florentinum igitur Concilium Ferrariæ inchoatum, Florentiæ abſolutum eſt, cui Eugenius IIII. præſedit anno Domini 1438. ſub Sigiſmundo Imperatore, præſentibus Ioſepho Conſtantinopolitano Patriarcha, qui Florentiæ obijt, & Ioanne Paleologo Orientis Imperatore, necnō Cardinalibus, multiſq. Epiſcopis tum Græcis, tum Latinis, Abbatibus, Monachis, & Cruceſignatis. *Genebr. li. 4. Chron. 1438. Et Prateolus.*

Hoc in Concilio primùm inter Græcos, & Latinos diſputatum fuit de proceſſione Spiritus ſancti, definitumq. fuit, explicationem verborum illam, *Filioq. procedit*, veritatis declarandæ cauſa in Concilio Lugdunenſi II. vrgente neceſſitate, & rationabiliter quidem in Symbolo fuiſſe appoſitam. Secundo de igne Purgatorij. Tertio de Papæ primatu. Quarto de Chriſti corpore in azymo, ſiue fermentato veraciter

conficiendo: ſacerdotesq. in altero ipſum Domini corpus conficere debere, vnumquemque ſcilicet iuxta ſuæ Eccleſiæ ſiue Occidentalis, ſiue Orientalis conſuetudinem. Quinto de panis tranſubſtantiatione in Euchariſtiæ ſacramento. Græca tandem Eccleſia cum Romana conuenit: Armeniq. & Indi ſacramentum Confirmationis recipientes vnitatem fidei reintegrarunt, vt Inſcriptio, quæ infra legitur, in hanc verborum formulam docet:

Geneb. lib. 4. Chron. 1438. Et Prateo lus.

*Eugenio IIII. Pontifice, Græci, Armeni, Aethyopes ad fidei vnitatem redeunt.*

Sed quoniam Beſſarion Trapezuntius, Archiepiſcopus Nicænus, & Iſidorus Archiepiſcopus Theſſalonicenſis, doctiſſimi Græcorũ in Latinis perinde ac Græcis litteris hoc in Concilio concordiæ Eccleſiæ vtriuſque fuerunt Auctores, in Cardinalium collegium cooptati ſunt.

Seſſ. 10. Ferr. to. 3.

Hoc in Concilio ſanctorum Thomæ Aquinatis, & Bonauenturæ doctrina non ſemel citatur, & laudatur.

Nec ſilentio prætereundum cenſeo quod Ioſepho Conſtantinopolitano Patriarchæ accidit. Hic enim, dum vltima ſeſſio agebatur, poſt cœnam in penetrale domus ſcribendi cauſa ſeſe recipiens, tremore, atque animi languore affectus ſubita morte occubuit. Quo in tranſitu pro ſuæ fidei catholicæ teſtimonio reliquit chirographum, in quo Pontificem Romanum, tamquam verum Ieſu Chriſti Vicarium, & ſancti Petri ſucceſſorem in vniuerſo orbe tenere primatum, animarumq. Purgatorium eſſe confeſſus eſt: quæ omnia ad illud vſque tempus fuerat inficiatus. Hinc vnus ad læuam, alter vero ad dextram Concilij cernuntur in ſuggeſto: quorum alter Concilij decreta, alter vero Confeſſionem Ioſephi Archiepiſcopi Conſtantinopolitani de igne Purgatorij, deq. primatu Petri ſcriptis mandatam promulgare repræſentantur.

DE



## DE CONCILIO XIX. OECVMENICO, ET LATERANENSI III.

LATERANENSE III. Generale & XIX. Oecumenicum contra Cõcilium Piſanum a Maximiliano I. Imperatore, & Ludouico Rege, & a quibuſdam Cardinalibus contra Iulium II. Papam coactũ, ab eodem Iulio indictum fuit, & non ſolum contra dictum Conciliabolum, ſed etiam contra Turcas, & pro Eccleſiæ reformatione, nec non pro pace inter Principes Chriſtianos componenda inſtitutum, & inchoatum, circa annum Domini 1513. eiuſdemq. Iulij II. morte interruptum, continuatum vero, & abſolutum a Leone X. Florentino ex familia Medicea. Hoc in Concilio præſentes adfuerunt Maximilianus Imperator, & Franciſcus Rex Galliæ: quibus turcicum bellum commiſſum eſt, ſicut duæ docent Inſcriptiones, quarum altera ad læuam, altera ad dextram Concilij hiſce leguntur verbis:

Genebr. li. 4. Chron. 1511.

*Iulio II. & Leone X. Pont. Max. bellum contra Turcam, qui Syriam, & Aegyptum, proxime Sultano victo, occuparat, decernitur.*

*Maximilianus Cæſar, & Franciſcus Rex Galliæ bello Turcico Duces præficiuntur.*

## DE CONCILIO TRIDENTINO GENERALI XX. ET OECVMENICO.

TRIDENTINVM Concilium, & vltimum Generale Tridenti, in Vrbe ad Atheſin ſita, in Italiæ, & Germaniæ cõfinibus coactũ, & in poſtremo Bibliothecæ loco, ſeruato temporum ordine, depictum, fuſiorem, exactioremq. poſtulat declarationem, cum ætate noſtra fuerit celebratum.

Concilium hoc contra Lutheranos, Zuinglianos, & Caluiniſtas ſub Paulo III. qui ſedit ad ann. 15. indictum fuit anno Dom. 1542. 11. Kal. Iunij anno ſui Pontificatus VIII. & anno 1545. inchoatũ die 13. menſis Decembris: deinde ſub Iulio III. qui ſedit annos 5. menſem 1. dies 10. Deinde ſub Marcello II. qui ſedit dies 28. Deinde ſub Paulo IIII. qui ſedit annos circiter V. Sed ſub Marcello ob ſuã ipſius mortẽ, & ſub Paulo IIII. ob bellum nihil actũ fuit. Poſtremo ſub Pio IIII. qui ſedit annos 5. mẽſes 5. abſoluta, & acclamata eſt anno Domini 1564. 26. Ianuarij die S. Policarpi ab eodem confirmata, cum iam diu, multumq. ab vniuerſis fidelibus fuiſſet deſiderata.

Hoc autem conciliũ non vno tantũ in loco celebratum eſt: nam primo idem Pont. Paulus III. anno ſui Pont. III. & anno Dom. 1537. pro concilio celebrando Mantuã locum aptum deſignauit, & indixit. Sed ob aliquas pactiones ſibi propoſitas a cõditione temporum, ac ſedis Apoſtolicæ, nominiſq. Eccleſiaſtici dignitate, atque libertate prorſus alienas conſilium mutauit, & concilium prorogauit ob infeſtationem, & inuaſionem Turcarum in Italiæ littoribus ſubortam.

Anno vero 1538. Vincentiam vrbem copioſam a Venetis conceſſam elegit: & Genuæ indictionis litterę promulgatę fuerũt 4. Kal. Iulij, ſed ob dilationem Patrum, qui Vincentiam ituri erant, conciliũ 1539. ad ſummi Pontificis arbitriũ ſuſpenſum fuit. Sed 1542. tandem aliquando idem Paulus III. Tridentũ locum commodum, & liberum, omnibuſq. Nationibus opportunum elegit, & anno 1543. incipiendum, & proſequendum promulgauit. Prima autem ſeſſio 1545. inchoata eſt 13. die Menſis Decembris Tridenti, Chriſto Saluatore noſtro adſpirante: Apoſtolicæ ſedis Legatis præſidentibus, Ioanne Maria Cardin. Epiſcopo Præneſtino: & Marcello Presbytero Card. S. Crucis: & Reginaldo Polo Anglo Diac. Card. ſub Karolo V. & Ferdinando Imp.

Hac in ciuitate Tridentina ſeptẽ ſeſſiones celebratæ ſunt. Deinde notis de cauſis, accedente etiam ſedis Apoſtolicæ auctoritate conciliũ Bononiam veluti ad locum magis paratũ, ſalubrem, & idoneum, et pro ſecuritate vitæ ipſorum Prælatorum tranſlatum eſt: et 1547. die 21. Aprilis Seſſio nona Bononiæ celebrata eſt ſub eodem Paulo III. Decima vero ſub eodem



eodem Pontifice, eodemq. loco, die 2. Iunij eiuſdem anni.

Verum 1551. Kalendis Maij Tridenti, quo Iulius III. Concilium reuocauit, Pręſidentibus Sebaſtiano Archiepiſcopo Sipontino, et Aloyſio Epiſcopo Veronenſi Nuncijs Apoſtolicis, tam eorum proprio, quàm Card. Marcelli de Creſcentijs, Tit. S. Marcelli, Legati abſentis nomine ob aduerſam valetudinẽ, Seſſio XI. celebrata eſt, vſque ad XVI. Seſſionem incluſiue, in qua 1552. die 28. Aprilis ob nouos in propinquis Germaniæ locis tumultus excitatos, et bellum in Italia, et Gallia ſubortum, et grauiſſimum quidem, ſuſpenſum fuit concilium.

Pius autem IIII. anno ſui Pontificatus primo 1560. Kalendis Decemb. Conciliũ Tridenti reſumendum promulgauit: et 17. Seſſio 1562. die 18. Ian. Cathedræ Romanæ B. Petri Apoſtolorũ principis cõſecrato fuit inchoata, quæ cũ reliquis ad 25. et vltimam Seſſ. vſque, Tridenti celebrata eſt: et 1563. Synodus abſoluta fuit, maxima bonorum omnium expectatione, vniuerſæq. Chriſtianæ Reipublicæ tanta vtilitate, quanta verbis vix vmquam explicari poſſet, et clauſum eſt Concilium per Ioan. Moronum, per Staniſlaum Hoſium, Ludouicum Simonettam, et Bernardum Nauagerium Card. Legatos: nã Card. Altaemps itẽ legatus, et Pij IIII. ex ſorore Nepos, honeſtiſſimis, et grauiſſimis quidem de cauſis deceſſerat.

Relatio autem facta fuit per Ioannem Moronum, et Ludouicum Simonettã legatos. Nauagerius enim ob aduerſam valetudinẽ aberat. Cardinalis vero Mantuæ 2. Martij, et Card. Seripandus ordinis Erem. S. Auguſtini, item legati 17. eiuſdem menſis ex hac vita deceſſerant 1563. Decretis autẽ Concilij ſubſcripſerunt CCLV. Patres, hoc eſt Legati quattuor, Hoſius Varmienſis, Simonetta, Moronus, et Nauagerius. Cardinales item duo non Legati, Madrutius, et Lotharingus, per quem fuit facta acclamatio. Patriarchæ III. Archiepiſcopi XXV. Epiſcopi CLXVIII. Abbates VII. Procuratores abſentium XXXIX. Generales ordinum VII.

Hoc in Concilio decretum eſt de Symbolo fidei. De Canonicis ſcripturis: de editione, & vſu ſacrorum librorum, & præſertim de Bibliorum Vulgata editione quàmemendantiſſime imprimenda in Seſſ. 4. Et de Indice librorum, et Cathechiſmo edendis, et de Breuiario, atque Miſſali reformandis,

*De Biblijs ſeſſ. 4. De Indic. Catech. Breu. & Miſſ. ſeſſ. 25. in fi.*

mandis,vt in Seſſ.25. videre licet: et horũ quattuor ſub Pio V. facta ſunt:Biblia vero ſacra Vulgatæ editionis ad eiuſdẽ Concilij Tridentini præſcriptum emendata, & a Sixto V. Pont. Max.recognita,& approbata 1590.in lucẽ prodierunt. Decretum eſt de peccato originali: de iuſtificatione: et de Septem Sacramentis:de Purgatorio,et Indulgẽtijs. Hinc multa in Eccleſia Dei reſtaurata, declarata, & reformata ſunt:& innumeræ rerum materiæ pertractatæ, & explicatæ fuerunt in honorem, & exaltationem catholicæ fidei, & animarum ſalutem.

*Legati, qui ad Sacroſanctam œcumenicam Tridentinam Synodum conuenerunt ſub Pio IIII. a principio vſque ad finem, qui fuit die iiij. Decemb. M. D. LXIII.*

HERCVLES Gonzaga S. R. E. Presb. Card. tituli Sanctæ Mariæ nouæ, Mantuanus, obijt Tridenti, die ſecunda Martij 1563. & ſepultus eſt Mantuæ.

Hieronymus Seripandus S. R. E. Presb. Card. tituli S. Suſannæ, Neapolitanus, obijt Tridenti die 17. Martij 1563. & ibi ſepultus in Eccleſia S. Marci ordinis Fratrum Eremitarum S. Auguſt. quorum olim fuerat Generalis.

Staniſlaus Hoſius S. R. E. Presb. Card. tituli Sanctæ Mariæ trans Tyberim, Polonus, Vuarmienſis.

Ludouicus Simonetta S. R. E. Presb. Card. tit. S. Cyriaci in Thermis, Mediolanen.

Marcus Siticus S. R. E. Diaconus Card. Baſilicæ duodecim Apoſtolorum de Altaemps, Germanus.

Ioannes Moronus S. R. E. Card. Epiſcopus Præneſtinus, Mediolanẽſis,in demortui Cardinalis de Mantua locũ miſſus.

Bernardus Nauagerius S. R. E. Presb. Card. tituli Sancti Nicolai inter Imagines, Venetus, in demortui Cardinalis Seripandi locum.

*Cardinales non legati.*

KAROLVS a Lotharingia S. R. E. Presbyter Cardinalis, tituli Sancti Apollinaris, Princeps, & Archiepiſcopus Rhemenſis, Gallus.

Ludouicus Madrutius S. R. E. Diaconus Cardinalis Electus Epiſcopus Tridentinus, Germanus.

*Numerus*



*Numerus Prælatorum cuiuſcunque Nationis, qui ad œcumenicam Tridentinam Synodum conuenere.*

| | | | | |
|---|---|---|---|---|
| Prælati. | Itali. | 187 | Per Procuratores. | 2 |
| | Galli. | 26 | Per Procuratores. | 1 |
| | Germani. | 2 | Per Procuratores. | 4 |
| | Hiſpani. | 31 | Per Procuratores. | 4 |
| | Luſitani. | 3 | | |
| | Græci. | 6 | | |
| | Poloni. | 2 | | |
| | Hungari. | 2 | | |
| | Angli. | 1 | | |
| | Hiberni. | 3 | | |
| | Flandri. | 2 | | |
| | Croati. | 1 | | |
| | Moraui. | 1 | | |
| | Illyrici. | 3 | | |

*Fuerunt in vniuerſum Prælati 281.*

# INDEX ORATIONVM, & Concionum habitarum ad patres Concilij Tridentini Sub Pio IIII. Pont. Max.

*Ex impreſſo Brixiæ anno 1562. iuſſu Hieronymi Card. Seripandi, Ordinis Eremitarum Sancti Auguſtini.*

## ORATIONES ANNO M.D.LXI.

Nou.30. ORATIONEM habuit ad Patres Synodi, Reuerendus Pater Camillus Papienſis, in Dominica prima Aduentus Domini.

Dec. 7. R. Maximianus Cremenſis, Ordin. minorum, nunc Epiſcopus Clodienſis, in Dominica II. Aduen.

14. R. Eugenius Piſaurenſis Ordin. S. Auguſtini, in Dominica III. Aduentus.

21. R. Laurentius Venetus, in Dom. IIII. Aduentus.

26. R. Io. Franc. Lombardus Neap. in feſto S. Stephani.

Dec.27.

Dec. 27. R. Cæſar Ferrantius Sueſſanus, in feſto S. Ioannis.
28. R. Paulus Tridentinus, in feſto ſanctorum Innocent.

ANNO M. D. LXII.

Ian. 1. R. Iulius Gabrielius Eugubinus, in feſto S. Circuncîſionis Ieſu Chriſti Domini noſtri.
6. R. Stephanus Aretinus, in feſto Epiphaniæ.
19. R. Archiepiſcopus Rheginus in inchoatione, vt vocant, ſacroſancti Concilij.
Feb. 9. Illuſt. Orator Sereniſs. Regis Luſitaniæ.
11. R. Simon Florentinus, in feria IIII. Cinerum.
15. R. Henricus Luſitanus, in Dom. I. Quadrageſimæ.
22. R. Generalis Ordin. Minorum Obſeruan. in Dom. II.
24. R. Epiſcopus Quinque eccleſienſis, Orator Cæſareæ Maieſtatis.
26. R. Archiepiſcopus Corcyrenſis, in 2. Seſſione Patrũ.
Mar. 1. R. Angelus Venetus, Ord. S. Auguſtini, in Dom. III.
8. R. Theodorus Mantuanus, in Dominica IIII.
12. R. Auguſtinus Hiſpanus, Abbas Congregationis Caſinẽſis, in feſto S. Gregorij Magni, ac Pont. Max.
15. R. Stephanus Aretinus, in Dominica V. quæ dicitur de Paſſione.
16. Illuſtriſs. Orator Regis Catholici.
18. Magnificus Orator Excellentiſs. Ducis Florentiæ.
20. Magnificus Orator Heluetiorum Catholicorum.
27. R. Ioan. Fonſeca Hiſpanus, in die Paraſceues.
Apr. 6. R. Epiſcopus Tinninienſis, Orator pro Clero Hungariæ.
25. Clariſs. Orator Ducis Venetorum.
Mai. 7. R. Taddæus Peruſinus Ordin. Erem. S. Auguſtini, in feſto Aſcenſionis Dominicæ: qui poſtea eiuſdem Ordinis fuit Generalis.
14. R. Epiſcopus ſanctæ Agathæ, in 3. Seſſione.
17. R. Petrus Fauonius Iuſtinopolitanus, in die Pentec.
24. R. P. Fontidonius Hiſpanus, in feſto S. Trinitatis.
26. Illuſtriſs. Orator Chriſtianiſs. Regis Galliarum.
Iun. 4. R. Epiſcopus Famaguſtanus, in 4. Seſſione.
27. Excellen. Orator Illuſtriſ. & Excellen. Ducis Bauariç.

Iul. 16.



Iul. 16. R. Epiſcopus Tinninienſis in 5. Seſſione.
Aug. 3. R. Procuratores Reuerendiſs. Epiſcopi Baſileenſis, & Ratiſponenſis, eodem die habuerunt Orationes.
Sept. 17. R. Epiſcopus Vigintimilienſis, in 6. ſeſſione.
Octo. 23. R. Epiſcopus Præmiſienſis, Orator Sereniſs. Regis Poloniæ.
Nou. 1. R. Franciſcus Orantes Hiſpanus, in feſto omnium Sanctorum.

# CONCIONVM INDEX.

*Omnes iſtæ Conciones habitæ ſunt vulgari, ſeu patrio ſermone; exceptis tribus, nimirum concione Paiuij, Morgati, & Fontidonij.*

ANNO M. D. LXI.

Mai. 15. R. Epiſcopus Veronenſis in feſto Aſcenſionis, concionem habuit coram Patribus Synodi.
Iul. 25. R. Epiſcopus Lerienſis, in feſto S. Iacobi Apoſtoli.
Aug. 28. R. Ambroſius Veronenſis, Ordinis ſancti Auguſtini, Prior ſancti Marci, in feſto ſancti Auguſtini.
Nou. 1. R. Sixtus Cremonenſis Canonicus Regularis in feſto Omnium Sanctorum. Hic etiam aliam habuit Concionem, die 3. Decemb. pro S. Iubilei promulgatione.
23. R. Angelus Venetus, Ordin. Carmelitarum, in Dominica vltima poſt Pentecoſten.

ANNO M. D. LXII.

Ian. 11. R. Archiepiſcopus Panormitanus in Dominica infra Oct. Epiph.
20. R. Epiſcopus Cohimbrienſis, in feſto S. Sebaſtiani.
25. R. Archiepiſcopus Panormitanus, in Dominica Septuageſimæ.
Feb. 1. R. Epiſcopus Accienſis, in Dominica Sexageſimæ.
8. R. Eugenius Piſaurenſis, Ordin. ſancti Auguſtini, in Dominica Quinquageſimæ. Qui per totum Quadrageſimæ tempus in Eccleſia Cathedrali, docte,

& ad

& ad ædificationem concionatus eſt.

Mar. 11. R. Archiepiſcopus Panormitanus, in feria quarta poſt quartam Dominicam Quadrageſimæ, qua die legitur Euangelium de cæco nato.

Apr. 12. R. Didacus Paiuius, Dominica ſecunda poſt Paſcha.

19. R. Camillus Papienſis Dominica tertia.

26. R. Aloyſius a Burgo nouo, Dominica quarta.

Maij. 3. R. Antonius Ilcinenſis, Dominica quinta.

10. R. Alexius Fiuizanius Ordin. ſancti Auguſtini, in Dominica infra octauam Aſcenſionis.

31. R. Silueſter Mantuanus Ord. Carmel. in Dominica prima poſt octauam Pentecoſtes, quæ eſt Dominica ſecunda.

Iun. 7. R. Amans Brixienſis in Dominica tertia.

14. R. Petrus Morgatus, in Dominica quarta.

21. R. Aurelius de Scyo, in Dominica quinta.

28. R. Angelus a Petriolo Ordin. min. de obſeruantia, in Dominica ſexta.

Iul. 19. R. Bartholomæus Pergulenſis Ord. min. in Dom. IX. etenim in Domin. VII. & VIII. non ſunt habitæ Conciones, ſicut nec in Dom. XI. XX. XXIIII. XXV.

25. R. Alphonſus Salmeronus Ieſuita, in feſto S. Iacobi, obijt Neap. die 13. Februarij. 1585.

26. R. Simon Florentinus in Dominica decima.

Aug. 5. R. Epiſcopus Veglenſis, in feſto S. Dominici.

9. R. Laurentius Venetus in Dominica XII.

16. R. P. Martyr Vincentinus Ord. Præd. in Dom. XIII.

23. R. Bonifacius Raguſinus Ordin. min. de obſeruan. in Dominica XIIII.

28. R. Epiſcopus Segobricenſis, in feſto S. Aug.

30. R. Lainez Generalis Ieſuitarum in Dominica XV.

Sept. 6. R. M. Antonius de Lugo Ord. min. in Domin. XVI.

13. R. Angelus Venetus Ord. S. Auguſtini, in Dom. XVII.

20. R. Theodorus Mantuanus in Dominica XVIII.

28. R. Stephanus Aretinus in Dominica XIX.

30. R. Petrus Fontidonius in feſto S. Hieronymi.

Oct. 4. R. Archiepiſcopus Panormitanus in feſto S. Franc.

11. R. Aurelius a Corinaldo Ordin. S. Aug. in Dom. XXI.

R. Hier.



18. R. Hier. Piſtorienſis Ord. Capucinorũ in Dom. XXII.

25. R. Cherubinus a Caſſia Ord. S. Aug. deinde Epiſc. Teleſij, in Dominica XXIII.

Nou. 8. R. Vincentius Meſſanenſis Ordin. min. obſeruan. in Octaua Sanctorum omnium.

15. R. Antonius de Mondulfo Ord. S. Aug. in Dom. XXVI.

22. R. Franciſchinus Viſdom. Ferrarienſis, Ord. min. in Dominica XXVII. & vltima.

ANNO M. D. LXIII.

Mar. 28. R. Stephanus Bonucius Ord. ſeruorum in Dom. Paſſ.

Apr. 9. R. Anton. Democares Gallus in die Paraſceues.

Maij. 2. R. Baſilius Piſanus Dominicanus in Dominica IIII. poſt Paſca.

9. R. Alphonſus Salmeronus Ieſuita in Dom. V.

16. R. Andreas Mandula Ord. min. in Dom. VI.

20. R. Iacobus a Paida Luſitanus in die Aſcenſ.

27. R. Aegidius Volaterranus Ord. S. Aug. in Dom. VII.

30. R. Ludouicus Ioannes Villeta in die Pentecoſtes, hac die Miſſam celebrauit Patriarcha Venetiarũ.

Iun. 6. R. Oron Scipius Hiſp. in Dom. Trinitatis.

13. R. Paulus Ferrariẽſis min. obſer. in Dom. II. poſt Pent.

27. R. Deſiderius de S. Martino Carmelita. in Dom. IIII.

29. R. Villalpanus Hiſp. in die SS. Apoſt. Petri & Pauli.

Iul. 11. R. Ioan. Bapt. Cremenſis in Dom. VI.

15. R. Epiſcopus Aliphanus in Seſſ. 7. de ordine habuit Orationem, & Miſſam celebrauit Epiſc. Pariſiẽſis.

18. Et idẽ Epiſcopus 18. Iulij habuit concionẽ Hiſpanice.

Aug. 1. R. Io. Fauentinus Ord. min. in Dom. IX. habuit conc.

5. R. Epiſc. Lancian. Dominicanus habuit concionem in die S. Dominici.

8. R. Simon Patauus ord. S. Aug. habuit cõc. in Dom. X.

15. R. Steph. Facinus Carmelita habuit concionem in die Aſſumpt. in Dom. XI.

22. R. And. de S. Bernardo ſeruita habuit conc. Dom. XII.

29. R. Deſiderius Veron. Dominicanus in Dom. XIII.

Sept. 5. R. Ioan. Franciſcus Vincentinus Minorum. obſeru. habuit concionem in Dom. XIIII.

 R. Fran-

8. R. Franciſchinus Viſdom. Ordin. min. habuit concionem in die Natiuitatis B. Virg.

12. R. qui ſupra in Dom. xv. habuit concionem.

19. R. And. Volaterranus ord. S. Aug. hab. conc. Do. xvi.

26. R. Lucretius Aſolanus Carmel. hab. cõc. Dom. xvii.

Oct. 3. R. Hieron. Pat. ſeruita habuit conc. Dom. xviii.

4. R. Franciſchinus Viſdom. ord. min. habuit concionem in die S. Franciſci.

10. R. Bonifacius Mantuanus Ord. prædic. habuit concionem in Dominica xix.

17. R. Ioan. Ant. Boſetus min. obſeru. hab. conc. Dom. xx.

24. R. Frãciſchinus Viſdom. Ord. min. hab. conc. Do. xxi.

Nou. 1. R. Petrus ſumel Hiſp. habuit orationem in die omn. Sanct. & Miſſam celebrauit Epiſcopus Lucerinus.

7. R. Hier. Venetus Carmelita habuit conc. Dom. xxii.

11. R. Epiſcopus Atrebatenſis in Seſſ. 8. de Matrimonio habuit orationem, & Miſſam celebrauit R. Epiſcopus Triuiſanus.

14. R. Alexander Scãdianus Seruita. hab. cõc. Do. xxiii.

21. R. Don Alphonſus Salmeronus Ieſuita habuit conc. in die Præſent. B. Virg.

28. R. Franciſcus Forerius Dominicanus habuit orationem in Dom. I. Aduen. & hic fuit ſecretarius Congregationis Indicis librorum prohibitorũ: hac in Dom. Miſſam celebrauit Epiſcopus Nemauſiẽſis.

Dec. 3. Miſſam celebrauit Epiſcopus Sulmonenſis, & die ſequenti fuit cõtinuata ſeſſio, & Miſſam celebrauit Epiſcopus Catinenſium Neapolitanus.

Epiſcopus Nazianzenus, & coadiutor Famaguſtanus habuit orationem: & Dei gratia impoſitus eſt finis Sacro Concilio Tridentino.

Hæc de ijs, qui in Concilio Tridentino Orationes, & Conciones habuerũt, ex cathalogo iuſſu Cardinalis Seripandi Legati collecto, cui acceſſerunt qui poſt eiuſdem Legati obitum orandi, & concionãdi munere in eodem Concilio functi ſunt: ex quibus, vt dictum eſt, poſtremam Orationem, in qua ſummatim omnia, quæ in eodem Concilio definita ſunt, quæq; ad pie credendum, & ad bene viuendum pertinent, habuit 4. die



die Decembris 1563. Hieronymus Ragazonus Venetus Epiſcopus Naziãzenus, & coadiutor Famaguſtanus. Nomina vero, cognomina, patrias, ac dignitates Prælatorũ omniũ, Oratorũ, ac Theologorũ, qui ad hanc Synodum cõuenerunt, videre licet ex Concilio Tridẽtino Venetijs in Officina Ziletti impreſſo, in quo cathalogus oratorũ, & cõcionatorũ deſideratur.

Quæ autem in depicto Concilio cernuntur Inſcriptiones, duæ ſunt: quarum vna ad dextram: altera ad læuam in hanc leguntur verborum formam:

*Paulo III. Iulio III. Pio IIII. Pontificibus Lutherani, & alij hæretici damnantur.*

*Cleri, Populiq. diſciplina ad priſtinos mores reſtituitur.*

## DE DVABVS BIBLIOTHECAE CAMERIS QVAS SECRETIORES VOCANT.

CAMERAE, quas ſecretiores vocant, in ſelectiorum codicum vſum concinnatæ infra deambulatorium illud celeberrimum, quod Galariam vulgo appellãt, Bibliothecæ ampliori adnexæ duæ ſunt: quarũ fornices ſtemmatis gentilitijs Sixti V. & Eccleſiæ inſignibus, variarũq. rerũ Symbolis, aligeriſq. puerulis, idq. genus alijs ornamentis, Inſcriptionibuſq. varia eiuſdẽ Pontificis geſta exprimẽtibus inſigniti cernũtur, ſicut quæque ſuo loco infra videre eſt.

## DE SEX INSCRIPTIONIBVS quæ in fornice leguntur.

### DE INSCRIPTIONE I.

INSCRIPTIO, quæ primam cameram ingredienti, & fornicem intũenti, primò ſeſe offert, reformationem ad mores, necnon ad ritus Eccleſiæ anti-

quioris, ſiue ad Eccleſiæ dignitatis ſanctiones pertinentes, breuiter comprehendit in hanc verborum formulam:

*Eccleſiam priſtino ſuo ſplendori reſtituit.*

## DE INSCRIPTIONE II.

Altera, quæ ſequitur, Inſcriptio grandem pecuniæ ſummam Sixti V. parſimonia, frugalitateq. pontificia ceteriſq. laudabilibus induſtrijs comparatam, & in Arcem Sancti Angeli repoſitam patefacit: ad quinque enim decies cẽtena nummum aureorum millia ad hanc vſque diem, Quinto ſcilicet ſui Pontificatus anno omnium admiratione congeſſit, & tamquam ſacrum Eccleſiæ Romanæ peculium dicto in loco ſepoſuit, ita vero, vt nullo vmquam tempore niſi in quibuſdam præſcriptis caſibus, certaq. deſuper ſeruata forma depromi queant, vt in diplomate ad hanc rem pertinente videre eſt. Inſcriptio legitur hiſce verbis: *Ex Bullario Sixti V. Diplom. 33. & in alijs.*

*Grandem pecuniam in Eccleſiæ ærarium retulit.*

## DE INSCRIPTIONE III.

Tertia Inſcriptio, Typographiam Vaticanam ab eodem Pontifice inſtitutam ad ſanctorum Patrum opera reſtituẽda, catholicamq. diſciplinam toto terrarum orbe propagandam præſeferre videtur in hanc verborum formam:

*Sanctorum Patrum monumenta*
*typis fideliter excudenda mandauit.*

## DE INSCRIPTIONE IIII.

Quarta, quæ ſequitur, Inſcriptio ingentem indicat curã, & vere Pontificiã, quã Sixtus V. toto ſuſcepit conatu pro Biblijs Vulgatæ editionis emendandis, & imprimẽdis iuxta Concilij Tridentini præſcriptũ. *Seſſ. 4.* Qua in re præſtanda tot ac tantos die noctuq. perpeſſus eſt labores, quantos vnquã verbis explicare nemo poſſet, vt mihi perſuadeo, qui huius generis labores re ipſa videns non ſemel tamquam oculatus teſtis obſtupui. Vniuerſa



Vniuerſa enim Biblia, antequam prælo committerentur, ad verbum perlegit, etiamſi quotidie in omnes totius Chriſtiani orbis curas, & grauiſſimas quidem totus incumberet, & in dies ſingulos, res ſane pias, & heroicas, ac Pontifice dignas produceret. Sacroſanctam igitur paginam perlegit vniuerſam, & emendauit, atque ita, vt omnes ſacri Codices, iuxta eiuſdem Concilij Decretum, cum omnibus ſuis partibus legantur, prout in Eccleſia Catholica legi conſueuerunt, & in veteri vulgata Latina editione habentur. *Seſſ. 4.* Nec eo contentus, vniuerſa item Biblia ſic emendata, & recenter impreſſa de integro perlegit, vt omnia fideliter recognita in lucem prodirent. Quam rem Inſcriptio, quæ infra legitur, apertis hiſce verbis breuiter patefacit:

*Sacram Paginam ex Concilij Tridentini præſcripto, quàm emendatiſſimam diuulgari mandauit.*

## DE INSCRIPTIONE V.

Quinta Inſcriptio, Lauretani oppidi ex prouincia Piceni, in ciuitatem ſublimationem, eiuſq. collegiatæ Eccleſiæ in Cathedralem, & Epiſcopalem Eccleſiam erectionem paucis complectitur verbis: *Ex Bullario Sixti V. Diplom. 34.* Nam Sixtus V. Anno incarnationis Dominicæ 1585. 16. Kal. Aprilis, anno ſui Pontificatus primo, Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine ad fidei orthodoxæ exaltationem, necnon ad fidelium Chriſti profectum, huiuſmodi fauoribus dictum oppidum cohoneſtauit, ob ſacrum domicilium illud ac toto terrarum orbe celeberrimum, diuinis myſterijs conſecratũ, Angelorumq. miniſterio illuc tranſlatum, deinde a Chriſti fidelibus ex omnibus mundi partibus deuotionis, & peregrinationis cauſa viſitatum, ac tot tantiſq. miraculis illuſtratum, in quo beata Maria ſemper Virgo nata fuit, & ibidem ab Angelo ſalutata Saluatorem mundi Spiritu ſancto concepit. Huic autem Cathedrali, & Epiſcopali Eccleſiæ, Archipresbyteratu etiam, ceteriſq. dignitatibus & emolumentis inſignitæ duo ſcutorum millia pro dote ſummus Pontifex conceſſit, ac pro diœceſi ciuitatem Recanatenſem (quæ tamen ciuitatis nomen, titulum, & priuilegia

uilegia non amiſit) Caſtrum item Ficardi, & ſanctæ Mariæ in Caſſiano, & Montisluponi, dictorumq. territoria aſſignauit: Ius vero patronatus ad præſentandum Archipresbyterum, quotieſcunque occaſio ſeſe offeret, familiæ ſuæ Perettæ reſeruauit, & conceſſit.

Decreuit interea idem Sixtus, ad maiorem loci amplitudinem, inſignioremq. ciuitatis formam, vt ciuitas ipſa Lauretana muris cingeretur, et ſingula quæque Piceni Communitas domum ſibi in ea conſtrueret. Id quod executioni mandatur. Inſcriptio autem, quæ infra legitur, huius ciuitatis ſublimationem & Eccleſiæ Cathedralis erectionem explicat hiſce verbis:

*Lauretum mœnibus cinxit, Ciuitatis iure, & Epiſcopali dignitate donauit.*

In quarum item rerum teſtimonium ad frontiſpicium dictæ Eccleſiæ Lauretanæ, quæ ſequuntur Inſcriptiones marmore inciſæ in hanc verborum hinc inde leguntur formam:

SIXTVS V. P. MAX. PICENVS
ECCLESIAM HANC EX COLLEGIATA
CATHEDRALEM CONSTITVIT
M. D. LXXXVI. PONT. I.

SIXTVS V. PONT. MAX. PICENVS
LAVRETVM OPPIDVM EPISCOPALI
DIGNITATE ORNATVM
CIVITATIS IVRE DONAVIT
M. D. LXXXVI. PONT. I.

## DE INSCRIPTIONE VI.

Sexta, et poſtrema fornicis Inſcriptio breuiter comprehendit acceſſionē Breuiario Romano factam ex eiuſdem Sixti V. præcepto: propria enim ſanctorum aliquot officia inſtituta ſunt, hoc eſt, ſancti Franciſci de Paula, ſancti Petri Martyris Ord. Prædicatorum, ſancti Antonij de Padua, ſancti Nicolai de Tolentino Ord. Erem. ſancti Auguſtini, et SS. Ianuarij et ſociorum, necnon ſancti Didaci, quem in ſanctorū numerum retulit, ab omnibus Eccleſiaſticis, ſtatutis diebus recitanda mandauit: Inſcriptio hanc rem aperte docens hæc eſt:



*Breuiarium Romanum proprijs ſanctorum aliquot officijs auxit.*

# DE EMBLEMATIS ET HISTORIIS

## necnon Inſcriptionibus, quæ ad parietes Bibliothecæ ſecretioris conſpiciuntur.

### EMBLEMA I.

*De S. Bonauentura ad Doctoratum ſublimato.*

AD PARIETES, & ad cuiuſcunque feneſtræ fornicem ſecretioris Bibliothecæ hinc inde varia Emblemata, variæ hiſtoriæ, variæq. inſcriptiones cernuntur: quorum omnium pars Sixti V. res geſtas, altera vero præcipuorum ſacroſanctæ Eccleſiæ Doctorum tam Græcorum quàm etiam Latinorum inſigniora quædam acta repræſentant. Primam ſecretioris Bibliothecæ cameram ingredienti à tergo introitus actio illa ſeſe offert, qua Sixtus V. Romæ in Baſilica SS. Duodecim Apoſtolorum ſollemni pompa præſentibus Cardinalibus, & alijs Eccleſiæ Prælatis S. Bonauenturam Ordin. Min. Card. & Epiſcopum Alban. in præcipuos & primarios Eccleſię Doctores retulit, atque inibi S. Bonauenturæ Collegiū inſtituit: ex cuius libris & commentarijs ſacra Theologia

*Ex 2. par. Bullarij Sixti V. Conſt. 10.*

Theologia publice explicatur. Inſcriptio in hanc legitur verborum formam:

*Dum Bonauentura eximios numerabitur inter*
*Doctores iuſſu maxime Sixte tuo,*
*Tu quoque Pontifices inter numerabere primos:*
*Quis ſcit an & maior fama futura tibi?*
*Tu facis, hic ſcripſit: tua grandia facta manebunt,*
*Vt Bonauenturæ grandia ſcripta manent.*

Hac in Inſcriptione Blancus Sixtum V. cum ſancto Bonauentura ſtudet conferre per apoſtrophem ad ipſum Pontificem Maximum dicens, Sixtum V. in præcipuos & primarios Pontifices (quod ad geſta eorum pertinet) adſcriptum iri, dum S. Bonauenturam inter præcipuos, & primarios Eccleſiæ Doctores annumerandũ decernit: immo dum amborũ præſtantiã, ſcriptorũ ſcilicet, factorumq. vim ac difficultatem ponderare videtur, Sixti V. maiorem futuram eſſe famam autumat, inquiens hunc facere, ſcripſiſſe illum: quamuis enim illius grandia ſint ſcripta, huius tamen grandia eſſe facta ait, quin & illis maiora innuit, ſi præclara ipſius Pontificis geſta (ijs tamen omiſſis, quæ pertinent ad ſanctitatis rationem, pontificiamq. poteſtatem, qua maior in terris nulla eſt) diligenter ſpectentur. Hæc de Inſcriptione: nunc reliquum eſt, vt ceteras Inſcriptiones ſoluta oratione confectas, necnon Emblemata diſtichis explicata exponamus.

## DE SANCTO AMBROSIO ECCLESIÆ DOCTORE.

AD DEXTRAM primæ cameræ, quam ſecretiorem appellant, ſupra coronam ad fornicem ſanctus Ambroſius Epiſcopus Mediolanenſis Ambroſij ciuis Romani filius tamquam Eccleſiæ Doctor ſcribendi actu cernitur. Infra vero coronam ad parietem repræſentatur actio illa, cũ Theodoſium Imp.





Imp. propter cædem Theſſalonicæ perpetratam, ingreſſu Eccleſiæ prohibuit. Cui cum ille, Dauid quoque Regem adulterum, & homicidam fuiſſe, dixiſſet, reſpondit Ambroſius: Qui ſecutus es errantem, ſequere pœnitentem. Hinc Theodoſius publicam ſibi ab Ambroſio impoſitam pœnitentiam ſubmiſſo animo egit. Sanctus item Ambroſius Maximum, qui Gratianum Imp. occiderat, pœnitentiam agere recuſantem a fidelium communione tamquam legatus amouit. Hic denique Catholicam fidem, & Eccleſiaſticam diſciplinam acerrime defendens multos Arrianos, aliosq. hæreticos ad fidei veritatem conuertit, & clariſſimum Eccleſiæ lumen, malleumq. hæreticorum S. Auguſtinum Ieſu Chriſto peperit. Inſcriptio autem, quæ infra legitur, hiſtoriam Theodoſij Imperatoris ſuperius enarratam complectitur hiſce verbis:

*S. Ambroſius Theodoſium Imp. propter cædem*
*Theſſalonicæ factam Eccleſiæ limine prohibuit.*

---

## EMBLEMA II.

### *De Paludum pontinarum exſiccatione.*

AD EANDEM cameræ partem ſupra feneſtræ primæ coronam, ſiccatio paludum Pontinarum illa, præclarum ſcilicet opus vndequaque laudandum, repræſentatur, hoc eſt, ingens planities, iuxta quam videre eſt Tarracinæ portum, & oppidum ipſum in paludes pronum ſupra mare in edito aſperrimoq. loco ſitum. De paludibus hiſce, ex quibus longitudine ad viginti, latitudine vero ad ſeptem milliaria factus eſt Ager, nihil eſt quòd verba hoc loco faciam: de ijs enim ſatis a me dictum eſſe reor, in Emblemate III. de Annona Vrbi, & Italiæ ſubminiſtrata. Pag. 12. Inſcriptio, quæ ad Emblema, de quo hic agitur, pertinet, infra coronam ad feneſtræ fornicem in hanc legitur verborum formam:

*INSCRIPTIO EMBLEMATIS.*

*Pontinas Sixtus potuit ſiccare paludes,*
*Fontibus vt potuit ſicca rigare loca.*

Eleganter, & ingenioſe quidem hoc diſticho Blancus, inſcriptionis auctor, paludum Pontinarum ſiccationem, aliorumq. locorum irrigationem per illam verborum antitheſim mira carminis facilitate, & felicitate comprehendit, ac ſi dicere voluiſſet, Sixtum V. eadem prouidentia, & prudentia, ac pietate, animiq. ingenuitate ac magnificentia, Pontificiaq. liberalitate paludes, exſiccare potuiſſe: quibus virtutibus ſane omnibus Quirinalem, & Exquilinum colles, ceteraq. loca, aquæ natura reluctante, rigauit, quin ampliſſimis ditauit fontibus. Vtrumque enim, ſiccatio ſcilicet & rigatio, prouidentiam, & prudentiam, ac pietatem, animi ingenuitatem, ac magnificentiam, Pontificiamq. denique liberalitatem præſeferre cernitur. De paludibus autem exſiccatis, & collibus irrigatis Emblema nuper citatum videre eſt. De hac itẽ re ingenioſum Epigramma iudicatum eſt illud, quod in aula ſancti Ioannis in Laterano ab eodem Blanco editum in hanc verborum legitur formam:

*Emblema 7. pag. 24.*

*Cynthius vt Sixtum vidit ſiccare paludes*
*Pallenti tales miſit ab ore ſonos:*
*Sol ſuus eſt terris: quid ego mea lumina fundam?*
*Nam mihi nec licuit quod tibi Sixte licet.*

Hoc Epigrammate luſu poetico Blancus, Solem ipſum ab altero ſole, ideſt Sixto V. ſuperatum fuiſſe ingenioſe commentatus eſt, dicens, peculiarem in terris eſſe ſolem, qui ſiccare illud potuit, quod ſibi non licuiſſe fatetur.

## DE S. HIERONYMO ET S. THOMA ECCLESIÆ DOCTORIBVS.

INTER primam & ſecundam feneſtram S. Hieronymus, & S. Thomas Eccleſiæ Doctores ad cameræ fornicem depicti conſpiciuntur: infra vero coronam ad parietem nonnulla notatu digna, & ad ſtudiorũ rationẽ pertinentia repræſentatur.





## DE S. HIERONYMO.

EX ALTERA huius interfeneſtrij parte ſanctus Hieronymus repræſentatur, quando iuuenilem agens ætatem, prophanorum lectionibus nimirum addictus morbo, ac verberibus miniſterio angelico fuit cruciatus. Hieronymus enim, vt ipſe fatetur, lecturus Tullium, ieiunabat: poſt noctium crebras vigilias, poſt lacrymas, quas ſibi præteritorum recordatio peccatorum ex imis viſceribus eruebat, Plautum ſumebat in manus: ſi quando in ſemetipſum reuerſus Prophetas legere cœpiſſet, ſermo tamquam incultus ſibi horrebat: & quia cæcis oculis lumen non videbat, non oculorum putabat culpam eſſe, ſed ſolis. Hinc, Deo iubente, in tam grauem incidit febrem, vt moribundus videretur, cum ſubito raptus in ſpiritu, ad tribunal iudicis pertrahitur, & interrogatus de conditione, Chriſtianum ſe eſſe reſpondit. Et ille, qui præſidebat, Mentiris, ait, Ciceronianus es, non Chriſtianus: verberandumq. ipſum tradidit, deinde eorum, qui aſtabant, precibus, veniam adoleſcentiæ, erroriq. locum pœnitentiæ tribuens, eundem verberibus cæſum, ac de prophanis codicibus tempus in poſterum non legendis deierantem dimiſit.

*Epiſt. 22. ad Euſtochiũ. to. 1.*

Hæc ex S. Hieronymi epiſtola ad Euſtochium de cuſtodia virginitatis, & fere ad verbum. Quæ omnia hiſce præſcriptis verbis affirmat dicens: Nec vero ſopor ille fuerat, aut vana ſomnia, quibus ſæpe deludimur: teſtis eſt tribunal illud, ante quod iacui: teſtis, iudicium triſte, quod timui: ita mihi nunquam contingat in talem incidere quæſtionem. Liuentes fateor habuiſſe ſcapulas, plagas ſenſiſſe poſt ſomnum, & tanto dehinc ſtudio diuina legiſſe, quanto non ante mortalia. Hæc Hieronymus ad verbum. Inſcriptio hanc hiſtoriam breuiter complectens in hanc legitur verborum formam:

*Epiſt. 22 to. 1.*

*S. Hieronymus ab Angelo per ſomnum verberibus cæſus a Ciceroniana lectione deterretur.*

## DE S. THOMA AQVINATE.

EX ALTERA eiuſdem interfeneſtrij parte Sanctus Thomas, Doctor Angelicus ſupra cameræ coronam ſiniſtra manu Eccleſiam geſtans, dextra vero, qua ſcripſit, magnum luminis ſplendorem in eam ipſam Eccleſiam immittens cernitur, ea fortaſſe ratione, qua ſplendidiſſimum Eccleſiæ lumen eſſe creditur ob ſuam ipſius Angelicam doctrinam, qua vniuerſum Chriſtianum orbem illuſtrauit. Hic enim in omni ſcientiarum genere optime verſatus doctiſſima edidit ſcripta & permulta quidem, vt omnes norunt: ſcribendi autem, resq. difficiles explicandi facilitate adeo excelluit, vt hanc ob cauſam Doctoris Angelici nomen non immerito ſit adeptus. Hinc Neapoli cum ad imaginem Crucifixi vehementius oraret (numquam enim lectioni, aut ſcriptioni abſque præuia oratione operam dedit) hanc vocem audiuit: *Bene ſcripſiſti de me Thoma*, ſicut quæ infra legitur, docet Inſcriptio:

*Sancti Thomæ de Chriſto ſcripta a Chriſto crucifixo probantur.*

---

## EMBLEMA III.

### *De vnione Chriſtianæ Reipublicæ a Sixto V. Pont. Max. conſeruata.*

AD EANDEM cameræ dextram ſupra feneſtræ ſecundæ coronam Chriſtianorum Principum concordia a pictore repræſentatur per varias animalium ſpecies, adumbrata. Leo enim intra Nauim, ſeu Cymbam ſtare conſpicitur ſupra mare, hinc inde ad littus varijs animalibus conſiſtentibus.

Nauis, ſiue Cymba Eccleſiā, Leo Sixtum Quintum repræſentat: & eſt ad ipſius ſtemmata gentilitia alluſio manifeſta.

Variæ illæ animaliū ſpecies hinc inde conſiſtentes non niſi Chriſtianæ Reipublicæ Principes, Imperatorē ſcilicet, Reges, ac Duces, eorundemq. inſignia, ſiue commētitia quædam ad aliquid



aliquid innuendum præſeferunt. Quod quidem Emblema curam Sixti V. non modicam indicat pro Chriſtianorum Principum pace ineunda, & concordia conſeruanda, ſicut ex duabus præſertim Legationibus Poloniæ, & Galliæ late patet. Qua in re præſtanda idem Pontifex mirificam prudentiam, ac ſapientiam cunctis in rebus conficiundis declaratam patefecit: ſelectiſſimos enim Patres ad legationes tanti ponderis obeundas, delegatosq. Præſules Viros ingenio, ſolertia, eruditione, atque vſu rerum præſtantes elegit. Nam pro Regni Poloniæ pace ac trāquillitate, Sigiſmundo III. Rege, Hippolytū Aldobrandinum Florentinū, S. R. E. Cardinalem, & ſummum Pœnitētiarium, Legatū a latere in Sarmatiā miſit: Præſules autē fuerunt Laurentius Blanchettus Bononienſis, Rotæ auditor. Ioannes Toloſanus Collenſis, vtriuſque ſignaturæ referendarius. Andreas Grandius Romanus, ſignaturæ iuſtitiæ referendarius. Michael Mercatus Miniatenſis Protonotarius Apoſtolicus, & Sanctiſſimi D. N. Sixti V. familiaris. *Anno Domi. 1588. Mēſe Maio.*

Ad totius Chriſtianæ Reipublicæ tranquillitatem, fidei Catholicæ, ac nobiliſſimi Regni Franciæ conſeruationem, Henrico III. Rege interfecto, Henricum Cardinalem Caetanum Romanum, & S. R. E. Camerariū, Legatum item a latere in Galliā miſit: cuius Præſules alijq. viri ſunt hi: Camillus Caetanus Patriarcha Alexandrinus, & Legati frater. Dominicus Grimaldus Genuenſis, Archiepiſcopus Auenionenſis. Alexander Caniſianus Florentinus, Archiepiſcopus Aquæſextienſis. Philippus Sega Bononienſis, Epiſcopus Placentinus. Marcus Antonius Mocenicus Epiſcopus Cenetenſis, F. Frāciſcus Panicarola Mediolanēſis, Epiſcopus Aſtenſis. Laurētius Blanchettus Bononienſis, Rotæ auditor. Ioan. Antonius Caracciolus Neapolitanus, & Guillelmus Blancus Albienſis, Natione Gallus, Protonotarij Apoſtolici, & intimi Sanctiſſimi D. N. Sixti V. Cubicularij. Hieronymus Comes de Porcia Protonotarius Apoſtolicus. Robertus Bellarminus ex Societate Ieſu Theologus inſignis. Inſcriptio ad vnionem pertinens hæc eſt: *Anno Domi. 1589. Menſe Septemb.*

INSCRIPTIO EMBLEMATIS.

*Mutua disiuncti coeunt in fœdera Reges,*
*Et Sixti auſpicijs Pax ſtabilita viget.*

DE

# DE S. IOAN. CHRYSOSTOMO ET DE S. CYRILLO.

## DE SANCTO IOANNE CHRYSOSTOMO.

AD HANC eandem Cameræ partem, atque item ſupra coronam S. Ioan. Chryſoſtomus, & S. Cyrillus depicti cernuntur. In altera interfeneſtrij parte cernitur Sancti Ioannis Antiocheni cognomento Chryſoſtomi ob aureum eloquentiæ flumen hiſtoria: qui cum eſſet Epiſcopus Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ, prauos mores, nobiliorumq. hominum viuendi licentiam obiurgans,& ad Chalcedonenſem conuentum non legitime ab Epiſcopis aliquot coactum ire recuſans, in exilium, Eudoxia in primis nitente, eijcitur: ſed paucis poſt diebus ob id ſeditione populi facta, quin admirabili ciuitatis plauſu ab exilio reuocatur: verum paſtorali munere fungi non deſiſtens, ob peſſimorum hominum conſpirationem iterum exulare cogitur, bonis omnibus reclamantibus, & hoc factum lugentibus. Concilio autem Romæ habito, Innocentij primi Pont. Max. decreto tandem reſtituitur: qui cum per Armeniam duceretur, S. Baſiliſcus martyr, in cuius templo antea orauerat, noctu ſic eum affatus eſt: Ioannes frater, craſtinus dies nos loco coniunget. Quare poſtridie, ſumpto Euchariſtiæ ſacramento, ex hac luce deceſſit: in cuius obitu, ingens Conſtantinopoli cecidit grando, & quarto poſt die Auguſta vitam cum morte commutauit. Inſcriptio autẽ, quæ infra legitur, ſancti Ioannis Chryſoſtomi exilium, præuiſamq. mortem comprehendit in hanc verborũ formam:

*S. Ioan. Chryſoſtomus bis in exilium pulſus, tandem a S. Baſiliſco martyre per ſomnium admonitus in Domino requieuit.*

IN



IN ALTERA interfeneſtrij parte S. Cyrillus conſpicitur dum philoſophum rationibus conuictum, atque humi proſtratum proterit, & conculcat, vt Inſcriptio ipſa hunc in modum docet:

*S. Cyrillus deuictum philoſophum proterit, & conculcat.*

# DE SANCTO HIERONYMO, ET S. IOAN. DAMASCENO.

## DE SANCTO HIERONYMO.

AD TERTIAM cameræ feneſtram, ſupra coronam, Templum S. Hieronymi Illyricorum Sixti V. impenſis a fundamentis extructum repræſentatur: cui etiam Eccleſiæ, Illyricorum Nationi hoſpitium, ſiue xenodochium deſtinatum, extat adnexum. Vetuſta autem Aedicula (cuius erat Titularis F. Felix Cardinalis Montaltus, nũc Sixtus V. Pont. Max.) ſolo æquata in ampliorem poſtea, inſignioremq. formam redacta eſt. Quam rem Inſcriptio in huius Templi frontiſpicio lapide inciſa explicat hiſce verbis:

*Supra feneſtram:*

SANCTO HIERONYMO DICATVM.

*Infra:*

SIXTVS V. P. M. ORD. MIN.
TEMPLVM A FVNDAMENTIS EREXIT
PONT. SVI ANNO IIII.
SAL. M. D. LXXXVIII.

In interioris Eccleſiæ frontiſpicio:

*Sixte opus hoc, munusq. tuum eſt, tibi plaudit ab aſtris*
*Illyricus toto notus in orbe ſenex.*

Blancus autem huiuſce operis pietatem inſignem perpendens ait, domũ Sixto V. in cælis a Deo parari, dum ipſe Sixtus

Sancto

Sancto Hieronymo Templum in terris ſtruit, vt Inſcriptio, quæ infra legitur, aperte docet hunc in modum:

*Dum tibi Templa locat ſupplex, Hieronyme, Sixtus,*
*Huic parat in cœlis aurea tecta Deus.*

CÆLVM hoc loco Inſcriptionis Auctor aurea appellat tecta more poetico, alludens ad colorem ſtellarum, quæ aureo colori quodam modo comparantur. Vel dixit: aurea tecta, vt per aurum, quod omnibus metallis eſt pretioſius, locum illum, in quo iuſtorum animæ perpetua beatitudine perfruuntur, more humano indicet pretioſum, & electis plenũ, qui inſtar auri in fornace probati ſunt. *Sap. 3.*

## DE S. IOAN. DAMASCENO.

AD EANDEM Cameræ partem poſtremo loco ſupra coronã in fornice ipſo cernitur S. Ioannes Damaſcenus: infra vero hiſtoria de manu eius abſciſa repræſentatur. Damaſcenus enim cum a conſilijs Saracenorum Ducis eſſet, ſcripſit libellos epiſtolares ad familiares ſuos pro venerandarum imaginum honore docte ac ſapienter demonſtrans neceſſariam diuinarum effigierum eſſe adorationem contra Leonem Iſauricum Imperatorem, qui leonem rapientem, ac rugientem agebat, dum ſacras imagines exurendas, ipſarumq. cultores interficiendos curabat. Quare Iſauricus pietatem Damaſceni ægre ferens, ſuamq. impietatem tueri cupiens, characterem Damaſceni in ſcribendo, eiuſdemq. ſtylum in dictando a notarijs imitari ſtuduit: deinde characterum Damaſceni imitatione litteras, mentito Damaſceni nomine, ad ſe miſſas de falſa ciuitatis Saracenorum proditione pollicenda effingendas doloſe curauit: easq. ad Barbarum illum Damaſci Principem miſit, alteris item ad eum miſſis, rem efficctam, & fraudulenter inuentam pro vera exponens Leo hac in re non leonem aperte iraſcentem, ſed draconem occulte inſidiantem imitatus fuit. Quare Barbarus huic impiæ falſitati fide præſtita, dextram Ioanni Damaſceno abſcindi præcepit. Damaſcenus autem vbi primum abſectam ſibi manum vidit, ſuum ingreſſus eſt cubiculum: in quo ad imaginem Genitricis Dei prouolutus inter preces, ac lacrymas ſomno correptus fuit: experrectus autem dextram amputatam diuinitus ſibi reſtitutam, lineola tamen amputationis quadam inſignitam reperit. Hæc ex Ioanne Patriarcha Hieroſolymitano. Quare infra leguntur hæc verba:

*Ioan. Patriarcha Hieroſolymitanus in vita Damaſceni.*

*In vita Ioan. Damaſceni.*



*Sancto Damaſceno falſe accuſato, abſciſa a Principe manus, diuinitus reſtituitur.*

Hæc de dextra primæ cameræ parte: nunc reliquum eſt vt ad læuam accedamus.

## DE S. GREGORIO MAGNO PONTIFICE, ET ECCLESIÆ DOCTORE.

AD LAEVAM primæ cameræ, primo loco S. Gregorius Magnus Pont. Max. ſupra coronam in ipſo fornice depictus conſpicitur: infra vero de eiuſdem Moralium inuentione miraculum repræſentatur. Tagio enim Cæſarauguſtanus Epiſcopus, vt exordium ab ouo, ſicut adagio fertur, prætercam, ab Hiſpaniæ Rege Romam ad Pontificem miſſus pro dictis Moralibus in Apoſtolicæ ſedis archiuo conquirendis, cum negotium differri cerneret, impetrauit vt ſibi in Eccleſia S. Petri per ſummũ Pontificem pernoctare ſemel liceret. Quare ea in Baſilica Epiſcopus ipſe dum intempeſta nocte orationi vacabat, ecce ſacras ædes immenſo lumine diuinitus completas, ingentemq. ſummorum Pontificum, necnon Epiſcoporum cœtum luſtrationem ſeu ſupplicationem inſignem repræſentantem, & ad Altare ſancti Petri adeuntem, eiq. honorem præſtantem: in quo ſanctorum virorum cœtu erat beatus Gregorius, qui Epiſcopum Tagionem allocutus, ſuos libros Morales in recondito quodam ſcrinio ſub Altari aſſeruatos, vltro

citroq. habito ſermone, oſtendit. Quare Inſcriptio huiuſmodi inuentionem complectitur hunc in modum:

*S. Gregorij Moralia a Tagione Epiſcopo Cæſarauguſtano in Eccleſia S. Petri diuinitus reperiuntur.*

---

## EMBLEMA I.

### *De aquis ad Centumcellas adductis.*

AD LAEVAM item primæ cameræ, quàm ſecretiorem dicunt, Ciuitas vetus (ſic præſens in tempus vocitatur, olim Centũ cellæ) Arx ſcilicet munitiſſima Mari mediterraneo adiacẽs, eiusq. Portus repræſentãtur. Hic autẽ locus nomẽ ſumpſit a ciuitate illa, olim a Saracenis diruta, quã multi Centumcellas, ob centum cellas ab Hadriano Imperatore pro cauſis dicendis ibi conſtructas vocitarunt: alij vero eũdem locum ΠΥΡΓΟΥΣ nominarunt: & Cincellũ etiã hodie appellant. Hæc loca ob aquas dulces, quæ ibi ob miram earundẽ inopiam deſiderabantur, & a Sixto V. per longos aquæductus abundantiſſime illuc adductæ fuerunt, ſupra feneſtræ primæ coronam repræſentantur. Infra vero Inſcriptio legitur hiſce verbis:

*Vrbs vicina mari medijs ſitiebat in vndis,*
*Nunc dulces Sixti munere potat aquas.*

Mirum profecto eſt, quanta carminis facilitate, Latinæq. linguæ puritate ingenij ſui acumen patefaciat Blancus. Hic enim priori verſu aquarum inopiam, poſteriore copiam venuſte & artificioſe quidem comprehendit, vbique tamen ingenij ſui dulcem, eandemq. copioſam venam, atque vberrimum doctrinæ fontem aperit, alludens, ni fallor, ad illam Tantali fabulam: quem fabulantur poetæ in ſui ſceleris vindictam ad inferos detruſum perpetua fame & ſiti torqueri, Eridani fluuij aquis ori, & pomis capiti eius imminẽtibus, ſed captationẽ fugientibus. Id quod Horatius in lib. ſerm. aperte





docuit, & in auaros perpulchre tranſtuliſſe viſus eſt, dicens: *Horat. lib. 1. Serm. 1. Sat. 1.*

*Tantalus a labris ſitiens fugientia captat*
*Flumina. Quid rides? mutato nomine de te*
*Fabula narratur.* ———— Ouidius item: *Ouid. in Eleg.*
*Quærit aquas in aquis, & poma fugientia captat*
*Tantalus: hoc illi garrula lingua dedit.*

Quare Inſcriptionis Auctor, ad locutionẽ Horatianam & Ouidianam alludens, ex primo verſu, ait Vrbem illã maritimã aquis ſalſis affluentem, dulcibus vero carentem, in medijs fere aquis olim ſitijſſe: nunc vero Pontificis munere, hoc eſt, munificentia Sixtiana nunquam ſatis laudata, dulces potare aquas. Quam rem mira carminis facilitate, & felicitate, vt ſolet omnia, paucis verbis feſtiue complexus eſt.

De hac item re Blancus aliud edidit Epigramma, quod in aula ſancti Ioannis in Laterano legitur hiſce verbis:

*Vndæ ſunt liquidæ, ſolidum ſed marmor habetur:*
*Marmor vi trahitur, ſponte ſed vnda fluit.*
*Quid mirum eſt igitur ducat ſi fornice riuos,*
*Quando etiam Sixtus marmora vaſta trahit?*

Inſcriptionis Auctor hiſce verſibus non ſolum in aquis ad Centumcellas, & ad Vrbem adductis, verũ etiam in ædificijs conſtruendis difficultatẽ, ac duplicem Sixti V. laudem comprehendit, aquis & ingentibus quidem ſaxis inter ſe collatis. Hæc hactenus, vt alia perſequamur.

---

## DE SANCTO AVGVSTINO ECCLESIÆ DOCTORE.

AD EANDEM cameræ partem in ipſo fornice Sanctus Pater Auguſtinus Eccleſiæ Doctor, malleus hæreticorum, & Epiſcopus Hypponenſis Pontificalibus veſtibus & cucullo nigro indutus cernitur: infra vero coronam actio illa repræſentatur, cum in Centumcellarum, vel Oſtiæ Ciuitatis portu, in ipſo ſcilicet maris, fluminisq. confinio puerulum nucis putamine aquam e mari haurientem inuenit, & ab huiuſmodi incœpto deſiſtendum eſſe dixit: cui puerulus reſpondit, illud fore ſibi facilius, quàm eidem Auguſtino ſecretiſſimam, & ab

ingenij humani perſpicacitate alienam ſacratiſſimæ diuinarum perſonarum Trinitatis, & Eſſentiæ vnitatis inquiſitionem, atque inueſtigationem eſſe affirmauit, vt Inſcriptio, quæ infra legitur, hiſce docet verbis:

*Puerulus nucis putamine aquam e mari hauriens*
*S. Auguſtinum a Sanctiſſimæ Trinitatis*
*indagatione dehortatur.*

---

## DE S. THOMA AQVINATE, ET SANCTO BONAVENTVRA ECCLESIÆ DOCTORIBVS.

AD EANDEM Cameræ, eiuſdemq. interfeneſtrij partem, S. Bonauentura Balneoregienſis, Cardinalis, & Epiſcopus Albanenſis, necnon eximius Eccleſiæ Doctor ſupra coronam in ipſo fornice depictus cernitur: infra vero actio illa repræſentatur, qua S. Thomas Aquinas, Eccleſiæ item Doctor eundem Bonauenturam adiuit ſalutandi gratia, eumq. vitam Sancti Franciſci ſcribentem reperiens idem Beatus Thomas Sanctum adhuc viuentem appellauit, dicens: Sinamus Sanctum pro Sancto laborare, vt aperte docet Inſcriptio, quæ infra legitur hiſce verbis:

*Sanctus Thomas Sanctum Bonauenturam*
*pro Sancto Franciſco laborare ſinit.*

---

## EMBLEMA II.

### *De quinque decies centenis nummum aureorum millibus in Arcem Sancti Angeli repoſitis.*

AD ALTERAM eiuſdem partis Cameræ feneſtram ſupra coronam ærarium Pontificium repræſentatur per arcam quandam ſeris occluſam, & Leonem deſuper



deſuper iacentem, atque Eccleſiæ claues geſtantem, necnon per Angelum tenẽtem in ſublimi Tiaram Pontificiam, quam Regnum Mundi appellant, hinc inde imaginibus, vel ſymbolis humi conſiſtentibus, quæ Chriſtianos Principes Eccleſiæ Sanctæ Romanæ, Catholicæ ſcilicet fidei operam laturos, vt ſuperius dictum eſt, repræſentant: Angelo item ad partem alteram clauem, & enſem geſtante. Infra vero Inſcriptio in hanc legitur verborum formam:

*Quæ fuit a parco congeſta pecunia Sixto,*
*Turcæ erit exitium, præſidiumq. Petri.*

Duo in omnibus humanis actibus potiſſimum inſpici debent, modus ſcilicet agendi, & finis actæ rei: quæ quidem in præclariſſima Sixti actione erudite obſeruat Blancus: priore ſiquidem verſu modum colligẽdæ pecuniæ, poſteriore vſum, & finem collectæ venuſte comprehendit: ſicut enim Princeps, qui ad pecuniæ collectionem animum adijcit non tyrannica vi, aut alijs modis illegitimis, ſed honeſta & legitima via, qualis eſt parſimonia, quæ a ſapientibus olim magnum vectigal dicta eſt, conficere debet, ita Sixtus, qui omnia recte peragit, incredibili parſimonia intra paucos dies tantam pecuniæ vim, quantam nullus antea Pontificum, confecit. Quod priore, vt diximus, verſu denotat Blancus, dum eum parcum appellat epitetho non ocioſo, quaſi dicat, Sixtum V. ex parſimonia ſua pecuniam congeſſiſſe: idq. clarius expreſſit Inſcriptionis Auctor in euchariſtico ſuo Carmine dicens:

*In tua congeſtos retuliſti æraria nummos,*
*Quos efferre poteſt non niſi cauſa grauis:*
*Nec tibi theſauros vis vlla tyrannica fecit,*
*Sola manus tantas parca parauit opes.*

Vſus autem collectæ pecuniæ, vt etiam tradidimus, accurate conſiderari debet, vt non ad fouendam auaritiã malorum omniũ radicem, non ad prodigalitatem, non ad voluptates, & mollities, alioſve execrandos vſus, ſed ad neceſſarios, honeſtos, & laudatos comparetur. Vſus autem publicæ pecuniæ (quod in ſuo ea de re Diplomate præſenſit Sixtus V.) eſt præſidium & ornamentum Reipublicæ: exitium, & interitus hoſtium,

*Ex Bullario Sixti V. Conſtit. 11. par. 1. Et par. 2. conſil. 1. 8.*

hoſtium,quando pecunia a veteribus belli neruus appellatur. Vſum igitur explicat Blancus dum ait:

*Turcæ erit exitium, præſidiumq. Petri,*

Hoc eſt, Romanæ, & Apoſtolicæ ſedis. Huc ſpectat eiuſdem Blanci locus in Euchariſtico ſuo dicens:

*Turca rues: tantos Arx alia ſeruat in vſus:*
*Quas ſummus Princeps accumulauit opes:*
*Quosq. ſibi belli neruos confecit abunde,*
*Vertet theſauros in caput ille tuum.*
*Infelix tu Turca rues hoc nomine; Felix,*
*Quòd tu felici ſub Duce Turca rues.*

Et vt locum Blanci obiter illuſtrem, ſciendum hanc ingentem pecuniam a Sixto V. collectam repoſitam eſſe in mole Aelij Hadriani,quam hodie Caſtellum S. Angeli dicimus,ob eamq. cauſam Arcem æliam is appellat ab Aelio Hadriano Imp. qui eam extruxit. Hanc item rem Blancus decantauit Epigrammate alio, quod in aula Sancti Ioannis in Laterano legitur hiſce verbis:

*Aurum lege ſua Plato quondam exegit ab Vrbe,*
*Lege ſua id Sixtus condit in arce Pater.*
*Scilicet aurum eſſe excidium Plato cenſuit Vrbis,*
*Vrbis præſidium Sixtus id eſſe probat.*

Qui autem plura ad id ſpectantia & ſcitu digna noſcere cupit, ad dictum Diploma, ſeu ad alteram huius generis Inſcriptionem ſuperius declaratam confugiat. *Pagina 228.*

## DE S. GREGORIO NAZIANZENO, ET SANCTO ATHANASIO ECCLESIÆ DOCTORIBVS.

IN ALTERO eiuſdem læuæ interfeneſtrio Sanctus Gregorius Nazianzenus, & S. Athanaſius Eccleſiæ Doctores ſupra cameræ coronam depicti cernuntur: infra vero eorundem actiones duæ præcipuæ conſpiciuntur.

Ex altera parte Sanctus Gregorius Nazianzenus, qui ob ſingularem diuinarum litterarũ ſcientiam, Theologi nomen conſe-



conſequutus eſt, primum Saſimorum, deinde Nazianzi Epiſcopus, repræſentatur. Poſtremo autem Conſtantinopolim ad eam regendam Eccleſiam cum fuiſſet accerſitus, eam ciuitatem hæreſum purgatã erroribus ad Catholicam fidem reduxit. Quã ob rem, cum prauorum hominum odium ſibi paraſſet, ob idq. magna inter Epiſcopos facta fuiſſet ſeditio, ſpõte abdicans ſe Epiſcopatu, illud Prophetæ dictum vſurpauit dicens: Si propter me commota eſt hæc tempeſtas, deijcite me in mare, vt vos iactari deſinatis. Hinc Nazianzum redijt. Inſcriptio autem, quæ infra legitur, hanc rem aperte hiſce indicat verbis:

*S. Gregorius Nazianzenus ob commotam inter Epiſcopos ſeditionem Conſtantinopolitano Epiſcopatu ſponte ſe abdicauit.*

In altera interfeneſtrij parte Sanctus Athanaſius Epiſcopus Alexandrinus, & Eccleſiæ Doctor cernitur, qui multas Arianorum inſidias perpeſſus eſt: quarum vna, cum de magica arte falſo fuerit accuſatus, & diuina ope liberatus, per demortui manum, quæ hic conſpicitur, in locum iudicij delata, repræſentatur, & per Inſcriptionem, quæ infra legitur, aperte indicatur hiſce verbis:

*S. Athanaſius de maleficio iniuſte accuſatus Dei beneficio iuſte liberatur.*

## EMBLEMA III.

*De Scala ſancta a Sixto Quinto in ſplendidiorem locum tranſlata.*

AD TERTIAM eiuſdem læuæ Cameræ feneſtram ſupra coronam celeberrima illa Scala ſancta pretioſo, ſalutariq. Chriſti ſanguine conſperſa in nobiliorem, commodioremq. locum tranſlata, ſacrarumq. hiſtoriarum picturis, alijſq. ornamẽtis ad deuotionem, medita-

meditationemq. excitantibus mirificè inſignita, necnon Palatij & Baſilicæ Lateranenſis frontiſpicia ſplendidiſſima repræſentantur: cuius rei tranſlationem inſignem duobus hiſce verſibus comprehendit Blancus:

INSCRIPTIO EMBLEMATIS.

*Scalas innocuo conſperſas ſanguine Chriſti*
*Conſtituit Sixtus ſplendidiore loco.*

Hæc Inſcriptio adeo facilis eſt, & clara, vt expoſitione non indigeat. Hanc eandem tranſlationem decantauit Blancus argutiori quidem Diſticho, quod in Palatio ad Thermas legitur hiſce verbis:

*Quot transfert ſacro perfuſos ſanguine Chriſti,*
*Tot ſibi conſtituit Sixtus ad aſtra gradus.*

Hoc eſt, tot gradus in cælum aſcendendi ſibi parat Sixtus, quot ſunt Scalæ ſanctæ gradus pretioſo Chriſti ſanguine perfuſi, & ab eodem Sixto tranſlati.

## DE SANCTO BASILIO MAGNO ECCLESIÆ DOCTORE.

AD HVIVS læuæ angulum ſupra coronam S. Baſilius ob omnium doctrinarum, ſanctæq. vitæ excellentiam cognomento Magnus, necnon Epiſcopus, & Eccleſiæ Doctor depictus cernitur: infra vero repræſentatur actio illa, qua Valens Imp. pro tribunali ſedens eum in exilium eijcere conatur. Baſilius enim Dei Filium Patri conſubſtantialem contra Valentem Imp. hæreticum defendens, huius iras expertus eſt. Fuit tamen eiuſdem Filij Dei ope ab ijs liberatus: cum enim Valens impiæ ſententiæ vacaret, ſubſellium, in quo Valens ſcripturus erat decretum de eijciẽdo e ciuitate Baſilio, fractũ fuit: tribusq. ab eo calamis adhibitis ad ſcribendam exilij legem, nullus eorum reddidit atramentum: cumq. in propoſito ſcribendi impium decretum perſiſteret, ipſius dextera diſſolutis neruis tota contremuit. His commotus Valens chartam

tam



tam vtraque manu conſcidit. Hinc Auctor Inſcriptionis per luſum quendam paronomaſticum ſatis venuſtum, hunc in modum hiſtoriam breuibus enarrat verbis:

*S. Baſilium miraculis præpotentem in exilium eijcere Imperator Valens non valuit.*

## EMBLEMA IIII.

### *De Canonizatione S. Didaci Complutenſis ex ord. Sancti Franciſci.*

AD POSTREMVM primæ Cameræ, quam ſecretiorem dicunt, parietem e regione introitus Canonizatio Sancti Didaci Complutenſis ordinis S. Franciſci luculentiſſime per pictores repræſentatur: quam Sixtus V. Pont. Max. admiranda pietate, ſollemni ritu, frequentiſſimo cleri, populiq. conuentu in Baſilica S.Petri celebrauit VI. Nonas Iul. Anno Dom. M. D. LXXXVIII. pietate florẽtiſſimo Hiſpaniarum Rege Catholico Philippo II. poſtulante. Quare Blancus huius Sancti Canonizationẽ eleganti celebrans hexaſticho, quod infra legitur, ait Sixtum V. manum ſuã inuictam, qua homines facinoroſos, & præſertim prædones hinc inde fuſos ab Italia expulit, in cælum ſuſtuliſſe pro Didaco Cœlitibus, vel ſanctis ciuibus adſcribendo, eiusq. feſto die inſtituendo: eundemq. Pontificem ob ſua ipſius geſta & præclara quidem, ſolum & polum, hoc eſt cælum & terram iam ſibi demeruiſſe, perbelle cõcludit. Inſcriptio legitur in hanc verborum formam:

INSCRIPTIO EMBLEMATIS.

*Poſtquam Italis fuſos prædones expulit oris,*
*Suſtulit inuictas Sixtus ad aſtra manus.*
*Et Didacum æthereis adſcripſit ciuibus, illi*
*Thura dedit, feſtos inſtituitq. dies.*
*Sic tu Sixte tibi potuiſti ingentibus actis*
*Demeruiſſe ſolum, demeruiſſe polum.*

Ii Perpul-

Perpulchra eſt profecto atque adeo facilis, feſtiuaq. huius Inſcriptionis concluſio non ſolum ob eiuſdem verbi repetitionem, verum etiam ob illam ſoli & poli paronomaſiam, concurſionemq. ſyllabarum ſatis hoc loco iucundam, qua ſumma Sixti V. laus concluditur ex Italia ſicarijs & facinoroſis hominibus liberata, Canonizationeq. ſancti Didaci celebrata. De huius ſancti Canonizatione, ac vita Petrus Galeſinius Protonotarius Apoſtolicus, & Franciſcus Peña Auditor Rotæ conſcripſerunt. Franciſcus autem Auantius Venetus, bonarum artium ſtudioſus, vtramque editionem ex Latina lingua in Italicam emendatiorem feliciter tranſtulit.

---

## DE ALTERA BIBLIOTHECAE CAMERA, quam ſecretiorem appellant.

### EMBLEMA I.

### *De Obeliſci Vaticani tranſlatione.*

AD ALTERIVS Cameræ introitum a tergo ſupra portam, tranſlatio Obeliſci Vaticani erectio, ac locatio, hoc eſt, trabes ferro connexæ, funibusq. inuicem compactæ, ſcalæ, rudentes, ſubductuarij funes, necnon alia id genus inſtrumenta ad tantam molem transferendam, erigendam, locandamq. neceſſaria, equi item vehicularij non pauci, hominesq. permulti huic rei agendæ incumbentes per pictores repræſentantur: atque ita, vt ex pictura ipſa quiuis facile dignoſcat, quanta rei fuerit magnitudo, humaniq. ingenij ad tantam rem præſtandam excellentia. Id quod Dominicus Fontana Comes Palatinus, & Eques aureatus, necnon Sixti Quinti Architectus ex Pago Milì Agri Nouocomenſis, qui Romæ quattuor Obeliſcos tranſtulit, erexit, & locauit, ty-





pis, ſeu formis æneis, & Italico idiomate fuſius & expreſſius in ſuo de ædificijs Sixtianis libro ob oculos ponit.

Blancus autem, qui res Sixti Quinti immortalitate digniſſimi perpendit, hac Obeliſci trãſlatione miram eiuſdem Pontificis præſtantiam ingenioſe decantat hunc in modum:

INSCRIPTIO EMBLEMATIS.

*Saxa agit Amphion, Thebana vt mœnia condat:*
*Sixtus & immenſæ pondera molis agit.*
*Saxa trahunt ambo longe diuerſa: ſed arte*
*Hæc trahit Amphion, Sixtus & arte trahit.*
*At tantum exſuperat Dircæum Amphiona Sixtus,*
*Quantum hic exſuperat cetera ſaxa lapis.*

Hac in Inſcriptione eſt luſus quidam poeticus, argutaq. comparatio, Amphionis, & Sixti V. in trahendis ſaxis. Amphion enim, vt poetæ fabulantur, Iouis filius a Dirce matre Dircæus dictus, fuit Muſicus tam inſignis, vt teſtudinem a Mercurio dicatur accepiſſe, eiusq. ſono ſaxa ad Vrbis Thebanæ conſtructionem attraxiſſe, vt Horatius in Arte poetica teſtatur aperte dicens: *Orat. in arte Poet.*

*Dictus & Amphion Thebanæ conditor arcis*
*Saxa mouere ſono teſtudinis, & prece blanda*
*Ducere quo vellet.*

Quod ideo finxerunt Poetæ, quoniam eloquij ſuauitas homines rudes & incultis moribus, ad obſequij ciuilis pellexit diſciplinam. Hinc Horatius cum dixiſſet: *Sono teſtudinis*, addidit: *Et prece blanda*. Quare Inſcriptionis Auctor effictam Thebarum conſtructionem eo modo enarratam ad ſuum transfert propoſitum inquiens, Amphionem, & Sixtum traxiſſe ſaxa, longe tamen diuerſa: Adde etiam quòd diuerſa item arte: ita vero ſicut ſermo a fune, effictumq. a vero diſtant. Quare ad hunc ſenſum, ni fallor, Blancus hexaſtichi concluſionem direxiſſe videtur dicens, tantum a Sixto V. Amphionem in trahendis ſaxis fuiſſe ſuperatum, quantum cete-

ra ſaxa ab huius generis Obeliſcis ſuperari conſtat. Hoc autem hexaſtichum extat etiam in libro epigrammatum Gulielmi Blanci ſuperioribus annis edito.

Hæc de Obeliſci Vaticani tranſlatione: de Obeliſcis autem nihil eſt quòd hoc loco ſermonem habeam: nam de ijs necnon de eorundem Obeliſcorum Scriptoribus in prioribus Emblematis, quod ad meum inſtitutum pertinebat, ſatis dictum puto. Addam tamen, Michaelem Mercatum Protonotarium Apoſtolicum, Virum profectò eruditum, de Obeliſcis tum generatim, ſiue in vniuerſum, tū denique ſingulatim ac nominatim de ijs, qui nunc Romæ a Sixto V. erecti ſunt, multa abſtruſa, ac ſcitu digniſſima non minus curioſe quàm docte, Etruſca lingua ſcripſiſſe: quæ in lucem prodierunt.

## EMBLEMA II.

### *De Tholo Sancti Petri.*

E REGIONE ſuperioris Emblematis Tholus Sancti Petri, eiuſdemq. Baſilicę nouæ frontiſpicium, magnificis porticibus hinc inde ornatum, ad id celebritatis, & perfectionis, quam habere debēt, efficta cōſpiciuntur, atque ita vt nihil hac re pulchrius, nihilve admirabilius fere deſiderari, nedum inueniri queat. De huiuſmodi ædificio tam excellenti, omniq. laude digno, a Iulio II. Pont. Max. olim inchoato, in Emblemate primo de Sixti V. Coronatione verba fecimus. Hinc alia de hoc Tholo ſcire cupientes eo confugiant. Huius Emblematis Inſcriptio in hanc legitur verborum formam: Pagina 4.

INSCRIPTIO EMBLEMATIS.

*Pontifices olim quem fundauere priores,*
*Præcipua Sixtus perficit arte tholum.*
*Et tantum Sixti ſe gloria tollit in altum,*
*Quantum ſe Sixti nobile tollit opus.*
*Magnus honos magni fundamina ponere Templi,*
*Sed finem cœptis addere, maior honos.*

Hac



Hac Inſcriptione Blancus huius Tholi, ſeu potius Baſilicæ nouæ fundamenta ab alijs ſummis Pontificibus iacta fuiſſe ait, eamq. omnibus ſuis numeris abſolutam ad finem vſque iam fere deſperatum a Sixto V. Deo opitulante, deductum iri affirmat: tantamq. Sixti gloriam inter alios Pontifices fore auſpicatur, quantam huius generis opus adeo nobile, famam & admirationem inter cetera ædificia adipiſci poteſt. Huc accedit quòd multo maiorem gloriam conſequitur qui rerum cœptis finem imponit, quàm qui earundem iecit fundamenta. Hæc ex Blanco: cetera adeo plana ſunt, vt declaratione non indigeant, hinc reliquorum Emblematum expoſitionem aggrediendum eſt, vt Bibliothecæ Vaticanæ finem tandem aliquando imponamus.

## EMBLEMA III.

### *De Lauretana Ciuitate.*

HOC Emblemate ad dextram huius Cameræ partem ſupra feneſtram primam Lauretum toto terrarum orbe celeberrimum, in quo extat ſacrum illud Cubiculum diuinis myſterijs inſignitum, vbi B. Maria ſemper virgo nata & ab Angelo ſalutata, Saluatorem mundi de Spiritu ſancto concepit, repræſentatur. Quibus de cauſis Sixtus V. ad omnes res pias, ac præclaras producendas natus, Lauretum oppidum Piceni in Ciuitatem ſublimauit, quam etiam augēdam mandauit: & Eccleſiam Lauretanam ex Collegiata in Cathedralem, & Epiſcopalem erexit. Hinc Blancus hæc omnia a Sixto V. inſigniter acta duobus tantum verſibus, vt infra, eleganter hunc in modum comprehendit:

INSCRIPTIO EMBLEMATIS.

*Lauretum muris, Paſtore, & ciuibus auctum*
*A Sixto, & Sixti laus ſimul aucta fuit.*

His verſibus Auctor Inſcriptionis laudem Sixti V. augeri, perinde atque Lauretum ipſum ab eodem Pontifice, & muris

ac

ac domibus, ciuitatiſq. nomine, Epiſcopaliq. dignitate auctum, illuſtratumq. fuit. Huius generis ſublimationem, quæ hoc in Emblemate tamquam tenui penicillo deſignata eſt, & vt ſic dixerim, ſuperficie tenus adumbrata, in altera eiuſdem argumenti Inſcriptione ſoluta oratione exarata, quæ in fornice alterius cameræ ſecretioris cernitur, ſatis diffuſe explicauimus. Huc item ſpectat quod in Palatio Lateranenſi ab eodem Blanco editum legitur hiſce verbis:

*Pagina 229.*

*Fœtam Vrbem populis Piceno in littore Sixtus*
*Mœnibus incinxit, Pontificemq. dedit.*
*Sic teneros ſeptis includit villicus agnos,*
*Cuſtodemq. illis donat habere ſuum.*

Hæc autem hactenus, vt cetera, quæ ſuperſunt declaranda perſequamur.

---

## EMBLEMA IIII.

### *De Equorum Phidiæ, & Praxitelis tranſlatione.*

*Bartholomaus Marlianus lib. 3. cap. 21. & 22.*

EMBLEMATE hoc ad eandem cameræ partem ſupra ſecundam feneſtram Mons Quirinalis a Quirini Fano, vel a Quiritibus, qui cum Tatio a Curibus venientes ibi caſtra poſuerunt, olim dictus: nunc vero, ab Equis illis marmoreis & celeberrimis quidem, Mons Caballus vulgo vocitatus, necnon dictorum Equorum tranſlatio repræſentantur. Hinc Auctor inſcriptionis hunc in modum ait:

*Sixtus Equos transfert geminos, quos finxerat olim*
*Artificum e Pario marmore docta manus.*

Hac Inſcriptione Blancus in tranſlatione ipſa enarranda duo præcipua, lapidis ſcilicet, & Artificum excellentiam breuiter comprehendit, dum illos equos è Pario marmore, & a docta virorũ manu exculptos fuiſſe dicit. Parius enim lapis, a Paro Inſula maris Aegæi, dictus, non eſt Lydius, quo aurum probatur, ſed marmor candidum, omnium optimum, & ad deorum ſimulacra olim maxime expetitum, ex quo dicti equi dicuntur exculpti. Equorum Artifices Phidias & Praxiteles fuerunt, Statuarij inſignes. Ille, vt Plinius ait, artifex numquam ſatis laudatus, in ebore longe citra æmulum clarruit: dijs tamen, vt Quintilianus ait, quàm hominibus effigiandis melior. Inter illius opera maxime commendata eſt Mineruæ ſtatua, quam Athenis ex Ebore fecit XXVI. cubitorum altitudine, in cuius clypeo Amazonum pugnam, & Gigantomachiam inſculpſit: in ſoleis vero centaurorum, & lapitharum certamen. Inter alia ipſius opera proximã commendationem meruit Iuppiter Olympius ex ebore: & Romæ in porticibus Octauiæ Venus.



*Plin. lib. 36. cap. 5.*

*Gabr. Francicanus libro 1. & 3. de Antiq. Calaber.*
*Ex Plin. vbi ſup.*
*Ex Valer. Max. li. 8.*

Praxiteles autem, vt ait Gabriel Barrius Francicanus, fuit homo Calaber ex oppido, Peripoli olim dicto, nunc Amygdalia, vulgo Mendolia, in extrema Italiæ ora, quam Magnam Græciam vocant, natus, marmoris gloria ſe ipſum ſuperauit, Plinio teſte, duplici præſertim Venere nobilitatus, Gnidia, & Coa, quæ ob artis præſtantiam, magnam mortalium vim eas in Inſulas ad ſui ſpectaculum allexerũt: hinc quendam Iuuenem Gnidiæ veſano amore captũ, in Templo delitẽtem cum ſimulacro coiuiſſe aiunt. Equũ item, viſa equæ ſtatua, hinnitum edidiſſe, & canes aſpectu canis effecti latratum emiſiſſe, taurumq. marmoreæ vaccæ concubitum Siracuſijs appetijſſe ferunt. Fecit et Niobis in ſaxum olim, vt fabulantur Poetæ, transformatæ ſtatuam pulcherrimam a Græcis Poetis celebratam: de qua hoc Epigramma ad verbum latinitate donatum extat in hanc verborum formam:

*Ouid. 6. Metamor.*

*Ex vita me dij fecerunt lapidem, ex lapide vero*
*Vitam Praxiteles iterum fecit.*

Item Auſonius:

*Viuebam, ſum facta ſilex, quæ deinde polita*
*Praxitelis manibus viuo iterum Niobe.*
*Reddidit artificis manus omnia, ſed ſine ſenſu:*
*Hanc ego, cum læſi numina, non habui.*

Hic denique ob artis ſtatuariæ excellentiam ciuitate Romana donatus, eam egregijs ſignis ornaſſe commemoratur, Triptolemo præſertim, Flora, & Cerere, quæ in hortis Seruilianis,

*Ex Plin. vbi ſup.*

*Ex Plin. vbi ſup.*

lianis, necnon Boni euentus, & Bonæ fortunæ ſimulacris, quæ in Capitolio, & alijs plurimis, quæ paſſim hinc inde Romæ extare dicuntur. Hæc mihi dicenda viſa ſunt ad equorum Artificum nobilitatem, & excellentiam declarandam.

Duo autem equi marmorei Bucephalum Alexandri equũ repræſentantes, quorum alterum Phidias, alterũ vero Praxiteles ſculpſiſſe dicuntur, in monte Quirinali ſuper baſes lateritias abſque marmoris incruſtatione cum Aurigis, ſeu potius Domitoribus marmoreis, coloſſea forma, Alexandrum repræſentantibus, ob vetuſtatem ſatis conſumpti viſi ſunt hiſce litteris marmore inciſis:

OPVS FIDIAE. OPVS PRAXITELIS.

*Publ. Victor. var. lect.*

Sunt qui velint hos equos Romam a Tiridate Armeniæ Rege aſportatos, & Neroni donatos: Id autem ego non niſi de equo Phidiæ dici poſſe reor, cum Praxitelem extra Italiæ oras fuiſſe non conſtet. Adde etiam quòd Publio Victore teſte, erat Romæ in ſeptima regione via, quæ lata dicebatur, locus ab Equo Tiridatis Regis Armeniæ nomen habens, vbi de vno tantum equo loquitur. Hinc nonnulli Praxitelem in vrbe Roma, vbi eum floruiſſe multaq. ſimulacra exculpſiſſe volunt, equũ illum ad Phidiæ æmulationem effinxiſſe aiunt.

Sunt præterea qui per eadem illa Simulacra duorum Iuuenum coloſſea magnitudine equos efferos domãtium, Caſtorẽ & Pollucem, quibus domandi artem tribuerunt, intelligẽdos eſſe velint. Id quod rationi omnino refragatur. Caſtoris enim & Pollucis ſtatuæ vel ſtellatæ effingi ſolent, vel inſtar earum, quæ nuper ad gradus Capitolinos collocatæ cernuntur pileatæ, ac tenentes equos cicuratos, & manſuetos. Maior tamen hominum pars per eadem ſimulacra Alexandrum Magnum actu domandi Bucephalum, ferociſſimum equum, a duobus Artificibus Græcis mira ſtatuariæ artis excellentia præditis ad æmulationem repræſentatum ſentit, & affirmat.

Per coloſſeas item Statuas illas, Alexandrum Magnum, & Bucephalum eius equum repræſentatos fuiſſe, vetera numiſmata cum ipſius nominis Inſcriptione Græca docent; quæ ſtatuarum eandem referunt effigiem. Thoraces vero & Loricæ

Loricæ



Loricæ iuxta Alexandri Magni ſimulacra Gentes domitas, ſibiq. ſubiectas præſeferunt.

Varia autem numiſmatum genera ſunt, quæ Alexandri Magni effigiem, ac Bucephalum eius equum repræſentant: alia enim ſunt ærea, alia argentea, alia vero aurea. Quædam ex altera facie eiuſdem Alexandri imaginem habent, cum hiſce litteris Græcis, ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΣ, vel ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΜΑΚΕΔΟΝΩΝ, ideſt Alexandri Regis Macedonum. Ex aduerſa vero parte habent eundem Alexandrum actu domandi Bucephalum. Quædam autem ex altera parte Alexandri effigiem, & ex poſtica, vel eundem Alexandrum equo inſidentem habent, vel equum alatum, quem pegaſum dicunt, ad eiuſdem Alexandri famam innuendam: cuius ſymbolum inter alia eſt equus alatus. Quædam denique Alexandri habent effigiem, & alia, quæ longum eſſet recenſere. In gemmis autem, & præſertim amethyſto, gemma purpurea, ad colorem vini accedente, et in violam deſinente, ſola Alexandri imago ſculpta conſpicitur, vel Alexander Bucephalum domatum tenens. Hæc autem omnia, multoq. plura ad hanc rem pertinentia penes Annibalem Zitellium a Rocca contrata, conciuem meum, multæ quidem eruditionis virum aſſeruantur. Quamuis vero effigies Alexandri omnes tam in nummis, quàm in gemmis inciſæ eandem ſimulacrorum ad Quirinalem extantium effigiem referre inueniantur, ſi capillitium, frons, naſus, genæ, mentum, necnon labia conferantur: ego tamen numiſma primo loco ſuperius nominatum incidendum; atque hic apponendum curaui, cum in eo Alexander magnus actu domandi Bucephalum repræſentetur. Nec cuiquam mirum videri debet, ſi poſitura, vel ſituatio ſimulacrorum non ſit omnino eadem cum ea, quæ in nummis apparet: id enim vel ob multas eorundem non ſemel inſtauratorum tranſlationes factum eſſe, vel modum domandi inter marmora ſculpenda, cudendaq. numiſmata arbitrarium fuiſſe cenſendum eſt.

*Idem ſupra pagina 180.*

# EX NVMMO AEREO.




Plin. lib. 34. cap. 5. Hoc autē opus Latinorū eſſe non videtur, ſed Græcorum, ſi Plinio credimus, qui, vt ceteros ſcriptores ſilentio prætereā, ait, Græcos Artifices nihil velare, cuiuſmodi ſunt duæ illæ ſtatuæ nudæ: Latinos vero velamen, ſeu thoraces, vel indumentū addere ſolere. Nec quiſquam mirari debet, excellentes viros hanc decertandi prouinciā ſuſcepiſſe, ſi Alexandri Magni nomen celeberrimum, & Bucephali generoſitas, atque ferocitas, (Diod. Sic. lib. 17. Plin. li. 8. cap. 42.) miraq. eiuſdem Alexādri in Bucephalo edomando laus ſpectentur. Bucephali nomē Græce Taurinū caput ſignificat: atque illud ei impoſitū iudicatur, vel ex eo quòd taurinā truculentiam, vel formam referret, vel quòd taurinum caput armo haberet impreſſum. Tanta autem huius equi ferocitas erat, vt nemini tractabilis videretur, nullumq. ſeſſorem admitteret. (Plutarch. ī vita Alexandri.) Quare Philippus vbi primum ab Alexandro filio Bucephalum edomitum vidit, ſpectatoribus admirantibus, illacrymaſſe, Alexandrumq. exoſculans, ei dixiſſe fertur:

*Regnum tibi quære: Macedonia enim te non capit.*

Duæ illæ igitur Statuæ equos efferos domantes Alexandrū Magnū & Bucephalū repræſentāt. Num vero Phidias, & Praxiteles eas effinxerint, nonnulli dubitarūt, dicentes Phidiam (Plin. lib. 34. cap. 8.) Athenienſem floruiſſe, vt ex Plinio colligitur, Olympiade 83. & 300. circiter ann. ab Vrbe condita, & 115. ann. antequam Alexander Magnus regnare cœpiſſet. Quæ quidem ſententia (Euſeb. in Chron. & 36. c. 5.) ab opinione Euſebij aborrere non videtur, qui narrat Phidiā vixiſſe Olympiade 85. anno mundi 4760. Alexandrum vero Olympiade c.xi. anno mundi 4860. Plato itē, quē ante Alexādrū regnārē ann. circiter 20. fuiſſe narrat Euſebius, de Phidia (Plutarch in Pericle 30. 1.) ſtatuario, & Protagora mentionem facit. Plutarchus denique ait,



ait, Phidiam mortuū fuiſſe tēpore Pericli, qui eū carceri mācipauit, & centum, eoq. amplius ann. ante Alexandrū regnauit.

Praxiteles autem duos fuiſſe, alterum ann. circiter 30. antequam Alexander regnare cœpiſſet: alterum vero ann. circiter 160 Alexandro poſteriorem extitiſſe ex Plinio item colligitur: (Plin. lib. 34. cap. 8. & 36. c. 5.) quorum prior in marmore, quàm ære felicior: poſterior argenti cælator clariſſimus fuit. Hinc coloſſeas Statuas illas, de quibus nūc ſermo habetur, Phidiæ & Praxitelis opera eſſe nō opinantur, etiamſi eiuſdem Alexandri Magni tempore floruiſſent, cum Lyſippo ſoli, clariſſimo ſtatuario, Alexandri imaginē, dum hac fruebatur luce, effingere; & nonniſi Apelli pictoriam artem optime callenti pingere licuiſſe conſtet.

Ego vero, qui ex ſupputationibus, atque ex pluribus eiuſdem nominis rebus falſas opiniones, ſeu deceptiones ſuboriri nō ſemel expertus ſum, coloſſea illa Simulacra nonniſi Phidiæ & Praxitelis opera eſſe puto atque affirmo, quippe qui duas haſce Inſcriptiones marmore vetuſtiſſimo ad baſes earundem Statuarum inciſas ſexcenties me legiſſe memini in hanc verborum formulam:

OPVS FIDIÆ. OPVS PRAXITELIS.

Nec facile adduci poſſum, vt has Inſcriptiones ſuppoſititias eſſe, atque id a quopiam effictum fuiſſe credam, vt ex ijs inſcriptionibus maior ijſdem ſtatuis auctoritas aut exiſtimatio tribueretur. Artifices enim dictarum Statuarum fuiſſe excellentes, & in primis claros, ipſamet ſimulacra ſatis declarāt. Præterea ſicut de his Inſcriptionibus, ita de omnibus alijs, quæ in excellentiſſimorū Artificum ſimulacris inciſæ paſſim conſpiciuntur, poterit dubitari. Eſto autem quòd huiuſmodi Statuæ in Græcia, vt reor, ſint effictæ, ac tempore Conſtantini Magni Romam ad ipſius Thermas exornandas tranſuectæ, deinde ad eas Quirinalis partes, in quibus ad hāc vſque diem extant, tranſlatæ, ac Romæ ijſdem Statuis ſubiectæ fuerint Inſcriptiones illæ, quas hoc loco appoſuimus: id tamen vel a Conſtantino Magno, vel a quopiam præpotenti Principe, vel viro bonarum litterarum, atque hiſtoriarum, ſiue antiquitatum non ignaro factum eſſe credendum eſt, cum huius generis facinus tam illuſtre non niſi ad Principes & præclaros viros pertinere conſtet. Id quod priuati homines, bonarumq.

artium ignari, vel tentare auſi non fuiſſent, vel illud idem facere ijs non fuiſſet permiſſum. Adde etiã, quòd Inſcriptio ipſa cubitali characterũ forma exarata, elegantem, & pulcherrimam litterarum antiquitatem redolet illam, quæ temporis Conſtantini, ac futuris deinde temporibus deſiderabatur: & marmor, in quo inciſa erat Inſcriptio, ab eorundem ſimulacrorum colore nulla ex parte diſtare iudicatum eſt.

Nec noſtris hiſce rationibus videtur aduerſari orthographia, in Inſcriptione operi Phidiæ ſuppoſita, in qua Auctor Inſcriptionis Fidias pro Phidias ſcribendũ iudicauit: ide nim nec minus accurate, nec indocte quidem factum eſſe cenſeo, dum hunc ſcribẽdi modũ in alijs Inſcriptionibus, & plane inſignioribus, ac perantiquis obſeruatũ fuiſſe video. Nam ſicut TRIVMPVS, & TRIVMFVS, ac TROPAEVM abſque aſpiratione pro TRIVMPHVS, & TROPHAEVM a Latinis & doctis viris aliqua tẽpeſtate, & frequenter quidem ſcribi ſolebat, vt a nobis iam diffuſe demonſtratum eſt; ita etiam quandoque ab iiſdem Romanis, & ſane eruditis viris F, pro Ph, paſſim vſurpatum fuit, ſicut ex Inſcriptionibus tum priuatis, tum publicis, quas infra videre eſt, late patet. Pag. 18.

*INSCRIPTIONES PRIVATAE*

*De vſu litteræ F, pro PH.*

*Afrodiſia* apud Fuluium Vrſinum. *Fileros* ad S. Pauli Baſilicam. *Filonius* in Aedibus Columnenſium. *Filo*, inter Quirinalem et fontem Triuij. *Filumena* in Aedibus Bruti Gothfredi, ad S. Agnetis Eccleſiam. *Hierofanta* ad S. Petri Aedes. Saluiæ *Dafnæ* in vinea Matthæi Morelli in aſcenſu Quirinalis. *Symfor* ad S. Angelum in foro Piſcario in pariete domus. *Trofimus* Anagniæ ad Cathedralem Eccleſiam.

*INSCRIPTIONES PVBLICAE*

*De vſu litteræ F, pro PH.*

*Triumfator* in Aedibus Capranicorum in Inſcriptione Flauij Eugenij, de Conſtantino, et Iuliano Cæſaribus.

*Triumfator* in Aedib. Franc. Liſchæ, in Parione, de Arcadio.

*Triumfatores*, ad forum Traiani in Inſcript. Saturnini ſecundi, de Valentiniano, et Valente Cæſaribus.

*Triumfis*, in vetuſta Obeliſci ad Ædes Lateranenſes tranſlati Inſcriptione: in qua Michael Mercatus inuenit *Triumfis*.

*Aſulæ*



*Aſulæ in Eccleſia maiori S. Andreæ, in columna.*

DIV. FL. IOVIANO
TRIVMFATORI
SEMPER AVG.

Simulacra igitur coloſſea illa, vt rem tandẽ concludamus, ad Quirinalem montem prope Palatium Pontificium collocata, quæ olim lacera, et obſcuro loco, hominũq. aſpectui nõ accommodato extabant, nunc vero iuſſu Sixti V. Pont. Max. inſtaurata, et in nobiliorem, commodioremq. locum tranſlata, Alexandrum Bucephali domitorem repræſentant: eaq. Phidiæ ac Praxitelis opera eſſe, non modo vetuſtæ, ſed etiam nouæ docent Inſcriptiones, quas infra videre eſt.

*Ad baſem Equi Phidiæ Inſcriptio.*

PHIDIAS NOBILIS SCVLPTOR
AD ARTIFICII PRAESTANTIAM
DECLARANDAM
ALEXANDRI BVCEPHALVM
DOMANTIS EFFIGIEM
E MARMORE EXPRESSIT.

*Ad baſem Equi Praxitelis Inſcriptio.*

PRAXITELES SCVLPTOR
AD PHIDIAE AEMVLATIONEM
SVI MONVMENTA INGENII
POSTERIS RELINQVERE CVPIENS
EIVSDEM ALEXANDRI
BVCEPHALIQ. SIGNA
FELICI CONTENTIONE
PERFECIT.

Ad Ba-

*Ad Baſis Equi Phidiæ dextram hæc item legitur Inſcriptio :*

SIXTVS V. PONT. MAX.
SIGNA ALEXANDRI MAGNI
CELEBRISQ. EIVS BVCEPHALI
EX ANTIQVITATIS TESTIMONIO
PHIDIAE ET PRAXITELIS AEMVLATIONE
HOC MARMORE
AD VIVAM EFFIGIEM EXPRESSA
A FL. CONSTANTINO MAX. E GRAECIA
ADVECTA SVISQ. IN THERMIS
IN HOC
QVIRINALI MONTE COLLOCATA
TEMPORIS VI DEFORMATA, LACERAQ.
AD EIVSDEM IMP. MEMORIAM, VRBISQ.
DECOREM IN PRISTINAM FORMAM
RESTITVTA HIC REPONI IVSSIT
AN. M. D. LXXXIX. PONT. IIII.

Hac ſeſe offerente occaſione, ſilentio prætereundum nō eſt, Quirinalem collem, ſeu Montem, vt nunc vocant, Caballum, & equorum inſtauratione ac tranſlatione, necnon alijs de rebus ſplendidiorem, eiusq. incolis commodiorem, ſalubrioremq. reddi. Nam ab equorum loco porta ipſa Nomentana ſeu Pia ab equis ad quingentos paſſus diſtans ſpectatur, via ipſa nunc palmos circiter tredecim aliquo in loco excauata, & quaſi ad perpendiculum complanata, ſemitisq. ex vtraque parte lapideis, ac prominentioribus deambulationi commodis, multisq. ædificijs ornata, palatio præſertim Pontificio a SIXTO V. in ampliorem, nobilioremq. formam redacto, fontibusq. humanæ vitæ neceſſarijs, necnon aquis Felicibus ditata, ex quibus innumeræ commoditates eandem viam incolentibus, aliorumq. locorum accolis oriuntur, præſertim vero mulieribus pauperculis, lauatricibus, quibus ex aqua Felici ad Thermas Diocletiani prope viam Quirinalem, ſiue Piam, amplum lauacrum muris cinctum Sixtus V. conſtruendum mandauit: in cuius rei teſtimonium ad lauacri portam hæc legitur Inſcriptio lapide inciſa:



SIXTVS PP. V.
PAVPERVM
COMMODITATI
MVLIERVM
EXTRVI FECIT
A. M. D. LXXXVIII.

Huc etiam ſpectat illud eiuſdem Blanci Epigramma in hanc verborum formulam:

*Qua lauet immundos mulier paupercula pannos,*
*Felicem Sixtus ſuppeditauit aquam.*

Hæc de Phidiæ, & Praxitelis operibus, eorumq. tranſlatione, ac monte Quirinali, Via, atque ædificijs illuſtrato, vberrimisq. aquis ditato. Quæ quidem omnia Blancus omni felicitate, ac facilitate, quattuor, vt infra, verſibus comprehendit in hanc verborum formam:

*Structa domus, ducti fontes, via aperta, caballi*
*Tranſpoſiti, atque vno eſt area ſtructa loco.*
*O felix nimium via, equi, domus, area, fontes,*
*Dum viuent Vatis carmina, SIXTE, tui.*

Hæc de colle Quirinali in commodiorem, illuſtrioremq. formam redacto SIXTI QVINTI mandato. Reliquum eſt autem, vt cetera eiuſdem cameræ Emblemata explicentur.

EM.

## EMBLEMA V.

### *De Montalti in ciuitatem ſublimatione, & ampliatione.*

*Ex Bullario Sixti V. par. 1. Conſtitut. 48.*

AD LAEVAM cameræ ſupra feneſtram primam, Patria SIXTI V. oppidum ſcilicet Montaltum in Piceno, & in edito loco ſitum, muris vndique cinctum, & collegiata Eccleſia ornatum, nunc autem ab eodem Pontifice erga Patriã pietate, ac liberalitate in Ciuitatem ſublimatum, necnon Cathedrali, & Epiſcopali Eccleſia inſignitum repræſentatur: in qua ſublimatione, & erectione præſtanda idem Sixtus Diœceſi, ac dote Ciuitatem donauit, ſicut etiam de oppido Lauretano, & oppido Sancti Seuerini ex Piceno idem factum eſſe conſtat. Hinc Auctor inſcriptionis ad Epiſcopalem dignitatem alludens ait:

*Ex eodem Bull. Conſtit. 34. & 49.*

INSCRIPTIO EMBLEMATIS.

*Montaltum Sixto Patrem donauit habere,*
*Montalto Sixtus donat habere Patrem.*

Hac inſcriptione Blancus ſub patris nomine, & more poetico ludit dicens, Sixtum V. in remunerationem ſui patris Patrem ſpiritualem, Epiſcopum ſcilicet Patriæ antidorice donaſſe: quæ enim a Latinis remunerationes, a Græcis antidora nuncupantur: ſunt enim ea omnia, quæ pro acceptis muneribus redduntur. Locus autem adeo facilis eſt, vt declaratione non egeat. Eiuſdem Montalti muris olim etiam vndiq. cincti in ciuitatem ſublimationem, ſeu loci ampliationem ſub mœniorum nomine videtur ſpectare illud Epigramma, quod in Palatio Lateranenſi legitur in hanc verborum formam:

*Cum te Sixte olim ſub luminis edidit oras*
*Patria, dicta fuit tunc tua vera Parens.*
*Sed modo, dum firmis circumdas mœnibus illam,*
*Quis Patriæ verum te neget eſſe Patrem?*





Hoc Epigrammate Blancus Sixtum Quintum a Montalto, cuius fuit alumnus, ob dicti loci ſublimationem, & ampliationem Patrem Patriæ appellat, quam Parentem eſſe ait, Terram olim ſcilicet Montalti Ripanæ diœceſis, quæ natalibus eiuſdem Sixti V. felicem præbuit ortum. Nec ſilentio prætereundum videtur, quid pro Montalto ampliando, & illuſtrando ſingulos in dies præſtetur. Palatijs enim, alijsq. ædificijs conſtruendis, vijsq. ſternendis nauatur opera. Epiſcopium item, habitatio ſcilicet Epiſcopi conficitur, & quidquid ad Ciuitatis ampliationem, commoditatem, ac decorem ſiue ſplendorem pertinet, ſumma fit diligentia. Mons denique pro ciuitate amplianda complanatur: nihilq. pro hac re præſtanda prætermittitur. Hæc de Montalti ſublimatione, atque ampliatione, vt ad Bibliothecæ Vaticanæ deſcribendæ finem properemus.

---

## EMBLEMA VI.

### *De Fonte Capitolino.*

AD EANDEM Cameræ partẽ ſupra ſecundam feneſtrã Fons Capitolinus in Capitolio, iuſſu Sixti V. nuper conſtructus, & Felici aqua donatus, repræſentatur. Capitoliũ enim mons eſt celeberrimus, in quo erat Arx Romanorũ munitiſſima, varijs ornata marmoribus, ſedes, & domus omniũ triumphorũ, quo in loco Auguſtus tributarium vidit orbem. Erant ob id in Capitolio deorum templa, ſacella, & aræ, aliaq. plurima ædificia publica, ſtatuæ aureæ, & argenteæ Regum Romanorum, & aliorum virorum illuſtrium, vt ait Plinius: quin Eutropius nullam niſi auream, aut argenteam ſtatuam inibi poni potuiſſe affirmat. Erant præterea vaſa aurea, & argentea, atque cryſtallina permulta, ærearumq. tabularum, in quas inciſæ erant & monimenta publica & leges, tria millia. Capitolium quater incẽdium paſſum eſſe narratur: mons au tẽ ante Vrbem conditã Saturnius a Saturnia ciuitate in radicis monte ſita, dictus eſt: deinde capitolium a capite Toli hominis illic inuẽto, dum tẽpla Iouis aperirentur fundamenta.

*Ex Barth. Marl. lib. 1. Topogr. Vrb. Romæ cap. 1. Et ex Andr. Palladio.*

*Arnobius aduerſ. Gent.*

Dictus & antea eſt Tarpeius,hinc Auctor Inſcriptionis,Montem Capitolinum,Tarpeium ſcilicet, habere iterum fontem, qualem tamen non habuiſſe ait hunc in modum:

*INSCRIPTIO EMBLEMATIS.*

*Fontem rurſus habet ſedes Tarpeia, ſed quem*
*Non habet, infenſi dum timet arma Tati.*

Argutus eſt hoc loco Blancus, Poeta, vt alias interim laudandas illius animi dotes prætercam, nobiliſſimus, & ætate noſtra florentiſſimus: ſed hac Inſcriptione,tum ob hiſtoriam, & fabulam,tum etiam ob phraſim poeticam non ſatis clarus, ne dicam, obſcurus. Dicam tamen quæ ſentio, quæq. ab hiſtoricis, & poetis accepi,hoc eſt a Varrone, Plutarcho, Virgilio, & a Propertio in primis, qui huic obſcuritati lucem videtur afferre. Romulus enim cum bella contra Tatium Sabinorum Ducem tractaret, ac Tarpeio cuidam Arcem tuēdam dediſſet, filia eius Tarpeia incidit in hoſtes, ad fontem aquatum profecta: quam cum ad proditionem arcis cohortarentur, illa pro præmio quidquid in ſiniſtris brachijs portarent, ſibi dari popoſcit, armillas intelligens, quas illi aureas gemmatasq. læuo in brachio ferebant. Itaque proditione arcis facta,hoſtes ingenioſa ipſius morte promiſſum perſoluerunt, eam oculis orbatam, ſcutisq. non armillis, obrutam eodem in monte ſepelientes: ex cuius morte, atque ſepulchro, ipſi monti nomen Tarpeiæ indiderunt, Tarpeiusq. mons tempus in poſterum dictus eſt, deinde multis poſt annis Capitolinus, vt præſens in tempus vocitatur. Hoc igitur in Capitolio, ædificijs, ac ſtatuis marmoreis, atque æneis, picturisq. pulcherrimis, alijsq. ornamentis, vt ætas noſtra fert, inſignitó, in quo etiam Populi Romani Senatus reſidet, nunc fons ſatis nobilis conſtructus cernitur, aquæ Felicis vbertate ditatus. Hinc, vt reor, Auctor inſcriptionis ait, Tarpeiam ſedem, hoc eſt, Montem Capitolinū rurſum habere fontem,ſed non qualem habuit, dum timuit infenſi arma Tati, hoc eſt Titi Tatij acerrimi Pop. Rom. hoſtis, Sabinorum Ducis. Et niſi dicamus, hac in Inſcriptione tempus pro tempore poſitum eſſe per

*Propert. li. 4. Eleg. 2. & 4.*



per figurā illam Grāmaticis notam, ſenſus rationi congruens haud quaquā elici poteſt: præſens enim, vt opinor, hoc loco pro præterito ponitur, hoc eſt, Tarpeius mons rurſus fontem habet,ſed non qualem habuit,infelicē ſcilicet, infelicisq. proditionis cauſam occaſionalem, vt aiūt naturalis philoſophiæ profeſſores. Ex hoc enim fonte, qui nunc extat, non niſi felicia augurari licet, cum ſit Felici aqua repletus: hinc Capitolium non habuit, qualem nunc habet fontem. Num ego Blanci ſententiam fuerim aſſequutus, iudicet ipſe: Adlaboraui tamen ego, vt quod rationi videtur conſentaneum, dicerem: mihi enim coniectare, ſed non diuinare, datum eſt.

Hæc de Emblematis,Bibliothecis, Cōcilijs,& Inſcriptionibus verſu,& ſoluta oratione cōfectis. Cetera autē,quæ pro arbitrio Pictorū ad parietes vtriuſque ſecretioris Cameræ, & ad ipſos tum earundem,atque aliarum, tum etiam Bibliothecæ amplioris fornices, ſtemmata gentilitia Sixti V. mirificamq. eius virtutem per ſymbola, & dicteria, quæ ſymbolorum animæ appellantur, adumbrantia paſſim cernuntur, ſilentio prætereunda cenſeo, ne intuentibus meditandi anſam omnino auferamus.

Reliquum eſt autem vt noſtros hoſce Commentarios tandem aliquando concludamus, ac definiamus apponentes quæ ad Bibliothecæ introitus dextram in Tabula lignea ſatis grandi depicta cernuntur. Hoc enim loco SIXTVS V. Pont. Max. ad viuum repræſentatus ſedere conſpicitur, alijs adſtantibus ad viuum item omnibus effictis a Petro Facchetto Mantuano, qui in imaginibus ad viuum exprimendis excellens iudicatur. Ad viuum etiam effícti ſunt, Antonius Card. Carafa,Bibliothecæ Præfectus: & Sixti V. Pronepotes, Alexander ſcilicet Perettus Card. Montaltus, ac Vicecancellarius, eiusq. frater, Michael Perettus, Marchio, & Ciuitatis Leoninæ, ſiue Burgi Gubernator.

Hic etiam,vt alias imagines ſilentio prætercam,quæ neminem ſingulariter aut proprie referūt, videre eſt ad viuū item expreſſum Dominicū Fontanam,Comitem Palatinū,& Equitem aureatum, necnon Sixti V. Architectū,qui,flexo genu,Bibliothecæ Ichnographiā ſiue deſcriptionem ſummo Pontifici offerre cernitur. Is enim non ſolum omnes Obeliſcos hiſce in

Commentarijs enarratos trãſtulit, & erexit, ſed Bibliothecæ etiam Architecturam præſtitit, eamq. tribus ordinibus diſtinctã, Dorica ſcilicet ſtructura prima, altitudinis palmorũ LI. Ionica altera palmorum XXXVIII. tertia vero compoſita, non eà cõpoſitione a veteribus obſeruata, ſed a recentioribus inuenta, Corinthia prætermiſſa, palmorum XXXVI. vt ad eam præſertim partem, quæ Theatrum ſpectat, videre eſt: cuius frontiſpicium eſt longitudinis ſiue latitudinis palmorum CCCXXV. altitudinis vero CXXV. De huiuſmodi ædificiorum generibus, quæ Ethnici mirum in modum obſeruarunt, ac religioſe excoluerunt in deorum templis ædificãdis, arisq. conſtruendis, Vitruuius Architectorum Magiſter, diffuſe loquitur, & Anaſtaſius Germonius Archidiaconus Taurinenſis, in libro de Immunitatibus Eccleſiaſticis iuxta Antiquorum morem hæc tria ædificiorum genera luculentiſſime explicat, & erudite quidem.

*Vitru. lib. 1. cap. 2. et lib. 4. c. 1. Anaſt. lib. 1. cap. 1.*

Huic Tabulæ, in qua Sixti V. imago ad viuum expreſſa, aliæq. effigies repræſentantur, Bibliothecæ porta extat adnexa: ſupra quam hæc legitur Inſcriptio penicillo facta:

SIXTVS V. PONT. MAX.
BIBLIOTHECAM HANC VATICANAM
AEDIFICAVIT, EXORNAVITQ.
AN. M. D. LXXXVIII.
PONT. III.

---

VNIVERSA Bibliotheca Vaticana, adiuuante Deo, Commentarijs explicata, reliquum eſt, vt ordine retrogrado eiuſdem Bibliothecæ veſtibulum videamus, quidve in eo contineatur. Id quod tempore, ac re ipſa poſtulante factum eſt: hoſce enim Commentarios ante biennium olim confeceram, typisq. mandare cœperam iam inde ab eo tempore, quo non ſolum veſtibulum ipſum picturis, & Inſcriptionibus carebat, ſed nondum Obeliſci omnes erecti, nec Statuæ ſupra columnas Cochlides collocatæ fuerant: multaq. alia inchoata extabant, vel nondum



dum cœpta deſiderabantur: de quibus omnibus in hac Bibliotheca Vaticana nobis loquendum fuit. Quare omnia ſuo loco apponere non potuimus, ſed de quibuſdam rebus, quæ ad operis perfectionem pertinent, Appendicem duximus conficiundam, quam infra cernere licet. Quamuis autem hoſce Commentarios, vt dixi, a duobus fere iam inde annis prælo committere cœperam, fui tamen e medio, vt ſic dixerim, curſu ob grauiorem mihi curam a S. D. N. Sixto V. demandatam reuocatus. Hinc ab incœpto deſiſtens, rem ad hanc vſque diem prorogare coactus ſum. Mirum igitur cuiquam videri non debet, ſi ordine forſan præpoſtero Bibliothecæ conſideremus veſtibulum, in quo non ſolum duæ Inſcriptiones præcipuæ ſummam totius rei complectentes, quæ magis fini, & ordini noſtro conueniunt, ſed nonnulla etiam, quæ ad Commentariorum initium, & quaſi præludium quoddam, ſpectare videntur, non ſine fortaſſe ratione a Pictoribus hic ob oculos poſita ſunt. Hoc enim loco Sibyllas in fornice ipſo veſtibuli depictas videre licet, quas Varro decem fuiſſe ſcribit: Fuerunt enim, Perſica, Libyca, Delphica, Cumæa, Erithræa, Samia, Cumana, Amalthea nomine, Helleſpontica, Phrygia, Tyburtina, nomine Abulnea; quæ de Chriſto vaticinatæ ſunt, & præſertim Erythræa, dicens: ἰησοῦς χριστὸς θεοῦ υἱὸς, σωτὴρ, ideſt, Ieſus Chriſtus Dei filius, Saluator, vt S. P. Auguſtinus teſtatur, qui has voces ex capitibus verſuum dictæ Sibyllæ collectas eſſe narrat. De Cumana etiam, quæ nouem libros Tarquinio priſco obtulit, ſuo loco ſermonem habuimus.

*Ex Gell. li. 1. cap. 19.*

*S. Aug. lib. 18. c. 23. de Ciuit. Dei. ex Lactã. Firm.*

*Ex Gell. li. 1. cap. 18.*

*Pag. 48.*

Hoc item in veſtibulo multæ picturæ ad artem typographicam, & ad chartam conficiendam pertinentes in ipſo fornice conſpiciuntur. Sed quia de Typographiæ, & chartarum inuentione, atque vtilitate in Appendice loqui ſtatuimus, ad præcipuas Bibliothecæ accedamus Inſcriptiones, quarum vna antiquam Bibliothecæ Vaticanæ inſtitutionem, & incrementum, deinde illuſtrationem, necnon tranſlationes explicat: altera vero continet Edictum, quo Anathematis vinculum ijs, qui modum tractandi libros eiuſdem Bibliothecæ præſcriptum contempſerint, minatur, vt, verſa pagina, videre eſt.

## *Ad Portæ dextram Inſcriptio:*

SIXTVS V. PONT. MAX.
BIBLIOTHECAM APOSTOLICAM
A SANCTISSIMIS PRIORIBVS ILLIS PONTIFICIBVS, QVI BEATI PETRI VOCEM AVDIERVNT, IN IPSIS ADHVC SVRGENTIS ECCLESIÆ PRIMORDIIS INCHOATAM, PACE ECCLESIÆ REDDITA, LATERANI INSTITVTAM, A POSTERIORIBVS DEINDE IN VATICANVM VT AD VSVS PONTIFICIOS PARATIOR ESSET, TRANSLATAM, IBIQ. A NICOLAO V. AVCTAM, A SIXTO IIII. INSIGNITER EXCVLTAM QVO FIDEI NOSTRÆ, ET VETERVM ECCLESIASTICÆ DISCIPLINÆ RITVVM DOCVMENTA OMNIBVS LINGVIS EXPRESSA, ET ALIORVM MVLTIPLEX SACRORVM COPIA LIBRORVM CONSERVARETVR AD PVRAM ET INCORRVPTAM FIDEI ET DOCTRINÆ VERITATEM PERPETVA SVCCESSIONE IN NOS DERIVANDAM TOTO TERRARVM ORBE CELEBERRIMAM, CVM LOCO DEPRESSO, OBSCVRO, ET INSALVBRI SITA ESSET, AVLA PERAMPLA, VESTIBVLO, CVBICVLIS CIRCVM ET INFRA, SCALIS, PORTICIBVS TOTOQ. ÆDIFICIO A FVNDAMENTIS EXTRVCTO, SVBSELLIIS, PLVTEISQ. DIRECTIS, LIBRIS DISPOSITIS, IN HVNC EDITVM, PERLVCIDVM SALVBREM, MAGISQ. OPPORTVNVM LOCVM EXTVLIT, PICTVRIS ILLVSTRIBVS VNDIQVE ORNAVIT, LIBERALIBVSQ. DOCTRINIS
ET PVBLICÆ STVDIORVM VTILITATI DICAVIT
ANNO M. D. LXXXVIII. PONTIFIC. IIII.

Inſcriptio hæc adeo facilis eſt, vt nulla declaratione indigere videatur. Hinc ad Edictum deueniendum eſt.

*Ad Portæ*



## *Ad Portæ læuam Edictum:*

SIXTVS V. PONT. MAX.
PERPETVO HOC DECRETO DE LIBRIS VATICANÆ BIBLIOTHECÆ CONSERVANDIS QVÆ INFRA SVNT SCRIPTA HVNC IN MODVM SANCITA SVNTO, INVIOLATEQ. OBSERVANTOR.

NEMINI LIBROS, CODICES, VOLVMINA HVIVS VATICANÆ BIBLIOTHECÆ EX EA AVFERENDI EXTRAHENDI, ALIOVE ASPORTANDI, NON BIBLIOTHECARIO, NEQVE CVSTODIBVS, SCRIBISQ. NEQVE QVIBVSVIS ALIIS CVIVSVIS ORDINIS ET DIGNITATIS NISI DE LICENTIA SVMMI ROM. PONT. SCRIPTA MANV FACVLTAS ESTO.

SI QVIS SECVS FECERIT, LIBROS PARTEMVE ALIQVAM ABSTVLERIT, EXTRAXERIT, CLEPSERIT, RAPSERITQ. CONCERPSERIT, CORRVPERIT DOLO MALO, ILLICO A FIDELIVM COMMVNIONE EIECTVS MALEDICTVS ANATHEMATIS VINCVLO COLLIGATVS ESTO, A QVOQVAM PRÆTERQVAM ROM. PONT. NE ABSOLVITOR.

Apoſtolicum Edictũ hoc formam redolet illã, qua in condẽdis legibus vſi ſunt antiqui:& aliquibus conſtat verbis, quę quãuis apud probatiſſimos Auctores inueniantur, nõ ſunt tamen in frequenti vſu niſi in legũ præſertim ſanctionibus promulgandis. *Clepſerit* enim a *Clepo*, quod verbũ non ſemel a Liuio, a Plauto, & a Cicerone vſurpatur, a Græco κλέπτω ſumptũ eſt pro furto aliquid ſurripere. Vnde *Cleptum*, dicitur furto ſublatum. *Rapſerit* item eſt a verbo *Rapio*, quod in præterito, *Rapſi*, fecit. *Concerpſerit* denique eſt a verbo *Concerpo*, & eſt idẽ quod diſcerpo, & lacero. Hinc Cicero: *Sacrum, ſacrove commendatum qui clepſerit, rapſeritve, parricida eſto*. Et quoniã in Edicto imperãdi modus adhiberi ſolet, hinc *Sunto* pro Sint *Obſeruantor*, pro Obſeruentur, *Eſto*, pro Sit, *Aſoluitor*, pro Abſoluatur. *Dolo malo*, ideſt fraude, apud I. C. Cetera patent.

BIBLIO-

# BIBLIOTHECAE VATICANAE

## APPENDIX.

VT TANDEM hiſce in Commentarijs vltima primis reſpondeant, ſilentio haudquaquam prætereundum cenſeo, Molem hanc totam a fundamentis, vt initio dictum eſt, excitatam, totq. picturis illuſtratam vnius fere anni curriculo, omnibus ſuis numeris fuiſſe abſolutam Dominici Fontanæ Equitis aureati, & Architecti induſtria, qui operarijs hominibus ad ſtructuram murariam pertinentibus circiter centum, totidemq. ad artem pictoriam ſpectantibus ſecum adhibitis vniuerſum opus tam cito, tantaq. omnium admiratione perfecit, præſertim vero, vt ceteros prætermittam, opera Cæſaris Nebbij Vrbeuetani, & Ioannis Guerræi Mutinenſis, quibus pingendi cura omnis demandata eſt: Cæſar enim Vrbeuetanus arte pollens pictoria, & iam inde a iuuentute a laudato viro non parum laudatus, Bibliothecarum, Conciliorumq. hiſtorias, litterarumq. Inuentores, ceteraſq. imagines ad hiſtoriã pertinentes delineauit, hoc eſt, pingui quadam Minerua futuri operis lineamenta manu ſua duxit, deinde ab alijs pictoribus ad amuſſim pingenda diligenter curauit.

*Georg. Vaſar. 3. par. de Pictor. Sculpt. & Architect. diuerſis.*

Harum rerum inuentionem Federicus Ranaldus Valuen. Bibliothecæ cuſtos, SIXTO V. obtulit. Siluius autem Antonianus ſacri collegij Illuſtriſs. S. R. E. Cardinalium a ſecretis eaſdem res diſpoſuit, & Inſcriptionibus, eodem SIXTO iubente, & dijudicante, illuſtrauit, aliqua ex parte Petro Galeſinio Protonot. Apoſtolico adiuuante. Qua in re nonnihil etiã operæ præſtitit horum Commentariorum Auctor. Ioannes vero Mutinenſis ingenio præſtans, & ex arte non ignobilis Emblemata omnia, necnon cetera Bibliothecæ ornamenta ad pictoris arbitrium facta adinuenit, ac delineauit, & ab alijs item pictoribus ad vnguem abſoluenda ſtuduit. Ad hæc autem omnia conficienda non modicã præſtitit operam Ioannes Baptiſta Nouarienſis, pictor ſatis clarus, qui ob delineandi, pingendiq. ſcientiam apud artis pictoriæ peritos maximam ſui expectationem concitauit. Hæc hactenus.



Antea vero quàm poſtremam Commentarijs imponamus manũ, nonnulla in hac Appendice pro earundem rerũ declaratione repetenda, quædã vero, quę in noſtris hiſce Commentarijs deſiderari poſſent, adijcienda cenſuimus, quibuſdam dubitationibus occurrentes. Quando enim in Bibliothecam Vaticanã Cõmentarios, quos duobus fere ab hinc annis perfeci, imprimendos curabam, nonnulla, vt dixi, deſiderabãtur, quæ nõdum in aperto, & propatulo loco extabant. Propterea quòd ego, vt dictum eſt, grauioribus ac fere perpetuis ſtudijs diſtẽtus, ita vero, vix vt ad hanc vſque diem reſpirare queam, ſiquid ſubceſiuarũ mihi horarum aliquando cõcedebatur (id quod perraro quidẽ euenire ſolebat) ſtatim arripiebã: illudq. temporis pauxillulum mihi conceſſum in hac Bibliotheca Vaticana explicanda ad lucernam conſumebam, lucubrationemq. ipſam Typographi commoditati in lucem edendam patiebar, ne in tanta temporis anguſtia totum opus mihi ſimul fere tandem aliquando imprimendum relinqueretur. Hinc factũ eſt, vt aliquot Inſcriptiones, necnõ alia permulta, quæ infra ſubijcientur, ſuo loco apponere nõ potuerim: quædam vero hic repetuntur, quoniam declaratione indigere videntur. A vetuſtis igitur Obeliſci Lateranenſis Inſcriptionibus, & ab eiuſdem dedicatione exordiemur, vt dubitationibus quibuſdam in primis occurramus.

# DE OBELISCI LATERANENSIS

## ANTIQVIORI DEDICATIONE.

QVAE hic oriuntur dubitationes, ad Obeliſci Lateranenſis antiquiorem dedicationem, inſcriptioneſq. hieroglyphicas latinitate donatas pertinent: dixi enim cum de ipſo Obeliſco ſermonem habui, ipſum Heliopoli, hoc eſt, in ſolis Vrbe Aegyptia primum fuiſſe erectum ijs inſcriptionibus hieroglyphicis inſignitum, quas ego appoſui ex Ammiani Marcellini verbis, quæ ſatis implicata videntur.

videntur. Sed quoniam de duabus hiſce rebus, geminus mihi ſcrupulus iniectus eſt; quæ ſcripſi, rectiori quadam trutina, quoad fieri poterit, accuratius examinabo. Quod enim de Maximi Obeliſci dedicatione antiquiori a me dictum eſt, id a veritate alienum eſſe nonnulli, & eruditi quidem viri affirmant. Ego autem, ſi Ammiani Marcellini verba ſatis implexa percepi, quod ſcripſeram confirmabo: quodq. apud probatiſſimos Auctores reperi, in medium afferam: ſi enim aliud mihi conſtaret, palinodiam recantare non ægre ferrem. Id quod animi ingenuitati attribuendum eſſe mihi perſuadeo. Dixi ergo Obeliſcum illum omnium aliorum maximum Heliopoli, ciuitate Aegyptia, primitus fuiſſe erectum: nec id videtur abhorrere a verbis Ammiani, qui ipſum Obeliſcum in Circo maximo ſe vidiſſe, & ab Heliopolitana ciuitate Aegyptia a Conſtantio Imp. fuiſſe tranſuectum ait, vel ſaltem innuit, vt ex eiuſdem verborum ſerie aut vi colligi neceſſe eſt. Nec ſatis video cur magis per veterem Obeliſcum, moles ab Octauiano Auguſto Romam aduecta, quàm illa altera a Conſtantio tranſlata intelligi debeat, etiamſi illa ab Octauio veteri Principe, vt ait Ammianus, hæc vero multis poſt annis a Conſtantio recens aduecta dicatur: vetuſtas enim ad molis etiam inciſionem, antiquioremq. in Aegypto dedicationem referri poteſt: nam fieri potuit, vt Obeliſcus Maximus prior alijs obeliſcis ab Ammiano commemoratis, & fuerit inciſus, atque in Aegypto, Solis numini præcipuo munere, eodē teſte, fuerit dedicatus: qui etiā tamquam apex omnium eminebat, vt ipſe ait. Adde etiam, quòd Hermapioni, & Ammiano maiorem de maiori, celebrioriq. Obeliſco extitiſſe curam quàm de alijs credendum eſt: hinc Inſcriptiones illas hieroglyphicas ab Hermapione interpretatas (cum aliæ ab eo interpretatæ non reperiantur) ad maiorem celebrioremq. Obeliſcum pertinere, eundemq. Obeliſcum Heliopoli primitus erectum fuiſſe cenſendum eſt, cum Soli eum dedicatum eſſe, eidemq. Soli præcipuum honorem Aegyptios, ea præſertim in ciuitate, præſtitiſſe cōſtet: Heliopolis enim ab Helio, Solis nomine, Solis Vrbs nuncupatur. Huic ſentētiæ fauet Plinius, qui ait Ramiſem, Rhameſtē item dictum, in Solis Vrbe Obeliſcum quadragenorū, & octonum cubito-

*Ammian. Marc. lib. 17.*

*Ammian. Marc. ibidem.*

*Plin.li.36. c.8.in fine.*



cubitorum erexiſſe: alterū vero lōgitudine vndecenis pedibus, hoc eſt nonaginta nouē geometricis, qui palmos vſuales centū & nonaginta octo efficiūt: cuiuſmodi eſt Obeliſcus, de quo hic verba facimus, ſicut ab Architecto, qui hunc Obeliſcū ad Aedes Sancti Ioannis Lateranenſis tranſtulit, & erexit, inuentū eſt. Nec noſtræ ſententiæ refragatur primum Hexaſtichū Inſcriptionis Conſtantianę, in cuius verſu poſtremo hāc molē e Thebis reuulſam fuiſſe legimus: Heliopolis enim eſt Ciuitas Aegypti inter Alexandriā & Coptum: & a Græcis, teſte Diodoro Siculo, Thebe dicitur: ex qua ciuitate Obeliſcus ipſe a Conſtantino Alexandriā, recto itinere, deinde a Conſtantio Romam fuit tranſuectus. Et quoniam Heliopolis nomen in hexametro verſu accommodari non poteſt, hinc Poeta, Inſcriptionis Auctor, Thebarum, & non Heliopolis voce vſus eſt: Thebe enim eſt item ciuitas Aegyptiorum eminentiſſima, atque ampliſſima, vt Plato teſtatur. Hæc pro geminis mihi iniectis ſcrupulis eruendis dicenda viſa ſunt. Num veritatem ſim aſſecutus, iudicent alij: & ſuo quiſque ſenſu abundans, opinionem ſuam tueatur licet, & hac in re præſertim a memoria noſtri temporis adeo remota, & in tanta Scriptorum, ac locorum nominum varietate: quarum quidem rerum omnis inueſtigatio in coniectura ſita eſt.

# VETVS INSCRIPTIO
## BASIS OBELISCI MAGNI,

quem e ruderibus Circi maximi erutum Sixtus V. Pont. Max. ad Lateranenſem Baſilicam transferendum, erigendumq. curauit.

### *Hexaſtichum I.*

PATRIS OPVS MVNVSQVE *ſuum* TIBI ROMA DICAVIT
AVGVSTVS *toto Conſtan*TIVS ORBE RECEPTO:
ET QVOD NVLLA TVLIT TELLVS, NEC VIDERAT AETAS
CONDIDIT, VT CLARIS EXA*equ*ET DONA TRIVMFIS.
HOC DECVS ORNATVM GENITOR COGNOMINIS VRBIS
ESSE VOLENS, CAESA THEBIS DE RVPE REVELLIT.

## *Hexaſtichum II.*

SED GRAVIOR DIVVM TANGEBAT CVRA VEHENDI;
QVOD NVLLO INGENIO, NISVQVE, MANVQVE MOVERI
CAVCASEAM MOLEM DISCVRRENS FAMA MONEBAT.
AT DOMINVS MVNDI CONSTANTIVS OMNIA FRETVS
CEDERE VIRTVTI, TERRIS INCEDERE IVSSIT
HAVT PARTEM EXIGVAM MONTIS, PONTOQVE TVMENTI.

## *Hexaſtichum III.*

CREDIDIT, ET PLACIDO *vexerunt æquora flu*CTV
LITVS AD HESPERIVM *Tiberi* MIRANTE CARINAM.
INTEREA ROMAM TA*po*RO VASTANTE TYRANNO
AVGVSTI IACVIT DONVM STVDIVMQVE LOCANDI,
NON FASTV SPRETI, SED QVOD NON CREDERET VLLVS
TANTAE MOLIS OPVS SVPERAS CONSVRGERE IN AVRAS.

## *Hexaſtichum IIII.*

NVNC VELVTI RVRSVS RV*fis* AVVLSA METALLIS
EMICVIT, PVLSATQVE POLOS HAEC GLORIA DVDVM
AVCTORI SERVATA SVO, CV*m* CAEDE TYRANNI
REDDITVR, ATQVE ADITV RO*mæ* VIRTVTE REPERTO
VICTOR OVANS VRBIQ*ue locat ſublime* TROPAEVM,
PRINCIPIS ET MVNVS CONDI*gnis vſ*QVE TRIVMFIS.

*Pag. 17. & 18.*

Quamuis Inſcriptionem hanc vetuſtam ſuo iam loco appoſuerimus, in hac tamen Appendice duximus repetendam, vt nonnulla, quæ ſcitu digna ſunt, dignoſcantur. Nam Michael Mercatus Protonot. Apoſtolicus labore non modico, ſummaq. ingenij perſpicacitate duce, bonarumq. artium cognitione comite, vt minores indicant characteres, Inſcriptionem ipſam corroſam, & dilaceratam, vel in varias partes diuulſam e ruderibus eruit, & in hanc formam redegit.

Antea vero quàm ad amuſſim fuiſſet concinnata, eam alij raptim typis mandarunt erroribus conſperſam, quam ego,
quoad



quoad potui expurgaui, dum ſuo loco dictam Inſcriptionem in his Commentarijs apponere ſtudebam: vbi legitur Tropæum pro Trophæum iuxta vſum ſcribendi antiquum, vt inibi hac de re ſatis dictum puto. *Pag. 17. & 18.* Sed quoniam ego huius vocis, *Tropæum*, ſimilitudine deceptus in quarto verſu primi Hexaſtichi, & in poſtremo Quarti, Triumpis pro Triumphis ſiue pro Triumfis, ſicut eo tempore ſcribi ſolebat, reliqui; hinc vocem hanc *Triumfis* (non Triumpis nec Triumphis) a Michaele Mercato in Obeliſci baſi inuentā ſicut ipſummet id ita eſſe non ſemel aſſeueraſſe audiui, pro Triumphis repoſui. *Pag. 200. & 201.* Antiqui enim F, pro Ph, non raro vſurpabant, ſicut alibi, tum ex priuatis, tum etiam ex publicis Inſcriptionibus a me demonſtratum eſt. Ita contra: Quod antiquiores item Latini *Pag. 140.* per Ph, ſcribebant, vt phama, phanum, & phagus, nos per F, ſcribere ſolemus, vt Fama, Fanum, & fagus.

In poſtremo ſecundi Hexaſtichi verſu *Haut* pro Haud legitur, T, pro D, interdum ab antiquis Latinis ſumpto, ſicut è conuerſo D, pro T nō raro ab ijſdem vſurpatū fuiſſe inueni. Qui enim T, pro D, vſi ſunt, mollem ſonum euitare voluiſſe iudicati ſunt, duriorem vel ſicciorem ſequentes, vt patet ex Inſcriptionibus non paucis marmore inciſis. Exempla ſunt hæc: *Alexſanter*, pro Alexander Romæ in Aedibus Marchionis Riani. *Aput* pro Apud, Romæ in Aedibus Coritianis ad Forum Traiani, in hortis S. Sebaſtiani ad Viam Appiam, & in Aedibus Capranicorum. *Aliut*, pro Aliud apud Sudorinos ad S. Rocchum. *At* pro Ad, Veronæ in ædibus Ioan. Baptiſtæ Orthij. *Atſigno*, pro Adſigno Romæ. *It*, pro Id Brundiſij extra Vrbem. *Quot*, pro Quod infra Præneſte in vinea quadam. *Set*, pro Sed in Pratis Quinctijs in vinea, in hortis Carpenſibus, & alibi. In Aedibus Maſæiorum extat Inſcriptio publica marmore inciſa, ſatis longa, e Cæritibus allata, de eorundem Cæritum Municipio, Q. Ninnio Haſta, & P. Mālio Vopiſco Coſ. anno ab Vrbe cōdita 866. Traiano Imperāte: *Anno Domini 99.* & in ea legitur *Set*, pro Sed, & *It*, pro Id. *Set* pro Sed in vetuſtioribus ſcriptis, & impreſſis Antiphonarijs Eccleſiaſticis.

Ad hanc eandem rem comprobandam hoc loco libet apponere quod Linacer, Aldus, & alij recentiores, ſed eruditi ſane viri ſcriptum reliquerunt in hanc fere verborum formam:
T, vſur-

T, vſurpatū eſt pro D. & D, pro T. nam veteres dixere *Adque*, nos *Atque*, ſane melior priſcorum ratio: nam & mollior ſonus eſt, & origo ſeruatur: præpoſitionis enim vis adhuc manet, vt dicamus: Tu *atque* ego: & ſit, Tu & *adte* ego. Sed antiqui voluere diſcrimen eſſe inter præpoſitionem & coniunctionem. Eiuſdem modi fuit, *Sed:* nam e contrario olim erat, *Se Et:* diſiungit enim, Tu curris, *Se Et* ego ſedeo. Separata enim eſt actio mea ab opere tuo. Aduerſatur enim vox illa, *Se*, vt ſeorſum, ſecurus, ſegrego, ſeparo, & alia innumera. Etiam, *Aud*, non *Aut* et illi dixere, et nos dicere deberemus: nam ſi negatiuæ *Haud* addita eſt aſpiratio, differentiæ cauſſa, ſane cetera elementa ad quærendum diſcrimen non ſunt mutanda, quin fortaſſe potius vtrumque ſicciore elemento ſcribendum ſit, *Aut*, *Haut*, Græcum enim fuit, Αὖτε. Omnis autem diſiunctio vim obtinet negationis. Hæc de vſu litterarum D, pro T, et T, pro D, ne quis poſthac Haut pro Haud mendū eſſe opinetur, ſicut fortaſſe aliqui arbitrati ſunt, qui *Haud* pro *Haut* repoſuerunt: quos ego, qui *Haud* pro *Haut* impreſſum reperi nondum alloquutus Mercatum, qui vetuſtam Inſcriptionem in varias partes diuulſam vidit, et concinnauit, in priſtinamq. formam diligenter, et ingenioſe quidem redegit, imitari coactus fui.

*Taporus pro Magnentio.*

In tertio tertij Hexaſtichi verſu, TAPORO pro Magnētio intelligi debet, vt Mercatus recte ſentit: Magnentius enim dictus eſt Taporus Tyrannus, quia apud Helenam, caſtrum Tapororū, qui Cantabriæ Populi ſunt, montibusq. pyreneis proximi, Conſtantem Conſtantij fratrem interfecit. Hinc Mercatus eam vocem, *Taporo*, cuius duæ litteræ mediæ deſiderabantur, reſtituit.

*Plin. lib. 36. cap. 8.*

In primo quarti Hexaſtichi verſu per Metalla rufa lapidis Syenitis fodinas idem Mercatus intelligendas teſtatur: ex quo lapide omnes Obeliſcos eſſe affirmat. Rufus enim color Græce πυρρός dicitur: a quo Syenites lapis etiā dictus eſt pyrrho pœcilus. Hæc de vetuſta Inſcriptione, quæ ad baſem Obeliſci Lateranenſis inciſa olim extabat. Qui plura de hac Inſcriptione ſcire cupit, ad librum Mercati de Obeliſcis conſcriptum & eruditionis plenum confugiat.

DE



# DE NOVIS OBELISCI INSCRIPTIONIBVS

## *Ad Aedes ſanctæ Mariæ de Populo erecti.*

DVm Obeliſci, quem Cæſar Auguſtus ex Aegypto in poteſtatem Populi Romani redacta Romam in Circum maximum tranſtulit, Soliq. dicauit, tranſlationem, et erectionem ad Ædes ſanctæ Mariæ de Populo imprimendam curabam, nondum, vt dixi, nouæ Inſcriptiones in eiuſdem Obeliſci baſi erant inciſæ; hinc eæ, quas infra videre eſt, ſuo loco apponi non potuerunt. Inſcriptiones nouæ in hanc leguntur verborum formam:

### *Inſcriptio I.*

ANTE SACRAM ILLIVS AEDEM
AVGVSTIOR LAETIORQ. SVRGO,
CVIVS EX VTERO VIRGINALI
AVG. IMPERANTE
SOL IVSTITIAE EXORTVS EST.

### *Inſcriptio II.*

SIXTVS V. PONT. MAX.
OBELISCVM HVNC A CAES. AVG.
SOLI IN CIRCO MAX.
RITV DICATVM IMPIO,
MISERANDA RVINA FRACTVM OBRVTVMQ.
ERVI, TRANSFERRI, FORMAE SVAE REDDI,
CRVCIQ. INVICTISS. DEDICARI
IVSSIT
A. M. D. LXXXIX. PONT. IV.

Ceteræ

Ceteræ Inſcriptiones duæ, quæ ſunt vetuſtæ, & in eadem baſi inſculptæ conſpiciuntur, vnius, & eiuſdem ſunt argumenti: cuius exemplum ſuo loco appoſuimus.

# DE SACELLO SIXTIANO.

HOc in Sixtiano Sacello, ſtatuis ſeptem marmoreis candidi coloris, & pulcherrimis quidem, necnon Inſcriptionibus, & picturis nunc prætermiſſis, quas ſuo iam loco deſcripſimus, extat etiam Statua Sixti V. Præſepe Chriſti Domini adorans, inſcriptionibus item decoranda, de qua prius mentionem non fecimus ob cauſas ſuperius enarratas. Ad dextram Sacelli Altare ſanctæ Luciæ ſanctorum Innocentum reliquijs inſignitum conſpicitur: ad læuam vero, Altare ſancto Hieronymo dicatum. Illud in honorem ſanctæ Luciæ, in cuius feſto die SIXTVS V. natus eſt: hoc autem in honorem S. Hieronymi, cuius Titulo, dum erat Cardinalis, decorabatur, idem SIXTVS hoc loco ſtatui mandauit. De ſanctiſſimo Chriſti Præſepio in hoc Sacellum mira arte tranſlato, omniq. admiratione, venerationeq. digno quoſdam olim edidimus verſus, quos ob oculos ponere libuit, vt infra videre eſt.

*Pag. 30. 31. & 32.*

*Anno Domi. 1521.*

De Sanctiſs. CHRISTI PRAESEPIO, a SIXTO V. Pont. Max. in ſplendidiſſimum Sacellum tranſlato.

*AVguſtum in Terris cur dat Præſepe TONANTI*
*SIXTVS? vt in Cælo nunc ſibi tecta paret.*

I D E M.

*ASTRA, Polumq. refert SIXTVS, cunabula CHRISTI*
*Dum nouat, & ponit ſplendidiore loco.*

I D E M.

*A SIXTO hic quicumque vides Præſepe repoſtum,*
*Phidiacam dicas, Parrhaſiamq. manum.*

IDEM



I D E M.

*CVR SIXTVS Præſepe nouat mira arte vetuſtum,*
*Quo nitidas ſtellas æquiparatq. Polum?*
*Namque Opifex rerũ hic fuit, hic Moderator Olympi,*
*Hic Spes, hic Vita, hic vnica noſtra Salus.*

## DE TRANSLATIONE CORPORIS PII V. in Sacellum Sixtianum.

PIVS Quintus, ſummum veræ pietatis fuit exemplar, clariſſimum catholicæ religionis lumen, ac ſanctitatis ſplendor. Hinc SIXTVS Quintus tanta illius merita, magnaq. ab eodem in ſe collata beneficia ſingulari pietatis officio proſequi cupiens, corpus eius Chriſtiana ſollemniq. pompa ac Pontifice digna ſuum in Sacellum transferri mandauit; ibiq. nobili ſtructura, & vere Pontificia ipſum locari iuſſit. De hac autem tranſlatione, quã ſuo loco deſcripſimus, tetraſtichum, quod infra cernitur, edidimus in hanc verborum formam:

*Pag. 30. 31. 32. & 33.*

*HIC, vbi iam CHRISTVS voluit de Virgine naſci,*
*Mandauit SIXTVS condier oſſa PII,*
*Vt fateare piè, vicinum hunc eſſe TONANTI,*
*Præſepi veluti proximus eſt Tumulus.*

## DE STATVA SANCTI PETRI ÆNEA in Columnæ Traianæ faſtigio erecta.

DE COLVMNA Cochlide Traiano olim erecta, Parthis, & Dacis ab eo deuictis, nunc autem B. Petro dedicata, in cuius faſtigio eiuſdem Apoſtolorum Principis ſimulacrum collocatum eſt, ſuo loco ſatis dictum eſſe arbitror. Quare infra non niſi quædam carmina apponentur, quæ de Statua San-

*Pag. 13. & 14.*

Nn cti

ſti Petri ſupra columnam Traianam erecta olim conſcripſimus hiſce verbis:

*BELLICA Traiani ſpectat dum Roma trophæa,*
*Erigit huic Cochlidem, ſculpit & hiſtoriam.*
*SIXTVS dum Petri veneratur mille triumphos,*
*Erigit huic Statuam, ſubijcit & Cochlidem.*
*Petrus enim CHRISTO generoſus vicit ouantes*
*Terrarum Reges, tartareosq. Duces:*
*Felix hinc meritò SIXTVS, cognomine Quintus,*
*Victori Petro tanta trophæa dicat.*

## IDEM AVCTOR

### DE SANCTISSIMA CHRISTI CRVCE, deq. ſacra B. Petri Statua ænea: illa in Cæſaris Obeliſci, hac vero in Traiani Columnæ Cochlidis faſtigio erectis.

*NVMINA falſa potens pretioſo ſanguine Chriſtus*
*Abſtulit, et luſit ſæcula vana Iouis:*
*SIXTVS id exequitur, Chriſti dum iura tuetur,*
*Dum Petri Cymbam tractat, et Imperium:*
*Dæmonibus pulſis, Obeliſcum, altamq. Columnam*
*Lympha luſtrali purgat, et ore ſacro.*
*Suſtinet hæc Statuam Petri, Chriſti ille Triumphum,*
*Traiani hæc perdit, Cæſaris ille decus.*
*Succeſſor Petri, Chriſtiq. Vicarius idem,*
*Et Chriſto, et Petro clara trophæa ſacrat.*

DE



# DE COLVMNAE ANTONIANAE INSCRIPTIONIBVS, ET HISTORIIS.

DE COLVMNA Cochlide Antonino Pio Imperatori olim erecta, a SIXTO QVINTO inſtaurata, in cuius faſtigio Statua S. Pauli ab eodem Sixto fuit collocata, ſatis dictum eſſe reor eo in Emblemate, quod ad Chriſtianam, & vere piam Columnæ dedicationem, ſacramq. ſtatuæ erectionem pertinet. Nunc reliquum eſt, vt nouas Inſcriptiones, quas inibi apponere non potuimus ob cauſam iam enarratam, ſubſcribam. Inſcriptiones ſunt quæ infra leguntur:

*Ad Occidentem.*

M. AVRELIVS IMP.
ARMENIS PARTHIS
GERMANISQ. BELLO
MAXIMO DEVICTIS
TRIVMPHALEM HANC
COLVMNAM REBVS
GESTIS INSIGNEM
IMP. ANTONINO PIO
PATRI DEDICAVIT.

*Ad Meridiem.*

SIXTVS V. PONT. MAX.
COLVMNAM HANC
COCHLIDEM IMP.
ANTONINO DICATAM
MISERE LACERAM
RVINOSAMQ. PRIMAE
FORMAE RESTITVIT
A. M. D. LXXXIX. PONT. IV.

 Ad

*Ad Orientem.*

SIXTVS V. PONT. MAX.
COLVMNAM HANC
AB OMNI IMPIETATE
EXPVRGATAM
S. PAVLO APOSTOLO
AENEA EIVS STATVA
INAVRATA IN SVMMO
VERTICE POSITA DD.
A. M. D. LXXXIX. PONT. IV.

*Ad Septentrionem.*

TRIVMPHALIS
ET SACRA NVNC SVM
CHRISTI VERE PIVM
DISCIPVLVM FERENS
QVI PER CRVCIS
PRAEDICATIONEM
DE ROMANIS BARBARISQ.
TRIVMPHAVIT.

Quamuis Columna hæc Antonino Pio fuerit olim dedicata a Marco Antonino philoſopho, in eius filium adſcito, qui deinde, Iulio Capitolino teſte, M. Aurelius Antoninus dictus eſt; hiſtoriæ tamen in ea exculptæ ad præclara Marci Aurelij geſta pertinent: nam Antoninus Pius nihil annotatu ſiue memoria dignum in bellis geſſiſſe fertur, ſed Marcus Aurelius de Armenis, & Parthis, necnon de Germanis, Quadis videlicet, Marcomannis, ſiue Morauis, & alijs Populis, qui, vt nonnulli Scriptores prodierunt, equorũ & vulpium carnibus delectãtur, victoriam reportauit. Huius igitur generis Victoriæ in Colum-

*Iul. Capitol. in vita M. Antonini philoſophi.*

*Ex Iul. Capitol.*



in Columna Antoniana exculptæ conſpiciuntur, & præſertim memorabile illud factum & omni admiratione dignum, ſiue egregium Chriſtianæ victoriæ trophæum repræſentatur, quod Marco Aurelio Chriſtianæ multitudinis precibus in bello Germanico, ſiue Marcomannico accidiſſe proditum eſt. Cum enim Marcus Aurelius in media Germania ſuo cum exercitu montibus vndique concluſus, ingenti aquæ penuria laboraret, miraq. ſiti vexaretur, Chriſtianos cohortatus eſt, vt opem a Deo peterent, atque aquam precibus impetrandam curarent. Quod quidem factum eſſe conſtat: nondum enim Chriſtiani orationibus finem impoſuerunt, & ecce tonitrua audiri, & fulmina micare cœperunt, pluuia diuinitus miſſa, ex qua Romanorum exercitus ſeſe recrearunt, hoſte vero magna ex parte fulminibus tacti interiere. Hinc de Romanorum hoſtibus illud Pſalmi dici poterat: Intonuit de cælo Dominus, & Altiſſimus dedit vocem ſuam, grando, & carbones ignis: miſit ſagittas ſuas, & diſſipauit eos: fulgura multiplicauit, & conturbauit eos. De Romanis autem illud: Apparuerunt fontes aquarum. Et: Fulgura in pluuiam fecit.

*Pſal. 17.*

*Pſal. 134.*

Hæc res effecit vt Marcus Aurelius Chriſtianos mirum in modum commendaret, eamq. Chriſtianorum multitudinem fulminantium nomine nobilitaret, vel eoſdem ſaltem legioni eiuſdem nominis aggregaret, Chriſtianumq. nomen Chriſtianis crimini tempus in poſterum haudquaquam foret, vt ex eiuſdem Imperatoris Epiſtola ad Senatum miſſa late patet. Huius generis Epiſtola & Græce, & Latine conſcripta reperitur apud probatiſſimos Auctores. Latina vero, quam infra apponere libet, in Bibliotheca Vaticana legitur in hanc verborum formam:

IMP. CAESAR. M. AVRELIVS. ANTONINVS. AVGVSTVS. PARTHICVS. GERMANICVS. SARMATICVS. PONTIFEX. MAXIMVS. TRIBVNITIAE. POTESTATIS. XXVIII. IMP. VII. COS. III. PATER. PATRIAE. PRO. COS. S. P. Q. R. S. D.

Certiores vos feci de conſilij propoſitiq. mei magnitudine, & quæ in Germania mihi in diſcrimine atque obſidione, alia ex alijs acciderunt, quum in eius medio, labore atque æſtu confectus

Al. Cotini, vel Carnutij.

Dracones, militaria Barbarorũ ſigna.

confectus fuiſſem. Sane dum Carnuti eſſem, ſpeculatores nobis indicarunt ſeptuagintaquattuor hoſtium dracones prope nos nouem millibus adeſſe: idemq. Pompeianus, quem bello ducem præfecimus, quod nos quoque videbamus, renunciauit. Cumq. in noſtrorum militum exercitu haberemus tantum legiones Primam, Decimam, Geminam, & Frenſem: hoſtium vero nongentorum & ſeptuaginta ſeptem millia; measq. ipſius copias cum ingenti Barbarorum atque hoſtium exercitu comparaſſem, deos patrios votis ſuſceptis rogaui. Sed cum ab eis negligerer; meq. ab hoſtibus premi animaduerterem; copiarum mearum paucitatem contemplatus, eos qui apud nos Chriſtiani dicuntur, accerſiui ac rogaui; inueniq. magnam eorum multitudinem: illosq. minis compuli, quod minime decuerat, propterea quòd poſtea illorum vim ac poteſtatem cognoui. Itaque non ad telorum præparationem, non ad armorum, neque ad tubarum vſum ſe contulerunt: hoc enim illis facere Dei cauſa & nomine, quem in conſcientia geſtant, gratum non eſt. Aequum igitur eſt, vt quos impios eſſe & a Deo alienos opinabamur: eos exiſtimemus Deo munitos eſſe. Cum enim ſe humi proieciſſent, non ſolum precati ſunt pro me, ſed etiam pro toto hoc exercitu, vt famis, ac ſitis, qua vrgebamur, remedium aliquod afferretur: quinque enim diebus aquam non ſumpſeramus, quòd ea non ſuppeteret. Eramus enim in media Germania montibus vndique concluſi. Simul autem atque ſeſe humi abiecerunt, ac Deum illum precati ſunt, quem ego ignorabam: ſtatim e cælo pluuia delapſa eſt in nos quidem frigidiſſima, in Romanorum vero hoſtes grando, ignis ſpecie ac ſimilitudine, & fulmina: eorumq. orationibus ac precibus ſtatim præſto Deus fuit, qui neque vinci, neque expugnari poteſt. Quamobrem illinc exorſi, concedamus talibus, vt ſint Chriſtiani, ne qua arma eius generis contra nos petant, & impetrent. Cenſeo autem neminem, quòd Chriſtianus ſit, eſſe in crimen & in iudicium vocandum. Quòd ſi quis inuentus fuerit, crimini dare cuipiam, quòd Chriſtianus ſit, ei quidem qui in crimen vocatur, manifeſtum fieri volo, ſi nihil aliud obiectum eſt, quàm quòd Chriſtianus tantum, dimitti: eum autem, qui Chriſtianum accuſauit, viuum exuri:

*Euſeb. lib. 4. cap. 12. de hiſt. Eccleſ.*

illum



illum vero, qui Chriſtianum ſe eſſe profeſſus fuerit, periculo omni, quod ob eam rem ei intendebatur, liberatum: Is, cui prouincia commiſſa eſt, nequaquam ad pœnitentiam adigat, aut libertatem ei adimat. Hæc autem S. C. etiam ſanciri volo; atque hoc meum edictum in foro Diui Traiani proponi, vt legi poſſit. Curæ autem erit Vetraſio Pollioni Præfecto Vrbi, vt ad omnes prouincias hæc conſtitutio mittatur: neque quiſquam, qui eam exſcribere, vel ipſa vti voluerit, prohibeatur. Valete.

*Iuſtinus Martyr Apol. 2. ſub finem.*

De hac huiuſmodi hiſtoria Tertullianus apertam mentionem facit, dum ad Scapulam Carthaginis præſidem, vel proconſulem ſcribens ait: Marcus Aurelius in Germanica expeditione Chriſtianorum militum orationibus ad Deum factis imbres in ſiti illa impetrauit. De Marci Aurelij Epiſtola, quam ſupra appoſuimus, idem Tertullianus luculentum præbet teſtimonium dicens hunc in modum: Si litteræ Marci Aurelij grauiſſimi Imperatoris requirantur, quibus illam Germanicam ſitim, Chriſtianorum forte militum precationibus impetrato imbre diſcuſſam conteſtatur, ſicut non palam ab eiuſmodi hominibus pœnam dimouit, ita alio modo palam diſperſit, adiecta etiam accuſatoribus damnatione, & quidem tetriore. Hæc Tertullianus. Huius item Epiſtolæ meminit Iuſtinus Martyr, eamq. ſub finem Apologiæ ſecundæ ſcriptam reliquit. Idem Oroſius lib. 7. cap. 15. De hac hiſtoria, vel Epiſtola teſtatur Euſebius lib. 4. hiſt. Eccl. cap. 12. & 13. De hac eadem hiſtoria teſtimonium protulit Apolinaris Epiſcopus Hierapolitanus in Phrygia. Idem Polyeuctus Martyr clariſſimus, eiuſdem Fulminatricis legionis miles, vt Metaphraſtes ait. Idem Gregorius Nyſſenus. Idem Niceph. lib. 4. hiſt. Eccl. cap. 12. Et Bapt. Egnatius lib. 5. cap. 7. Et Onuphr. Panu. lib. 2. Faſt. Et Cæſar Baron. in Annal. Eccl. Anno Chriſti 176.

*Tertul. li. ad Scapulam. Ann. Chriſti 200.*

*Tertull. in Apolog. ad uerſ. Gentes. cap. 5.*

*Iuſtinus Mart. anno Chriſti 148. Euſebius. Oroſius. Apollin. Polyeuct. Metaphr. die 9. Ian. Greg. Nyſ. in Quadr. Mart. Niceph. Egnat. Cæſar Baron.*

Hæc eadem hiſtoria ab Ethnicis ſcriptoribus enarratur, nec eſt qui eam inficietur. Hi autem huiuſmodi factum vel magicæ arti, vel Marci Aurelij precibus adſcribunt. Et quamuis nemo fere illorum hominum ſit, qui auxilium diuinitus obtentum Chriſtianis acceptum ferat, nemo tamẽ Epiſtolam illam confictam, & ſuppoſititiam eſſe ait. Dion autem hiſtoricus

*Dion. hiſt.*

ricus cognomento Caſſius, patria Nicæus, vir conſularis, qui Romanam hiſtoriam libris lxxx. comprehendit, copioſe teſtatur vnam Chriſtiani nominis legionem illud pluuiæ donum impetraſſe. Suidas vero rem omnem ad magiæ præſtigias refert, & præſertim in Iulianum quendam Chaldæum Magum reijcit, ſeu Arnuphin Aegyptium philoſophum magiæ præſidio præpollentem, a quo exercitum Romanum periclitantem conſeruatum eſſe ait: Sed Iulius Capitolinus in Marco Philoſopho id omne ipſi Imperatori M. Aurelio Antonino aperte tribuit. Nos autē magis Antonini Epiſtolæ quàm alijs Ethnicis fidem adhibere debemus: nam de fide eiuſdem Epiſtolæ nos dubitare nō patitur Antonini conſtitutio, quā ille in huius rei memoriam gratitudinis ergo ſanciuit.

*Suidas in dict. Iulianus.*

*Iulius Capitol.*

De hac Triumphali Columna Ioſephus Caſtalio, vir ſane eruditus Commentarium ſoluta ſcripſit oratione. De miraculo autem per Chriſtum in Marci Aurelij Imperatoris gratiam aduerſus barbaros facto elegantem edidit Elegiam.

*Ioſephus Caſtalio.*

Vt autem huic rei finem imponamus, ad columnam illam Antonini Cochlidem reuertamur dicentes, huius generis miraculum tam inſigne, Chriſti virtute editum, ad perpetuam rei memoriam dicta in columna fuiſſe exculptum, ſed imagine quadam, quæ Iouem Pluuium imbres, & fulgura demittentem, atque ex altera parte Romanos recreatos, ac lætabundos, ex altera vero Barbaros fulminibus occiſos repræſentat, vt apud Cæſarem Baronium Eccleſiaſticæ hiſtoriæ non minus doctum, quàm accuratum ſcriptorem videre eſt, qui huiuſmodi imaginem in columna inciſam, forma ænea diligenter exprimendam curauit. Ego vero ligneam formam hoc loco repræſentandam volui, vt in ſequenti pagella cernere licet.

*Cæſar. Baron. To. 2. Annal. Eccleſ.*

Quamuis





Quamuis autem Marcus Imperator pluuiæ munus Chriſtianorum precibus diuinitus datum per publicas litteras confeſſus fuerit, Gentilitas tamen Ioui pluuio illud acceptum referens Iouis alatam imaginē largientis pluuiam, barba admodū prolixa, & brachijs extēſis expreſſam, in Columna ipſa exculpſit, Chriſtianæ gloriæ monimento præclariſſimo, ſed propter Ethnicā ſuperſtitionē adiectā ſubobſcurato. Hinc ob talē impietatē, columnā illam partim barbarico olim furore, Deo ſaltē permittente, incenſam, partim vero cælitus fulminet actā fuiſſe credendū eſt. Verum vt impietas ipſa magis aboleretur, SIXTVS V. Pontifex Max. eam columnā multis in locis fractā & laceram, ſummo ſtudio, magnaq. impenſa reſtaurādam, & in priſtinā formam reſtituendā, exorcizandāq.

 curauit,

curauit, in eiusq. faſtigio pro Marco Antonino Philoſopho, & pro Antonino Pio, æneum, & inauratum ſimulacrum Sancti Pauli, qui verus Chriſtianæ fidei Philoſophus, & Doctor Gentium fuit, veramq. pietatem Chriſtianam excoluit, & propagauit, collocari iuſſit, vt hoc item facto, veram non fuiſſe pietatem illam Antonino Pio tributam, ob quam præſertim virtutem columnā, ac ſtatuam ſibi a Marco filio erigendam cōmeruit, oſtenderetur. Virtutes enim, vt ait Sanctus Pater Auguſtinus, niſi ad verum Deum referantur, non virtutes, ſed vitia iudicanda ſunt, iuxta illud Apoſtoli dictum: Quod non eſt ex fide peccatum eſt: nam a communi Theologorum ſchola, vt alias in hanc ſententiam interpretationes poſthabeam, omnis vita infidelium peccatum nuncupatur ex quadam concomitantia, peccato ſcilicet infidelitatis concomitante omnes infidelium actiones.

*S.Aug.lib. 19.de ciu. cap.25.*
*Rom. 14.*

Infideles enim, quatenus infideles, efficere poſſunt aliquod opus bonum, quod de genere bonorum dicitur, illud tamen opus bonum, vt eleemoſyna, & id genus alia, vt Aegidius Romanus & alij Doctores inquiunt, ſi ad idolum, vel ad inanem gloriam referatur, peccatum omnino eſt: quia eſt opus bonum, ſed non bene factum: ſi autem non ad idolum, nec ad inanem gloriam illud referatur, ſed naturali quadam pietate, non tamen eſt omnino bonum, peccato infidelitatis concomitante, formaq. operis, charitate ſcilicet, deficiente. Et ſicut, teſte Ariſtotele, iuſtus ille non eſt cenſendus, qui iuſte non agit, etiamſi iuſta faciat, iuxta illud præceptum: Iuſte quod iuſtum eſt perſequeris; ita nec pius iudicandus eſt qui pietatem quādam hoc vel illo modo præſtat, peccato ſcilicet infidelitatis concomitante, quo ſaltem Antoninū Pium ſuam exercuiſſe pietatem, cenſendum eſt. Id quod alijs item Gentilibus vera fide carentibus accidiſſe dicas oportet, qui virtutes tanquā animæ facultatum perfectiones, non tanquam ad optimum & ſupremum finem, Deum verum, ordinatas cognouerunt. Quare ſanctus Bonauentura recte ait, Philoſophos pennas habere ſtruthionis, qui etiamſi alas habeat, non tamen inſtar aliarum auium volare poteſt. Gentilium enim virtutes, quæ vicem alarum in hominibus quodam modo gerunt, nec ſunt fide illuſtratæ, nec ſpe ſuſtentatæ, nec Chriſtiana

*Aegid.Roman.li.2. ſent. diſt. 41. q. 2. art. 3.*
*Ariſt. lib. 2. Moral. Nichom. cap.4.*
*Deut. 16.*
*S. Bonau. i hexaem. ſer.7.10.1.*



na denique charitate informatæ, hominem ad æternæ vitæ præmium eleuare non queunt. Quare huiuſmodi pietate inſigniti non vere pij, ſed potius impij quadam ex parte dici poſſunt. Quam profecto rem SIXTVS QVINTVS facto ipſo explicauit, dum in columnæ vertice verum pietatis cultorem, Gentium Doctorem, & vas electionis Sanctum Paulum, ſeu Pauli ſimulacrum collocauit, atque ita, vt non inſulſe cecinerit Blancus in hanc verborum formam: *Pag. 36.*

*Iure Antoninum Paulo vis, SIXTE, ſubeſſe:*
*Nam vere hic pius eſt, impius ille Pius.*

Iure quidem: nā ſicut hæc columna a Marco Aurelio Philoſopho fuerat dedicata Antonino Pio, ſeu potius impio, ſi falſa religio ſpectetur Imperatoris, qui *Sixto* primo ſedēte imperauit, ita a *Sixto* ipſi Paulo vere Pio, veroq. Chriſtiano Philoſopho, ac Gentium Doctori erat conſecranda, vt iniuria Deo illata, dum Imperatori, qui temporibus *Sixti* primi vixit, Columna dicatur, a *Sixto* quoque optimo iure vindicaretur.

*Ex hiſtor. Tarchag. par.2. lib. 3. Et Annal. Eccl. Caſ. Bar. to. 2. & alijs.*

Hæc de Columna Antoniana, deq. Ethnicorū virtutibus, de quibus alibi prolixiorē habui ſermonē, dū quærere, num Philoſophi in lege naturæ ſaluari potuerint: vbi multa, & ſcitu quidē digna de Platone recitantur. Nunc reliquū eſt, vt cetera ad Bibliothecæ Vaticanæ Appendicē pertinētia tranſeamus.

*Lib. de Patiētia Italica lingua cōſcripto. Multa itē de Plat. ſupra, pagina 114.*

---

# APPENDIX DE DIALECTIS,

## hoc eſt de varijs linguarum generibus.

RAPTIM ego, & currente quaſi, vt dicitur, calamo, grauioribus negotijs diſtentus variarū linguarum characteres, eorumq. inuentores ſuo iam loco deſcripſi. Hinc de Dialectis Appendicem hic conſcribendam cenſui, vt quiſque maiorem inde, exactioremq. cognitionem adipiſci valeat. Gentes enim, & linguas ſeptuaginta quinque eſſe multi hac ratione ducti dixerunt quòd Moyſes ſcripſit, Animas exijſſe ex Iacob in vniuerſum quinque & ſeptuaginta, quæ in Aegyptum deſcenderunt: vel vt alijs placet, ſeptuaginta duas eſſe linguas e totidem capitibus fami-

*Euphorus & alij ex Clem. Alexan.*
*Gen.46. Exo.1. Act.7. Gen.10.*

liarum, quę in Geneſi recenſentur. Reliquæ vero linguæ multæ ad vnum genus commune, quod duas, aut tres, pluresve dialectos contineat, referendæ ſunt.

Hoc autem loco ſilentio prætereundum non eſt, cur in Geneſi, & in Exodo ſeptuaginta, in Actibus vero Apoſtolorũ ſeptuaginta quinque fuiſſe animas, quæ in Aegyptum ingreſſæ ſunt, legatur. Ad quam rem declarandam, ſubſcribam quæ S. Hieronymus docet hiſce verbis: Omnes animæ (inquit) quæ ingreſſæ ſunt cum Iacob Aegyptum, & quæ exierunt de femoribus eius abſque mulieribus filiorum Iacob animæ ſexagintaſex. Filij autem Ioſeph, qui nati ſunt ei in Aegypto, animæ nouem. Omnes ergo animæ, quæ ingreſſæ ſunt cum Iacob Aegyptum, ſeptuagintaquinque, quòd excepto Ioſeph & filijs eius, ſexagintaſex animæ, quæ egreſſæ ſunt de femoribus Iacob, introierunt Aegyptum, nulla dubitatio eſt. Ita enim & paulatim per ſingulos ſupputatus numerus approbat, & in Hebræis voluminibus inuenitur. Hoc autem quod in ſeptuaginta Interpretibus legimus, Filij autem Ioſeph, qui nati ſunt ei in Aegypto, animæ nouem, ſciamus in Hebræo pro nouem eſſe duas. Ephraim quippe & Manaſſe antequam Iacob intraret in Aegyptum, & famis tempus ingrueret, nati ſunt de Aſeneth filia Phutipharis in Aegypto. Sed & illud, quod ſupra legimus, Facti sũt autẽ filij Manaſſe, quos genuit ei concubina Syra Machir, & Machir genuit Galaad, Filij autẽ Ephraim fratris Manaſſe Suthalaam Ethaam; Filij vero Suthalaam Edom additum eſt. Siquidem id quod poſtea legimus, quaſi per anticipationem factum eſſe deſcribitur. Neque enim illo tempore, quo ingreſſus eſt Iacob Aegyptum, eius ætatis erant Ephraim & Manaſſe, vt filios generare potuerint. Ex quo manifeſtum eſt, omnes animas, quæ ingreſſæ ſunt Aegyptum de femoribus Iacob, fuiſſe ſeptuaginta, dum ſexagintaſex poſtea ingreſſæ ſunt, & repererunt in Aegypto tres animas, Ioſeph ſcilicet cũ duobus filjs eius. Septuageſimus autem ipſe fuerit Iacob. Hanc rem ne videamur aduerſum ſcripturæ auctoritatem loqui, etiam ſeptuaginta interpretes in Deuteronomio tranſtulerunt, quòd in ſeptuaginta animabus ingreſſus eſt Iacob in Aegyptum. Si quis igitur noſtræ ſententiæ refragatur, ſcripturam inter ſe contrariam

*S. Hieron. in Gen. to. 3.*

*Ex Gen. 46.*

*Et Exo. 1*

Ephraim & Manaſſe filij Ioſeph.

Quinque filij filiorũ Ioſeph.

Conciliatio locorum.

*Deut. 10.*



trariam faciet. Ipſi enim ſeptuaginta interpretes, qui hic ſeptuaginta quinque animas per prolepſim cum Ioſeph & poſteris ſuis Aegyptum ingreſſas eſſe dixerunt, in Deuteronomio ſeptuaginta tantum intraſſe memorant. Quòd ſi econtrario nobis id opponitur, quomodo in Actibus Apoſtolorum in concione Stephani dicatur ad populum, ſeptuaginta quinque animas ingreſſas eſſe Aegyptum, facilis excuſatio eſt. Non enim debuit ſanctus Lucas, qui ipſius hiſtoriæ ſcriptor eſt, in Gentes Actuum Apoſtolorum volumen emittens, contrarium aliquid ſcribere aduerſus eam ſcripturam, quæ iam fuerat Gentibus diuulgata. Et vtique maioris opinionis illo duntaxat tempore ſeptuaginta interpretum habebatur auctoritas, quàm Lucæ, qui ignotus & vilis, & non magnæ fidei in nationibus ducebatur.

Hoc autem generaliter eſt obſeruandum, quòd vbicumque ſancti Apoſtoli, aut Apoſtolici viri loquuntur ad populos, ijs plerumque teſtimonijs abutuntur, quæ iam fuerant in Gentibus diuulgata. Hæc S. Hieronymus loco ſupra citato. Reliquum eſt vt ad Dialectos reuertamur.

Dialectus eſt dictio quæ peculiarem alicuius loci notam præſefert, vel propriam aut communem Gentis characterem oſtendit. Hinc Græci dialectorum ſuæ linguæ differentias quinque, Atticam ſcilicet, Ionicam, Doricam, Æolicam, & Communem habere dicuntur. Voces autem barbaræ a Græcis vſurpatæ gloſſæ dictæ ſunt, vt Clemens Alexandrinus teſtatur: ob idq. Galenus gloſſas Hippocratis, ideſt priſca, & obſoleta in eius libris vocabula proprio libro interpretatus eſt.

Dioſcurias, Vrbs in Colchide, nunc deſerta, quondã adeo clara fuit, vt nonnulli prodiderint in eam trecentas nationes, quæ diſſimilibus linguis vterentur, deſcendiſſe, ſicut Plinius ait, deinde a Romanis centum triginta interpretibus negocia ibi geſta fuiſſe.

Mithridatem Ponti regem duarum & viginti gentium ore loquutum conſtat, nec de ſubiectis gentibus vllum hominem per interpretem ab eo appellatum quinquaginta ſex annis, quibus regnauit.

Diodorus Siculus de fabuloſis antiquorum geſtis narrat, inſulam quandam, Felicem dictam, habere homines, qui non ſolum

Obiectio. *Act. 7.*

Reſpõſio.

Regula.

*Dialectus quid ex Clemente Alexand. lib. 1. Strom.*

*Clem. Alexan lib. 1. Strom.*

*Plinius li. 6. cap. 6. Et Stephanus ex Demoſthene Græco.*

*Ex ijſdem ſcriptoribus.*

*Diod. li. 3.*

ſolum voce humana loquantur, verumetiam auium diuerſarum cantus imitentur ob linguam diuiſam ſibi a natura datam. Quodq. mirabilius eſt, vnum hominem cum duobus loqui poſſe ait: vna enim linguæ pars vni: altera alteri loquitur.

*Herodotus Cic. lib. de leg.*

Herodotus Halicarnaſſeus a Cicerone Pater hiſtoriæ nuncupatus narrat Troglodytas Æthiopes, qui ſerpentibus & lacertis veſcuntur, voce inſtar veſpertilionum ſtridere.

*Nutus pro lingua.*

In remotiſſimis quibuſdam ad ſeptentrionem regionibus mercatores rerum commutationes nutibus & geſtibus facere legimus: non quòd loquendi facultate omnino careant tanquam muti, ſed quòd linguis plane diuerſis vtantur.

*Gen. 11. Idem pag. 81. Gen. 11.*

Varia igitur linguarum genera & permulta quidem, ſiue ſeptuaginta duo, ſiue plura vel pauciora iam inde ab ædificatione Turris extitiſſe pro comperto habetur. Immo, vt alij volunt, ex illa ædificatione, ſeu potius inſania, tanta homini ſermonis varietas, linguarumq. confuſio innata eſt, vt quot orbis Regiones ſunt, tot hominum linguæ ſint: prius enim vniuerſa Terra, teſte Moyſe, labij vnius erat. Quamuis autem ceteræ linguæ ab Hebræo Idiomate originem traxerint, ſola tamen Hebraica, vel tanquam omnium prima & antiquiſſima, pura & ſincera remanſit, vel ob eas fortaſſe rationes, quas recenſuimus, dum de ea ſuo iam loco loquuti ſumus: nulla enim lingua eſt, quæ ab Hebraica quædam deriuata & corrupta vocabula nō habeat, vt Chaldaica, Syriaca, Phrygiaca, Aegyptiaca, Punica, Græca, Latina & aliæ.

*Pag. 80. et 81. Ex S. Hieron. in cap. 9. Iſa. Et Iſid. lib. 1. Etym. c. 3. Vide pag. 118. Pag. 153. Infra de Carica lingua, Germanica, & Italica.*

Et ſicut Latini innumera non ſolum artium, ſed rerum etiam vocabula a Græcis mutuati ſunt, ita aliæ linguæ multas item voces acceperunt a Latina, quæ a Gothis, & ab alijs Populis in Italia, Gallia, & Hiſpania atque alibi corrupta eſt, vt ſatis eo loci dictum fuit, vbi de Gothorum litteris verba fecimus. Sic etiam alias linguas inter ſe corruptas fuiſſe conſtat, vt alio in loco oſtendemus, cum de barbaricis linguis ſermonem habebimus: omnes enim linguæ, Hebraica, Græca, & Latina ſaltem exceptis, Barbaricæ dici poſſunt, ac debent. Hinc, vt ceteras nunc rationes poſthabeam, tribus hiſce linguis vniuerſa Biblia conſcripta, Titulumq. Saluatoris noſtri Cruci non ſine diuino conſilio, ac myſterio appoſitum



tum fuiſſe dicendum eſt. Sed quamuis Græci ceteras linguas Barbaricas appellare conſueuerint, hæ tamen tres inſigniores ſunt, præcipuumq. obtinent locum, Hebraica præſertim lingua tanquam omnium linguarum genitrix, & mundo coœua, vt alibi dictū eſt, vbi multarum linguarum originem demonſtrauimus. Quādo autem a Plauto, & ab alijs probatiſſimis Scriptoribus Latina lingua barbara nūcupatur, hæc vox, *Barbara*, pro extera voce ſumitur. Barbari enim aliquando pro aduenis, aut exteris populis dicti ſunt. Hinc Næuius, Plautus, & alij Poetæ Latini appellati ſunt barbari, ideſt exteri, quippe qui comœdias Græcas latinitate, hoc eſt lingua extera, donarunt. Quare Plautus in Aſinaria inquit: Nomen huic Græcæ Onagros eſt fabulæ, Demophilus, ſcripſit (ideſt Græce) Marcus vertit barbare (ideſt Latine.) Item in Trinummo: Græce eſt huic Theſauro fabulæ, Philenus ſcripſit (ideſt Græce) Plautus vertit barbare (ideſt Latine.)

*Pag. 86. et 87. In Prologis.*

Præcipuæ igitur & inſigniores linguæ ſunt Hebraica, Græca, & Latina. Quod cum ita ſit, ab re alienum me facturum non puto, ſi de harum trium elementis nonnulla dicantur antequam ad ſingulas quaſque linguas perueniamus, cum ipſæ exactiorē quidem ſermonem iure poſtulent. Hebraica enim elementa & Græci, & Latini ſibi deſumpſerunt, non ſolum quantum ad ſcribendas aliqua ex parte notas, verum etiam quantum ad earundem pronunciationes, & præſertim Græci, vt infra videre eſt.

*De triplicis Alphabeti conſonantia.*

Hebraice Aleph. א. Græce Alpha α. Latine A.

*Pag. 92. et 118.*

Primum autem huiuſce linguæ ſacræ elementum non ſolum a Græcis & Latinis, ſed ab omnibus fere linguis vſurpatum eſſe inueni, vt dictum eſt eo loci, vbi de nouo Alphabeto Hebraico ſermonem habui. Prima enim Hebraica littera, Aleph nuncupatur. Hæc deinde Alepha, & per ſyncopen Alpha a Græcis dicta eſt. In alijs linguis prima Alphabeti littera vel eandem omnino Hebræorum pronunciationem, vel initium, vel ſaltem deſinentiam eiuſdem pronunciationis retinet, velut apud Syriacos & Aſſyrios, Aegyptios et Aſianos,

nos, Samaritanos et Armenos, Arabes et Aethiopes, Indos et Saracenos, Phœnices et Illyricos ſiue Dalmatas, Hetruſcos, et Turcas, necnon apud alias Nationes: nam ſicut prima littera ab Hebræis, et ab alijs Aleph vocitatur (a Chaldæis tamen Olaph) ita ab Indis Alefu, ab Aſſyrijs, ſiue Syriacis, ac Phœnicibus Aluz, a Saracenis Alchmon, ab Aegyptijs Athomus, vel Athoin, a Græcis, Hetruſcis, et Iacobitis, multisq. alijs Nationibus Alpha, et a Latinis, A. Id quod non ſine conſilio, aut myſterio factũ eſſe dicendũ eſt. Hæc denique littera a Dionyſio plenitudo vocis appellatur: a cuius litteræ figura aliquoties coniũcta hoc modo,  , pentagonũ nuncupatur pẽtalpha, quaſi quintuplum Alpha: nã in huiuſmodi figura, ſi recte ſpectetur, A, vel Alpha quinquies videtur eſſe repetita.

*Ex Appẽd. Theſ. Ambroſ. de introd. variarũ linguarum.*

Hebraice Beth ב. Græce Beta β. Latine Be b.

Hæc littera Hebraice Beth, Græce Βῆτα, et Beta, Latine B, vel Be, dicitur: vtrumque tamen ab Hebraica pronunciatione Beth. Beta autem vel Be a Latinis pronunciari debet, non Vita. Quòd autem hoc elementum Beta, non vita appellari debeat, illud nobis argumento eſt, quòd Alphabetum, non Alphauitum ex duarum litterarum Alpha et Beta voce vel ſono compoſitum ab omnibus dici ſolet, vt erudite docet Adolphus Mekerchus Brugenſis, quem maiori ex parte in huiuſmodi ſymphonia, ſiue conſonantia Alphabeti Hebraici, Græci, atque Latini ſequuti ſumus. Hinc Iuuenalis de Beta teſtatur hunc in modum:

*Iuuenalis.*

*Hoc diſcunt omnes ante Alpha, & Beta puelli.*

Et Martialis lib. 5.

*Dicas licebit Beta me togatorum.*

Hinc Græci Latinis vel Hebraicis vtentes dictionibus, per b, litteram ſcribunt, eas item per β ſcribere ſolent, vt Brutus, Βρῦτος. Strabo, Στράβων. Tiberius, Τυβέριος. Benedictus, Βενέδικτος. Budæus, Βυδαῖος, idq. genus alia ſexcenta apud Plutarchum, Dionem, et alios Hiſtoricos Græcos paſſim videre eſt. Idem dicitur de vocibus Hebraicis, vt Saba, Σαβά. Balaam, Βαλαάμ. Baal, Βαάλ. Abraam, Ἀβραάμ, et alia id genus permulta. Id quod clarius patet ex ea dictione Hebraica, vel, vt S. Hieronymus ait, Syrica, quam ex duabus primis Alphabeti Hebraici litteris Aleph et Beth compoſitam Beatus Paulus ſuis in Epiſtolis hoc modo reliquit Ἀββᾶ, ὁ πατὴρ, Abba ideſt Abba Pater, vt quiddam eſſe in hac voce peculiare, quod et patres libenter audiunt, et pueri ſtatim ſonare diſcunt. Infantes enim pro hac voce *Abba*, *Babba* vel *Babbo* pronunciare incipiunt. Qui igitur *Vita*, non *Beta* pronunciant, inepte et corrupte loquuntur, illud vitium imitantes, quo Hiſpania, & Caſtellæ præſertim prouincia, ſiue Burgenſis Diœceſis perpetuo laborat pronuncians *Veſtia*, pro Beſtia: *Vene* pro Bene, vt alibi ſub alijs exemplis demonſtratum eſt: & e conuerſo ſiue præpoſtere: *Bita* pro Vita: *Bacca* pro Vacca: & *Vonum binum* pro Bonum vinum, vt apud Vaſcones in Hiſpania citeriore populos, quibus hoc vitium peculiare eſt: dicunt enim *Bibo* pro Viuo, quaſi eorum viuere, Bibere ſit, vt neſcio quem in quodam Epigrammate de ijs hac in re non inſulſe luſiſſe memini. De hac littera multa alia vide in Adolpho Mekercho Brugenſi.

*S. Hieron. in c. 4. ad Gal. to. 6.*



*Rom. 8. Gal. 4.*

*Pag. 158.*

*Adolphus de pronũc. linguæ Græcæ.*

Hebr. Ghimel ג. Græc. Gamma. Γ, γ. Lat. Ge. G, g.

Hæc littera eodem fere ſono apud Hebræos, Græcos, atque Latinos pronunciari ſolet, & ab Hebræo nomine originẽ traxit. Et quoniã Græce Gamma dicitur, hinc hæc littera Ϝ, Digãma Aeolicũ appellatur quia duplicis Gammatis imaginẽ referre videtur, hoc modo F, Γ Γ. de quo ſuperius ſatis dictum fuit. Apud Græcos autẽ Gamma geminatũ, vim & ſonum, n, retinere ſolet, vt Αγγελος, Angelus. Ita etiam ante χ vt Ἐγχος Enchos. Et ante kappa, vt πέφαγκα Pephanca.

*Pag. 140. & 141.*

Hebr. Deleth ד. Græc. Delta. Δ, δ. Lat. De. D, d.

Delta a nomine Hebræo Daleth, ſiue Deleth. Vnde deleta, & per ſyncopen Delta, triangularis figuræ imaginem apud Græcos repræſentans hoc modo Δ, vt alibi me explicaſſe memini.

*Pag. 114.*

Hebr. He ה. Græc. Epſilon. Ε, ε. Lat. E, e.

Hebræis nulla eſt littera, quæ Græcæ litteræ Epſilon reſpondeat, niſi accipiatur He, quam Græci in vocalem mutauerunt, vt Heth in Ητα.

Hebr. Tſade צ. Græ. Zeta. Z, ζ. Lat. Zeta. Z, z.

Hæc littera a Græcis dicitur Zeta, non Zita, & Tſade Hebræorum, non Zain, opponitur. Flandri pronunciant, Tſ: Latini pro Zeta Græco elemento. Hanc litteram, vt Martianus Capella refert, Appius Claudius reformidauit, quòd dum exprimitur, morientis dentes imitetur, vt ſuperius demonſtratum eſt. *Pag. 138.*

Hebr. Heth. ח. Græ. Eta, H, η. Lat. E. E, e.

Heth Hebraice, pro qua Græci Hta, vel Eta, Latini conuertunt in E, longum. Sed Hta Græcum Latine rectius Eta, quàm Ita pronunciandum videtur, vt ΙΗΣΟΥΣ, IESVS, non Iiſus, & ΗΛὶ ΗΛὶ λαμασαβάχθανι, Heli Heli, lamaſabachthani. Beth item ſecundum Alphabeti Hebraici elementum in Threnis Græce ſcriptum inuenitur Βὴθ, a Latinis non niſi Beth Hebræorum more pronunciandum eſſe ratio ipſa perſuadet, non Vith, vel Bith, ſicut de Beta Græco non Vita a Latinis ſcribendum, pronunciandumq. eſſe demonſtrauimus, ex Mekercho Brugenſi.

Hebr. Teth ט. Græ. Theta. T, τ. Lat. The. T, t.

Hæc littera pro Th idem valet apud Hebræos, Græcos, & Latinos, & eandem fere pronunciationem apud eoſdem habet. Et quamuis Græce θῆτα ſcribatur, & pronuncietur per I, a Latinis tamen per E, non per I, pronunciari debet iiſdem rationibus, quas de Beta, Zeta, & Eta enarrauimus. Theta igitur non Thita dicendum eſt. De huius litteræ myſterio, & apud Iudices vſu, ſatis dictum eſſe reor alijs in locis. *Pag. 84. 114. & 129.*

Hebr. Iod. י. Græ. Iota. I, ι. Lat. I, i.

Littera Iota ab Hebræo Iod, t, pro d, vſurpato, & Latine I, reſpondet. Quamuis autem I, varie a Græcis ſcribatur, & pronuncietur (ſunt enim apud eos varijs characteres eundem fere ſonum retinentes) Iota tamen apud Græcos & Latinos eſt idem elementum, & nunquam eius mutatur figura, etiamſi apud Latinos vim conſonantis interdum obtineat.

Hebr.



Hebr. Cap. Caph. vel Coph. כ. Græ. Kappa. K, κ. Lat. Ce. C, c.

Hoc elementum quamuis apud Hebræos, Græcos, & Latinos eandem notam, idemq. nomen omnino nō habeat, eandem tamen retinet poteſtatē. Hac littera veteres Latini frequentius vtebātur, quàm noui: & nō minus recte per C, quàm per Q ſcribere ſolebant, vt Cuando, & Cuoniam pro Quando, & Quoniam, & id genus alia: quia C, & Q, maximam inter ſe habent affinitatem, vt videre eſt in Relatiuo Quis, vel Qui, nam eius obliqui tam C, quàm Q, retinere ſolent, vt Cuius, Cui, & Quem & Quo, vt fuſius alio in loco dictū eſt. *Pag. 138.*

Hebr. Lamed. ל. Græc. Lambda. Λ, λ. Lat. El. L, l.

Hæc littera tam apud Hebræos, quàm Græcos & Latinos eandem retinet poteſtatem, quamuis eandem notam, idemq. nomen non habeat apud eoſdem. Interdum autem apud Græcos λλ geminata, prima vim & ſonum, n, retinere ſolet, vt Μάλλιος, Manlius.

Hebr. Mem. מ. Græc. My. M, μ. Lat. Em. M, m.

Hoc elementum tam apud Hebræos, quàm apud Græcos & Latinos idem fere nomen litterulis tranſpoſitis, eandemq. pronunciationem habere videtur: eandem tamen retinet poteſtatem. Eſt littera, quæ labris imprimitur: ſi autem huiuſce litteræ nomen Hebraicum diligenter ſpectes, illud a ſuauiſſimo nomine, quo infantuli Matrem ſiue nutricem appellant, non multum diſtare dicas oportet. Infantuli enim Matrem ſiue nutricem Mammam vocitare ſolent. Hinc Martialis: *Martialis li. 1. Epig. 56.*

*Mammas atque Tatas habet Afra, ſed ipſa Tatarum*
*Dici, & mammarum maxima mamma poteſt.*

Varro: Qui cibum ac potionē Buas & Pappas vocant, & Patrē Tatā, & matrē Mammā. Hæc Varro. Bua infantulorū potio, Bomba, vel Bombo a Noſtratibus dicta: Māmā vero qua Matres vocantur, a mamma feminea, lactis receptaculo, quo ipſis infantulis nihil charius iucūdiusve eſſe poteſt, ortum traxiſſe puto. Hinc in aliquot Italiæ locis, & præſertim apud Noſtrates, pueri omnes Mammoli a māma, & puellæ Mammolæ vo- *Varro de liberis educandis: & Cato.*

Pp 2 citantur.

citantur. Hac eadem, vt ſuſpicor, ratione Auia, patris, vel matris Mater, Μάμμη Græce dicitur, ideſt Mamme, cum Auia mea patri, vel matri meæ præbuerit mammam, ſiue mamillam, & quodam modo quaſi altera mater mea dicenda ſit. Ob id mammare apud S. Aug. eſt mãmas ad ſugendũ prębere.

Hebr. Nun. נ. Græ. Ny. Ν, ν. Lat. En. N, n.

Nun Hebraice, Græce vero Ny, quaſi Nu per u exile, abiecto vltimo, n: & hoc modo eſt idem huius elementi nomen tam apud Hebræos, quàm apud Græcos: & idem ſonat quod N apud Latinos.

Hebr. Scin. ש. Græ. Xi. Ξ, ξ. Lat. Ix. X, x.

Hoc elementum valet idem quod cſ, vel gſ. Græcus ille ſonus Xi, ab Hebræo ductum videtur, et eſt eadem nota, quæ et Latina, litterulis inuerſis, vt Xi, et Ix.

Græ. Omicron. Ο, ο. Lat. O, o.

Nulla littera Hebraici Alphabeti huic Græce reſpondere inuenitur, ſed Latinæ O. Appellatur autem apud Græcos O, breue ad differentiam ω, quæ eſt O magnum, vt fuſius loco ſuo dicetur.

Hebr. Pe. פ. Græ. Pi. Π, π. Lat. Pe. P, p.

In hoc elemento Hebræi et Latini, quod ad nomen pertinet, nihil omnino differunt: Græci vero ab ijs non nihil: immo adeo parum, vt nihil diſtare videatur. Huius autem litteræ eadem eſt poteſtas apud omnes.

Hebr. Res. ר. Græ. Rhῶ. Ρ, ρ. Lat. Er. R, r.

Huius litteræ originem Græcus traxiſſe videtur ab Hebraico elemento Res, vel Reſc, a quo tamẽ longius remotum nomen deſumpſit: Latinus vero propinquius, duabus primis litterulis inuerſis, et vltima abiecta.

Hebr. Samech. ס. Græ. Sigma. Σ, σ. Lat. Es. S, ſ.

Huius litteræ nomen tam apud Hebræos, quàm Græcos idem fere videtur eſſe, quadam tamen litterarum mutatione, ac traiectione facta: et a Meſſalla coruino ſibilum uocatur.

maiuſcu-



maiuſcula littera eſt M, Latinum tranſuerſa conſcriptum. *Pag. 138.* Antiquiores Græci pro littera S, maiuſcula vtebantur ea nota, quæ eſt eadem prorſus ac C Latinorum, niſi quòd extrema cornua habet intus magis reflexa, & magis oblonga hoc modo C. Hinc per abbreuiationem tribus modis ſcriptitare ſolebant Ieſu Chriſti, Saluatoris noſtri nomen, vt IC: vel IΣ. vel IHΣ. Qua ex re imperiti hoc nomen ſcribebant cum adſpiratione hunc in modum Iheſus, vel IHESVS, vel IHS, putantes H Græcum, eſſe h Latinum, vt fuſius alio in loco a me dictum eſt. *Pag. 178. & 179.*

Hebr. Tau. ת. Græ. Tau, vel Taf. Τ, τ. Lat. Te. T, t.

Tau, tam apud Græcos, quàm apud Hebræos pronunciari debet hoc elementum. De myſterio huius litteræ, quæ ſanctiſſimæ crucis ſimilitudinem repræſentat, multa diximus eo in loco, vbi Alphabetum Hebraicum antiquius appoſitum *Pag. 83.* eſt. Hinc eadem repetere ſuperuacaneum cenſeo. Addam tamen quod ſentit Tertullianus dicens: Ipſa eſt enim littera *Tertul. li. 3. adu. Marcionẽ.* Græcorum Tau, noſtra autem T, ſpecies Crucis, quam portendebat futuram in frontibus noſtris apud veram & Catholicam Hieruſalem. Quapropter etiam Typus eſt ſacroſanctæ Crucis Domini noſtri Ieſu Chriſti.

Græ. Ypſilon. Υ, υ. Lat. Fyo. Y, y.

Nulla in Alphabeto Hebraico littera eſt, quæ huic Græcæ Ypſilon reſpondeat: eſt enim Græca tantum, qua Latini in *Pag. 127. & 145. & 158.* dictionibus Græcis vtuntur. De huius litteræ myſterio alijs in locis multa diximus, hinc ea hoc loco ſubticenda cenſeo.

Hebr. Phe. ף פ. Græ. Phi. Φ, φ. Lat. Ef. Ph.

Hæc littera apud Hebræos & Græcos eodem fere nomine pronunciatur, & Latino F, reſpondet: quod quidem inuerſum Ⅎ Digãma appellatur, ſolis Æolibus peculiare. De hoc *Pag. 140. 141. 142. & 143.* Digammate, quod Claudius Imperator inueniſſe fertur, multa ſuo iam loco dicta ſunt. Hinc eo confugiendum eſt.

Græ. Chi. Χ, χ. Lat. Ch.

Nullum eſt apud Hebræos elementum, quod Græco, aut

Latino

Latino reſpondeat. Græci autem & Latini, quod ad figuram pertinet, omnino conueniunt. Græci enim pro littera maiuſcula vtuntur hoc elemento X, quod quidem a Latinis vſurpatur, ſed non pro Ch, veluti apud Græcos. X enim apud Latinos habet vim cſ, & gſ, inſtar litteræ Græcæ, Ξ I. Hinc imperitorum Latinorum ortus eſt error: hi enim ſcribunt ſic Xp̄s, pro Chriſtus, putantes hanc dictionem, ΧΡΣ, ſic a Græcis conſcriptam, conſtare ex X, & P, Latinis litteris, cū ſint Græcæ pro Ch, & R. nam X Latinū adſimile Χῖ Græco: & P Latinum, Pω Græco eſt. De hoc modo ſcribendi multa ſuo iā loco dicta ſunt, hinc cetera ſunt hic prætermittenda.

*Pag. 177. & 178.*

Græ. Pſi. Ψ ψ  Lat. Pſ.

Hæc littera apud Hebræos non inuenitur, nec apud Latinos: ſumitur autem pro pſ, aut bſ, vt ψαλμὸς, Pſalmus: & Ἄραψ, Arabs.

Græce. Omega. Ω, ω.

Hoc elementum eſt tantum apud Græcos, & vocatur O, magnum duabus de cauſis: tum quia eſt natura longum, tum quia veluti ex duobus, οο, conſtare videtur. vtraque item ratione dicitur magnum ad differentiam, Omicron, quod appellatur o breue.

Hæc de præcipuis linguarum generibus, a quibus omnia alia Idiomata emanaſſe cenſendum eſt, vt experientia ipſa docet. Antea vero quàm ad ſingulas quaſque linguas declarandas perueniamus, de cæleſtium ſpirituum necnon animalium Dialectis nonnulla dicenda eſſe reor. Plato enim Dijs Dialectum quandam attribuit, coniectura ex ſomnijs & oraculis facta: & inſuper ex dæmoniacis, vt qui non ſua, ſed dæmonum inhabitantium Dialecto loquantur. Ego vero ſpiritibus tam bonis quàm malis Dialectū eſſe peculiarem quandam non crederem cum ij in corporibus aſſumptis quauis lingua loqui poſſint, & locutione aliqua externa non indigeant, quando ad mortales non loquuntur. Angelus enim alteri Angelo duobus modis loqui poteſt, hoc eſt, verba in corde ſuo formata, vel in mente aut cogitationes per ſigna intelligibilia exprimendo, vel virtutem ſuam ad res corporeas

*Dialectus ſpirituum ex Platone in Cratylo.*

*Ex Aegid. Rom. li. 2. Sent. diſt. 10. q. 3. artic. 1. dub. 5. & 6. laterali.*



reas abſque corporum tranſmutatione applicando: cum enim Angelus couertit ſe ſuper ſpeciem intelligibilem, quam habet apud ſe, format inde verbum, quod eſt idem quod cogitatio: & tale verbum in vno Angelo non eſt notum alteri Angelo: quia nec vnius Angeli cogitationes natura ipſa alteri Angelo ſunt notæ, niſi in genere. Poſtquam vero Angelus conuertit ſe ſuper ſpeciem intelligibilem, & formauit inde verbum, quod eſt cogitatio; poteſt iterum ſe conuertere ſuper huiuſmodi verbum, & formare aliquod ſignum intelligibile, quod etiam poteſt appellari verbum, quia eſt illius verbi formati expreſſio. Angelus igitur alteri Angelo loqui poteſt his duobus modis, vel cogitationum, verborumq. formatorum expreſſione, vel ſuæ virtutis ad res corporeas applicatione. Homini autem vno tantum modo loqui poteſt, ſuæ videlicet virtutis ad res corporeas applicatione. Id quod duobus item modis fieri poteſt: vel per organum ſiue inſtrumentum phantaſticum ad phantaſiam ſpectans, ab eo mutatum, vel per aerem ab eodem commotum, corporis tamen tranſmutatione. Quamuis enim Angeli non habeant linguā, nec item organa alia corporea ad locutionem pertinentia, eis tamen res corporeæ, quantum ad motū, ſicut vniuerſa Theologorum ſchola fatetur, ad nutum obediunt: & quia omnes ſpiritus perfectam de rebus corporeis ac naturalibus habent cognitionem, hinc in imaginatione, & organo phantaſtico cuiuſuis hominis efficere poſſunt aliqua ſigna imaginabilia, vel ſpecies imaginabiles, vt ſibi placet, deducendo humores, et ſpiritus animales ad principium ſenſitiuum, et organum phantaſticum, vel ad phantaſiam, in quibus huius generis ſpecies, vel ſimilitudines ſedem habent: et hoc primo modo homini loquuntur, repræſentantes ei quæ repræſentare volūnt. Secundo autem modo Spiritus loqui poſſunt homini aerem commouentes, vel condenſantes, vel frangentes, aut verberantes, atque ita, vt fiant ibi ſoni quicunque iuxta ſuam ipſorum Spirituum voluntatem, aut placitum propter voces efficiendas, et locutionem formandam, cum eis perfecta rerum naturaliū cognitio ſit, reſq. corporeæ ad nutum ijs obediant eo modo, quo dictum eſt. Quamuis igitur Spiritus loqui poſſint hominibus, ego tamen non video, cur eis peculiaris

*Spirituū locutio.*

*Angelus Angelo duob⁹ modis loqui poteſt: homini autē vno.*

*Res corporeę quo modo ſpiritibus obediant.*

*Secundus modus loquendi, quo Spiritus loqui poſſūt homini.*

liaris lingua tribuenda ſit, cum quauis lingua hominibus loqui poſſint: & inter ſe locutione externa, vel vocali non indigeant.

Brutorum item ſuam eſſe Dialectum, cenſet Plato, quam eiuſdem generis animantes intelligant. Ad hoc autem comprobandum quædam narratur hiſtoria de Elephante, qui in cœnum illapſus clamaſſe fertur: alius, qui aderat, hoc viſo, abijt:& mox cum grege elephantum reuerſus periclitantem ſeruauit. In Libya quoque aiunt ſcorpium, ſi hominem vt feriat contingere non poſſit, abire, & cum pluribus reuerti, atque ita catenatim cohærentibus & demiſſis illis, hominem, cui inſidiatur, ferire. Vnde quidam conijciunt, bruta non aliquo nutu obſcuro, neque aliquo corporis motu, geſtuve, ſed ſua potius Dialecto, quæ voluerint inter ſe ſignificando communicare. Fertur præterea de piſcibus, ſi quis forte linea attractus, ea rupta, euaſerit, nullum deinceps eo in loco per illum diem eiuſdem generis piſcem apparere. Hæc Clemens Alexandrinus.

*Ex Clem. Alex. lib. 1. Strom.*

*Clem. Alexan. lib. 1. Strom.*

De brutorum inter ſe colloquio multa etiam Porphyrius tradit in libris de abſtinendo ab animatis. Sed abſurdum videtur illud quod Clemens de brutis in genere ſcribit, tanquã omnia dialecto quadam inter ſe vtantur, ſcorpij quoque & piſces: quibus cum ipſa vox negata ſit, multo magis etiam Dialectum negatam fateamur oportet. Quamuis enim Pſittacus Ἀνθρωπογλῶττος dictus quaſi linguam hominis habens, & Coruus, & Pica ob linguam ſibi latiorem naturaliter datam, voces quaſdã articulatas, humanæ locutioni adſimiles, veluti quodã naturæ artificio exprimere videãtur, eas tamen aues loqui proprie non eſt dicendum: quæ enim pronunciant non intelligunt, ſed aſſuetudine quadam id agunt: nam lingua (teſte Ariſtotele) non niſi ad ſignificandum aliquid alteri contributa eſt. Id quod abſque rei intelligentia, quæ in Brutis non eſt, fieri non poteſt. Quòd autem Liuius quædam Bruta fuiſſe loquuta narrat, illud prodigioſum, ac dæmonũ opera factum eſſe dicas licet. Quod vero legitur de Balaam aſina, quam Scriptura ſacra loquutam fuiſſe ait, id diuinæ virtuti adſcribendum eſt: aperuit enim Dominus os aſinæ, & locuta eſt, vt eadem Scriptura teſtatur: aſina vero nec verba illa

*Ex Ariſt. 2. de part. animal. c. 17. Et 4. de hiſt. c. 9. to. 5.*

*Ariſt. 3. de anima tex. vlt. in vltimis verbis.*

*Liu. Dec. 1. lib. 3. Dec. 3. lib. 4. & 7.*

*Num. 22*



illa formabat, nec intelligebat, quia verba rationalia non intelliguntur, nec formantur niſi ab eo, qui eſt rationis particeps, ideſt habens intellectum. Hinc verba illa non niſi miniſterio Angeli mouentis linguam aſinæ, fuerunt formata, vt Lyranus, & alij interpretes affirmant. Bruta igitur, quibus lingua ad loquendum data non fuit, dialecto carere omnino credendum eſt. Si qua vero narrantur, quæ ijs quendam intellectus gradum adſcribere videantur, vel fabuloſa ſunt, vel ijs cauſis, quas enarrauimus, attribuenda, vel quodam naturæ inſtinctu facta eſſe dicas oportet: ſunt enim aliqua animalia magis quodã modo diſciplinabilia, quàm alia, vt Canis, Pſittacus, Pica, & Coruus, de quibus alio in loco loquuti ſumus: vbi multa, & ſcitu quidẽ digna de loqutione, hoc eſt de antiquitatis linguæ cõtrouerſia, & quæ nam lingua ſit homini naturalis, dicta ſunt. Elephas item quamuis videatur intelligere, cum Reges adorare doceatur, non tamen intelligit, quia nulla creatura poteſt intelligere niſi per intellectũ. Cum autem ſit animal maxime domeſticum, ad multa facienda eruditur, & intelligit, vt ait ſanctus Thomas, non quidem per intellectum, ſed per vim æſtimatiuam. Hæc de Dialectis in genere. Reliquum eſt, vt ſingulam quamque Dialectum ordine Alphabetico explicemus.

*Nicol. Lyranus.*

*Pag. 105. 106. & 107.*

*S. Tho. in Iob. c. 40. lect. 2.*

---

# DE DIALECTIS,

## HOC EST,

## *De linguis diuerſis ordine Alphabetico ſigillatim diſpoſitis.*

ABASINORVM Dialectum videre eſt in Titulo, *Aethiopica lingua*: eſt enim Regio latiſſima, cuius populi olim Troglodytæ vocitabantur, deinde Abaſini, & Indiani dicti ſunt. Abgazari, vel Abgazelli, vel Mengrelli, & Circaſſi, populi ſunt verſus mare Hyrcanum habitantes. Horum linguam vide dictione, *Gazari*.

*Pag. 307.*

## ÆGYPTIACA LINGVA.

*Plin. lib. 5. c. 9. Strabo lib. 17. Ptolem. li. 4. cap. 6. Ammian. Marcel. li. 22.*

ÆGYPTVS eſt Africæ regio, ſed inſula a nonnullis dicta, & Nilo ita ſe ſe circa ipſam findente, vt Triquetra nuncupata ſit, triangularem figurã efficiens, quam ideo multi Græcæ litteræ vocabulo, Δ, Deltam vocitarunt. Huius incolæ cum omnibus alijs Nationibus, quæ ſub cælo ſunt, Apoſtolos ſua dialecto loquentes in die ſanctiſſimo Pentecoſtes Hieroſolymis virtute Spiritus ſancti audierunt, & admirati ſunt, dicentes: Nonne, ecce omnes iſti qui loquuntur, Galilæi ſunt: & quomodo nos audiuimus vnuſquiſque linguam noſtram in qua nati ſumus? Aegyptiaca lingua eſt eadem, qua Colchis Aſiæ regio vti ſolet, vt Euſtathius ſcribit Dionyſium Afrum enarrans, & eadem, quæ Alexandrina, vt ait Athenæus. De lingua Aegyptiaca, cuius characterum inuentrix fuit Iſis Regina, ſatis dictum arbitror in ſecunda Columna paraſtatica de Iſide Regina: vbi Alphabetum conſcriptum eſt.

*Act. Apoſtol. c. 2.* — *Euſtathius.* — *Athenæus* — *Pag. 96. 97. 98.*

Anni menſes duodecim ſunt apud Aegyptios: eorumq. nomina accentum in vltima ſyllaba habere dicuntur hoc modo: Tybì Mechìr, Phamenòth, Pharmuthì, Pachòn, Paunì, Epiphì, Meſorì, Thòth, Paophì, Choeàch. Ideſt Ianuarius & c. Hæc item nomina Nicolaus Myrepſus Alexandrinus explicans Alexandrina eſſe ait: ſed pro Ianuario Tymbè, pro Iunio Paynì, pro Septembri Thòd, pro Octobri Phaophì, pro Decembri Chiàch, quæ omnia maximam habent cum ſuperioribus affinitatem.

*Nicol. Myreps. Antidoto 371.*

Aquam Moy vocant Aegyptij. Vnde Moyſes ab aqua dictus eſt, apta etymologia, eo quòd ex aqua ſublatus eſſet a Pharaonis Regis Aegypti filia, vt habetur in Exodo. Baieth apud Aegyptios & accipitrem, & animam ſignificat. Aelianus autem accipitrem & Thauſtum ab eiſdem dici ait. Baris ab Aegyptijs cymba, quæ cadauera vectat: Græce, & Latine feretrum, Italice *Bara* vocitatur. Hercules vox Aegyptia eſt, non Græca, vt Marco Porcio Catoni placet. Canem Anubin, & Felem Bubaſtum vocant. Cetera animalium nomina apud Orum Apollinem videre eſt, qui loquitur de Hieroglyphicis, hoc eſt ſacris litteris, quas ſoli ſacerdotes in

*Clem. Alexan. lib. 1. Strom.* — *Exo. 2.* — *Aelianus.* — *M. Porc. Cato.* — *Orus Apollo.*





Aegypto norunt: ceteras vero vulgo didicerunt omnes, vt ſuo iam loco dictum eſt. Alphabetum Aegyptiacum ſupra videre eſt, de quo multa dicta ſunt.

*Pag. 101. Pag. 108. & 109.*

## ÆOLICA LINGVA.

ÆOLICA lingua, dialectus eſt Græcæ communis, in qua ſcriptum nihil extare dicitur niſi apud Poetas: & hac vtitur Homerus aliquando, Plutarcho teſte. Aeolice item ſcripſiſſe Alcæum tradunt. Aeolia eſt regio in Aſia, Græcorum colonia: cuius incolæ Aeolij dicuntur.

*Plutarchus.*

## ÆTHIOPICA LINGVA.

ÆTHIOPIA, Hebræis Chus, quaſi nigra, vel ingredo, Græcis ardorem ſignificat: & eſt Aphricæ Regio, vel pars ab Aethiope Vulcani filio dicta. Huius Regionis lingua cum Hebraica in multis, cum Chaldaica in paucis congruere, & cum Abaſinis vel Indianis omnino conuenire ſcriptores prodiderunt. Sciendum tamen eſt, duplicem eſſe Indiam, vnam orientalem, quæ in Aſia extremum occupat locum, cuius linguam, & litteras penitus ignorari aiunt. Altera eſt Meridionalis in Africa ſcilicet ſita, quæ ad Orientem habet mare rubrum, Arabiæ felici contermina, niſi quòd Arabicus interfluit ſinus. Ad Septentrionem, iungitur Aegypto: & ad Occidentem, Aethiopiæ. Eſt regio latiſſima, cuius populi olim Troglodytæ, qui cauernas incolunt, ſerpentibus veſcuntur, & magis ſtrident quàm loquantur: hodie autem Abaſini & Indiani appellantur viuentes ſub potentiſſimo rege, quem vulgo presbyterum Ioannem vocant: aut, quod vero adſimile tamen eſt, presbyterũ Cohan, quod tam Hebraice quàm Chaldaice Sacerdotem ſonat. Ad hos itaque homines dictam ſpectare linguam, Bernardus Breitembachius, & Ioannes Potken teſtantur, quorum ille Hieroſolymis, hic Romæ homines Indianos conueniſſe, & Alphabeti litteras deſcripſiſſe fatentur. Sunt autem qui opinentur linguam Indianam a Chaldaica non differre: ſed vt ab huiuſmodi linguarum peritis accepi, Aethiopica lingua

*Bernard. Breitẽbachius ĩ ſuo itinerario, Ioan. Potken, & alij.* — *Ex Plinio, Pomp. Mela lib. 1. et Hieron.* — *Breit. & Potken.*

ſiue Indica eſt propria, & ſuæ genti peculiaris, nunc quidem cum Chaldaiſmo, nunc vero cum Hebraiſmo nonnihil habens affinitatis, plus autem diuerſitatis cum vtroque, vt Deus ab Indis vel Aethiopibus appellatur Amolachà, a Chaldæis Elahà. Homo ab illis Saboo, ab his vero Enasà. Panis ab Aethiopibus Oholo, a Chaldæis Lachmà. Vinum ab Indis Ion, a Chaldæis Ienà. Domus autem ab vtriſque Bethà nuncupatur. Ex his igitur, alijsq. dictionibus, quas dicti Scriptores ob oculos ponunt, ego vero breuitatis cauſa prætermitto, facile quis intelliget, Aethiopicam linguam ſiue Indicam a Chaldaica non parum differre.

## AFRICANA LINGVA.

*Ex Plin. lib. 5. c. 4. Et lib. 5. in proœmio.*

AFRICA pars Orbis tertia, quam Græci Libyam appellauere, vt Plinius teſtatur, qui multa de hac Regione ſcribit in Quinto naturalis hiſtoriæ libro. Huius regionis Populi non ſolum Africani, ſed etiam Mauri nigri appellantur, qui ad mare Mediterraneum habitant circa Tripolim arcem, quam Rhodienſes obtinent. Huius Regionis linguæ vocabula hoc loco apponenda duxi: Deus enim hac lingua, Alhà dicitur: Reges, Battì: Panis, Brit: Vinum, Syràp: Cyathus, Got: a Venetis Gotto. Papirus, Cart, a Latinis Charta. Sed apud Mauros albos Africana lingua alia eſt, vt ex Erodoto, & alijs ſcriptoribus accepi.

*Herod. lib. 4.*

## ALEXANDRINA, ET AMMONIA.

*Ex Herodoto lib. 2.*

ALEXANDRINA lingua eadem eſt, quæ Aegyptia: & ſicut Ammonij Aegyptiorum atque Aethiopum coloni ſunt, ita etiam linguā inter vtroſque vſurpare dicuntur. Hinc nihil eſt quòd hoc loco in huiuſmodi linguis immoremur.

## ANGLICA LINGVA.

ANGLIA, cultior pars Britanniæ, Inſula in Oceano vndique a circumfuſo mari complexa, nuſquam continenti coniuncta. Hanc primum Troes incoluerunt. Hos poſtmodum



modum longo temporis tractu Saxones, Alemaniæ populi oppreſſere, eorumq. agros & opes inter Legatos Saxonum Regina Angela diuiſit. Hinc Anglia quaſi Angela dicta eſt. Angli præterea a * Sancto Gregorio Magno quaſi Angeli interpretati ſunt, vt videre eſt in eius vita a Ioanne Diacono conſcripta, nam tēpore S. Gregorij, Angli ad fidem conuerſi ſunt, † vt patet ex lib. 5. epiſt. 59. & lib. 12. epiſt. 15. & 31. Alij vero Angliam, quaſi noſtri Orbis angulum, dictā volunt: eſt enim in mundi angulo poſita, vt Coſmographi aiunt: cuius quidem rei Sanctus item Gregorius teſtimonium præbet. Huius autem linguæ Anglicæ vocabula ob cauſas commemoratas vel Germanica, vel Saxonica fere omnia aliqua tamen ex parte detorta, vel immutata cenſentur. Sunt autem qui Auorum memoria multo pauciora Gallica, & Latina in hac lingua fuiſſe vocabula teſtentur, quibus nunc abundant: nam in colloquijs ea multi affectant & in ſcriptis præſertim, veluti floſculos, ac pigmenta quædam intermiſcent, ita vt vulgus non niſi adhibita interpretatione intelligere queat. Maxima tamen pars adhuc Saxonica eſt. Libri quidem ante ducentos, aut trecentos annos in Anglia ſcripti, Saxonica fere toti lingua conſtare dicuntur. Quædam vero propria ex veteri forte Britannica habent lingua. Britannica autem vetus, quæ adhuc in Angliæ parte retinetur, Vallica, vt infra, nuncupatur. Scotica denique ab Anglica parum differre dicitur, ſed pauciora Gallica habet vocabula, vt pote Septentrioni propinquior: ipſi enim Angli Septentrionales magis quàm Auſtrales ad Germanicam linguam accedunt.

** S. Greg. Ex Edit. Vatic lib. 5. to. 1. Ex S. Anton. par. 2. c. 1. §. 7. Et Beda libro 2. c. 1. hiſt. Angl.*

*† Ex edit. vet. to. 2. Ex Vatic. to. 3. Lib. 7. Epiſt. 30.*

*† Eleutherij Papæ tēpore a Gentilitate ad fidem Christi, cōuerſi ſunt: ſed poſtea defecerūt.*

Anglica igitur lingua mixta eſt ex multis linguis, præſertim Germanica, & Gallica: olim vero Germanica omnino erat. Id quod ex Beda animaduertere licet, qui ex Anglia fuit oriundus. Is enim in libro de temporibus ait hunc in modum: Veteres Anglicani populi numerauerunt menſes ſuos ſecundum Lunæ curſum, appellantq. Lunam nonam, & menſem Monath. Decembrem vocant Halegmonath, ideſt ſacrum menſem: Aprilem Eoſtermonath, ideſt paſchalem menſem: idq. a Dea quadam, cui Teutonici populi in paganiſmo ſacrificia fecerunt menſe Aprili, quæ Eoſter appellabatur. Maiū appellauerunt Trimelei, ideſt tres mulcteæ, quòd eo menſe pecora

*Beda Britannus.*

pecora ter die mulgerent. Sunt autem vocabula illa, quæ Beda Anglica facit, Germanica omnia. Angli tamen hodie nonnihil variant, nuncupantes Lunam Mone: Menſem Moneth: Paſcha Eaſter: Mulctram vas, Mylcingpayle: ipſum lac mulctum, Meale. Hæc ex ijs, qui linguam norunt.

## AQVITANICA LINGVA.

*Ex Plin. lib. 4. & Steph.*

QVAENAM olim lingua fuerit Aquitaniæ, quæ tertia Galliæ pars ab obliquis aquis Ligeris dicta eſt, non ſatis conſtat. De Gallica autem lingua ſuo loco dicetur.

## ARABICA LINGVA.

ARABICA in Aſiæ Regione lingua eſt item Punica, qua omnes Mahumeticæ ſectæ cultores in grammaticis vtuntur: affinis aliqua ex parte Hebraicæ: elementorum autem formæ variæ omnino ſunt, vt Theſeus Ambroſius teſtatur. Arabes, & Punici duo tantum genera habent, Chaldæorum & Hebræorum more, vt ait Priſcianus, maſculinum ſcilicet & femininum, neutrũ penitus ignorantes: numeros autem in aliquibus nominibus tres habẽt, ſingularẽ videlicet, dualem, & pluralem. Hebræi autẽ in geminatis a natura, vt duę aures, & duo oculi, & in numero centenario & millenario dualẽ habent, non pluralem: & quando habent pluralem, dualem non admittunt. Maſculina vero nomina Chaldæorum, Hebræorũ, Syrorum, atque Indorum more vnicam in ſingulari, & vnicam in plurali terminationem habent Arabes: in duali vero peculiarem, & ab his differentem retinent deſinentiam. Homo in ſingulari, Raiul dicitur: In duali, Raiulaym, ideſt duo homines. Mulier, vel vxor in ſingulari, Mara: In duali Maraten, vel Marataym, ideſt duæ mulieres, vel vxores. Caſus nominum non ſecus atque apud Latinos. Habent item Arabes in verbis more Græcorum numerũ ſingularem, dualem, & pluralem. Arabica & Turcica linguæ ſunt diuerſæ, characteribus autem ijſdem vtuntur. Hæc ex Theſeo Ambroſio in Appendice. Arabes ſua dialecto loquentes Apoſtolos Hieroſolymis in die Sancto Pentecoſtes admirati ſunt.

*Theſ. Ambroſ. ĩ Introd. diuerſarum lingu. in Appendice.*

*Theſ. Ambroſ. in Append. Act. 2.*

ARA-



## ARAMÆA LINGVA.

ARAMAEAM linguam eandem Chaldaicam eſſe, de qua ſuo loco ſermonem habebimus. Quare hic non eſt quòd de ea ſermonem habeamus.

## ARMENICA LINGVA.

ARMENICA lingua ab Armenia, Aſiæ Regione, quam Hebræi Arab vocant, dicta eſt. Hæc vulgaris eadem fere, quæ Turcica, & Tartarica eſt: ſed inter Tartaricam & Armenicam Georgianorum linguam eſſe ſcriptores aiunt. De Armenica lingua Plutarchus in libro de fluuijs, & Ioannes Stobæus loquuti ſunt. De huius item linguæ Alphabeto, eiuſdemq. inuentore multa ſuo iam loco dicta ſunt. Sed quoniam Armenica lingua voces multas habet Hebraicas, vt eam parentẽ referat, nõnulla hoc loco vocabula apponemus.

*Ex Plin. lib. 1. & 9. Ex Ptolem. Tab. 4. & Strabone 2.*

*Pag. 155. 156. & 157.*

| *Armenice.* | *Latine.* | *Hebraice.* |
|---|---|---|
| Ael. | Deus. | El. |
| Aeli. | Deus meus. | Elì. |
| Rabbì, & Rabbòni. | Magiſter. | Rab, & Rabbì. |
| Iezu. | Lingua. | Laſciòn. |
| Zamanach. | Tempus. | Zemàn. |
| Chahanaim. | Sacerdotes. | Cohaìm. |
| Hgatz. | Crux. | Ethz, vel hetz. |
| Ail. | Sed. | Ellà. |
| Vſan. | Signum vel vexillũ. | Nes. |
| Cho. | Tu. | Attà. |
| Chum. | Tuus. | Sciellecha. |

Quædam cum alijs linguis habet communia, vt ſunt, Epiſcoputhi, ideſt Epiſcopatus, vt apud Græcos, & Latinos. Du, Tu. Von, Ab. Ail, Alij. Ἄλλοι. Em, Εἰμὶ, Sum. Meſch, Μέσον, Medium. Za, præpoſitiuum articulum cum Aethiopica communem habet. Ab Armenis autem Germani acceperunt nonnulla vocabula: dicũt enim Armeni Car Potuit. Carolus, ideſt Potens.

Potens. Germani vero Carle, Carol. Hæc ex ijs, qui linguas haſce non parum callent. Armenia a Beroſo Saga item vocatur, quam alij Scythicam interpretantur. Hæc autem, vt Xenophon in Aequiuocis ait, *Gallerim*, eo quòd ab vndis ſaluet, appellat. Hinc eadem forſan a Germanis, Gallis, & Italis *Galea*, vulgari nomine nuncupatur. Plura de Armenica lingua ex Beroſo, & Xenophontis Aequiuocis videre licet, qui *Beroſus, et Xenophon.* Noe tanquam virum ſapientiſſimum Olybama, & Arſa, ideſt Cælum & Solem ab Armenis cognominatum affirmant.

## ASIATICA LINGVA.

*Ex Strabone. lib. 2.* ASIA & regiones & linguas multas, diuerſasq. habet, vt Athenæus ait, hinc ad ceteras tranſeundum eſt. Aſiæ Incolæ Apoſtolos ſua lingua loquentes Hieroſolymis in feſto Pentecoſtes audierunt, & mirati ſunt.

Aſſyriorum linguam videre eſt in dictione Chaldaica.

## ATTICA LINGVA.

ATTICA, Græciæ Regio inter Achaiam, & Macedoniam ſita, ſuam dialectum habet, qua præ ceteris Homerus vſus eſt. Hæc lingua duas ſyllabas in vnam ſæpe conuertit, vt τοῦπος, pro το ἔπος. Ex optatiuis quibuſdam η, aufert, vt δοκοῖς, pro δοκήοις. Profert *vs*, pro *es*, & id genus alia. Vocales breues interdum omittit. Epſilon augmentis vocalium præponit. Iota omittit alicubi, & Optatiuis vtitur pro Indicatiuis. Nominibus femininis articulos, vel participia, vel adiectiua generis maſculini adiungit. Inter Auctores, qui Attice ſcripſerũt, Ariſtophanes comicus, ac Demoſthenes Rhetor *Ioannes Ammon.* celebrantur. Hæc ex Ioannis Ammonij de dialectis libello.

## BABYLONICA LINGVA.

*Plin. lib. 6. cap. 26.* BABYLONIA, Magna Meſopotamiæ, Aſſyriæq. pars, vt Plinio placet, ſuam, quæ eſt Chaldaica, dialectum habet: nomenq. ei Babylon, vrbs olim Chaldææ totius caput, *Strabo lib. 16.* præbuit. Hanc Vrbem Strabo a Semiramide conditam tradit. Hebræorum vero litteræ originem a Nemroth gigante,



gigante, & a linguarum confuſione Babel nominatam volunt. Ambitus eius quadringentorum octoginta ſtadiorum Eufrate fluuio mediam eam interfluente. Quoniam vero hæc lingua Chaldaica eſt, et ſuo loco declaranda, ad alias linguas accedemus.

Belgicam linguam vide in Gallica dictione.

Beſſi, hodie Boſnenſes in Illyrica conſiderantur.

Bithynica lingua Græca eſt, vt ex menſium nominibus colligi poteſt.

Boſini, vel Boſnenſes Illyrice loquuntur.

## BRITANNICA LINGVA.

HÆC lingua hodie Vallica apud Anglos vocatur, vetus ſcilicet Britannica, in tota Inſula vſitata antequam Saxones, ea deuicta, linguam quoque ſuam intuliſſent, quæ maxima ex parte nũc obtinet, Britannica veteri in regionem non magnam contracta. Vallos Germani vocant, quaſi Gallos, peregrino, & incognito eis ſermone loquentes homines, vt Græci ac Latini Barbaros. Veteres Pruſſi, quorum e numero ſunt Sudini, Curi, atque alij, vtuntur ſua lingua, quam Cornelius Tacitus Britannicæ linguæ propiorem eſſe ait. *Corn. Tacit. lib. 12.* Immixtæ ſunt ei multæ Græcorum voces, quas tamen ita ruſtice proferunt, vt eas, niſi quis diligenter animaduertat, intelligere haudquaquam poſſit. Pruſſica item eadem fere eſt, qua Curorum, Liuonum, & Lituanorum, vt nonnulli affirmant. Sunt tamen qui Curos Illyrice loqui velint.

Bulgari. Vide dictionem, Raſcij.

## CAPPADOCVM LINGVA.

CAPPADOCIA regio ſuam dialectum habet, quam barbaram eſſe Scriptores narrant, dum menſium nomina conſiderant. Huius incolæ mirantur Apoſtolos Hieroſolymis in die ſancto Pentecoſtes ſua lingua loquentes. *Ex Plin. lib. 5. cap. 24. & lib. 6. cap. 2. & 3.*

## CARICA LINGVA.

*Ex Plin. lib. 3. cap. 27.* *Philippus.*

CARIA minoris Aſiæ Regio ſuam dialectum habet, Græcis nominibus admixtam non paucis, vt Philippus Caricarum rerum conſcriptor teſtatur. Homerus autem in Cathalago, Cares priuatim βαρβαροφώνους, non quia Cariæ lingua breuiſſima ſit, ſed eos barbaros appellatos cenſeo, quòd difficulter aſpere, ac duriter loquerentur, vt blæſos balbosq. dicimus. Cares enim ſiue Carij per totam Græciam errauerunt ſtipendia merentes: & in Aſiam profecti, ibi ſine Græcis viuere non potuerunt. Hinc cum Græcis male Græciſſantes ideſt corrupte, aut vitioſe loquentes, barbari dicti ſunt: Barbariſmus enim eſt contra ſermonis legem dictio vitioſe ſcripta, aut pronunciata. Idq. fit vel vnius litteræ, vel ſyllabæ adiectione, detractione, mutatione, ſiue tranſpoſitione. Vel ſi, exempli cauſſa, in Latino ſermone *Guerra* pro bello diceretur. Soloeciſmus autem eſt inconueniens partium orationis compoſitura, ſeu prauitas orationis tortuoſa, quæ nunc a Latinis imparilitas, a vetuſtioribus vero ſtribligo, tanquam ſteroligo quædam dicebatur. Soloeciſmi nomen a Solone deductum Laertius teſtatur, qui cum in Cilicia Vrbem a ſuo nomine, Soloe condidiſſet, pauci ex Athenienſibus, quos in ea reliquit, nō multo interiecto tempore, corrupto patrio ſermone, inconuenienti partium ſtructura loqui cœperunt: fitq. ſoloeciſmus in oratione, vt ſi vitioſe dicatur: Nos lego, Tu curritis, lego libris, & alia id genus innumera. Barbariſmus autem fit in dictione tantum ijs modis, quos commemorauimus. Carios igitur corrupte loquentes barbaros appellatos fuiſſe dicendum eſt. De Carijs, eorumq. lingua corrupta, ſiue barbariſmo multa Strabo conſcripſit. Hæc hactenus.

*Gell lib. 5. cap. 20.* *Diogenes Laertius in vita Solonis.* *Strabo libro 14.*

Carni, Galliam togatam inhabitantes, quos Veneti Cherſos vocant, Carniolani, & Carinthij Illyrice loquuntur: Carnia, vulgo Carniola, a Ptolemæo ſupra forum Iulij & Concordiam locatur.

Caſubi, al. Caſſubitæ Illyrice loquuntur.

Celtica lingua. Vide in Gallica dictione.

CHAL-



## CHALDAICA LINGVA.

CHALDAEA, Aſiæ maioris Regio, Arabiæ contermina, plana, fontium indiga, in qua Babylon ciuitas magna. Chaldæos Arphaſat inſtituit. Hæc Regio ſuam habet dialectum, quæ & Aramæa, & Syrorum, & Aſſyriorum, & Babyloniorum vocatur. Hac lingua in Aegypto, & Aethiopia eruditiores vtuntur, vt a multis accepi. Hebraicæ confinis eſt, nec multo magis quàm Dorica a Græca communi differt. De litteris Syriacis & Chaldaicis, earumq. inuentore, ſatis dictum reor, cum de Abrahamo loquuti ſumus, & characteres ordine Alphabetico recenſuimus, multarum linguarum originem enarrantes. Hinc ad ceteras linguas accedendū eſt. *Pag. 84. 85. & 86.*

Circaſi circa mare Caſpium, & Mamaluchi etiam dicti Illyrice loquuntur.

Circaſſi circa mare Hyrcanum bellicoſiſſimi ex Sclauorum Gente oriundi Sclauonica vtuntur lingua, & Chriſti fidem ſecundum ritum Græcum ſequuntur.

Colchis lingua eadem quæ Aegyptijs, vt ait Euſtathius. *Euſtathius in Dionyſ.*

Corali Illyrice loquuntur.

Creſtoniatæ ab Vrbe Thraciæ, quæ Creſton dicitur, cognominati Pelaſgice loquuntur.

Cretenſes Inſulam in medio Ponto, teſte Virgilio, Græco ſermone vtuntur. Hi etiam Apoſtolos Hieroſolymis in die ſancto Pentecoſtes ſua dialecto loquentes audierunt, & admirati ſunt. *Ex Herodoto. Et Virg.*

Croati, & Culmij Illyrice loquuntur.

Curorum linguam in Britannica lingua videre eſt.

Cyprij Inſulam in ſinu Iſſico Græce loquuntur etiamnum, ſed corrupte.

Cyrnij Inſulani in mari liguſtico, Cyrnum, ideſt Corſicam incolentes, & longiſſimo æuo propter mellis vſum vtentes lingua exules, ſeu profugi balari dicuntur. Ex Pauſania. *Pauſanias.*

## DACICA LINGVA.

*Ptolem. Plin. & alij.* DACIA, Scythiæ Europæ Regio, hodie diuiſa in Tranſyluaniam, Zipſerlandiam, Raſciam, Seruiam, Septem caſtra, & Bulgariam. Tranſyluania vero Hungariæ item nomine cenſetur, in qua mirabilis diuerſarum, nec vnius linguæ gentium mixtura eſt. Dacicæ aliquot ſtirpium nomenclaturæ leguntur inter eas, quæ Dioſcoridi attribuuntur, ex quibus, qualis hæc lingua ſit, conijci non poteſt, vt ab eruditis accepi. *Strabo lib. 7.* Dacorum autem & Getarum ſermo idem iudicatur, vt Straboni placet.

## DALMATICA LINGVA.

DALMATIA, quam Sclauoniam dicunt, Illyrici pars, Liburniæ contermina, ſuam habet dialectum, quæ Dalmatica, ſiue Illyrica, vel Sclauona nuncupari ſolet. Hæc ab Illyrica illa, quæ Seruiana dicitur, non diſtat: characteres autem ſunt omnino diuerſi, vt ſupra videre eſt, vbi vtriuſque linguæ Alphabeta conſcripta cernuntur. Dalmaticarum, ſiue Sclauonicarum litterarum inuentorem ſanctum Hieronymum fuiſſe ſuperiori loco diximus, *Pag. 160. 161. & 162.* vbi de hac lingua ſermonem habuimus, licet eum non Dalmatam, vel Illyricum, ſed Iſtrianum, Stridonenſem ſcilicet fuiſſe, ibidem a nobis demonſtratum ſit. Quamuis autem Sclauonicios characteres a ſancto Hieronymo inuentos fuiſſe, paſſim dicatur, Ioannes tamen VIII. in Epiſtola ad Sfentopulchrum, eas a Conſtantino quodam Philoſopho inuentas eſſe narrat dicens: *Ioannes VIII. in Epiſt. ad Sfentopulchrum Comitem Ex Regiſt. M.S. Vaticana.*

Litteras denique Sclauonicas a Conſtantino quodã Philoſopho repertas, quibus Deo laudes debitæ reſonent, iure laudamus, & in eadem lingua Chriſti Domini noſtri præconia & opera enarrentur, iubemus. Neque enim tribus tantũ, ſed omnibus linguis Dominum laudare auctoritate ſacra monemur, qua præcipit, dicens: Laudate Dominum omnes gentes, & collaudate eum omnes populi. *Pſal. 116.* Et Apoſtoli repleti Spiritu ſancto locuti ſunt omnibus linguis magnalia Dei. *Act. c. 2.* Hinc & Paulus cœleſtis quoque tuba inſonat, monens: Omnis lingua confiteatur: quia Dominus noſter Ieſus Chriſtus in gloria eſt Dei Patris. *Philipp. 2.* De quibus etiam linguis in prima ad Corinthios epiſtola ſatis & manifeſte nos admonet, quatenus linguis loquentes Eccleſiam Dei ædificemus. *1. Cor. 14.* Nec ſane fidei vel doctrinæ aliquid obſtat, ſiue Miſſas in eadem Sclauonica lingua canere ſiue ſacrarum Euangelium vel lectiones diuinas noui & veteris teſtamenti bene tranſlatas & interpretatas legere, aut alia horarum officia omnia pſallere: Quoniam qui fecit tres linguas principales, Hebræam ſcilicet, Græcam, & Latinam, ipſe creauit & alias omnes ad laudem & gloriam ſuam. Iubemus tamen vt in omnibus Eccleſijs terræ veſtræ propter maiorem honorificentiã Euangelium Latine legatur, & poſtmodũ Sclauonica lingua tranſlatum in auribus populi Latina verba non intelligentis, adnuncietur. Sicut in quibuſdam Eccleſijs fieri videtur. Et ſi tibi, & iudicibus tuis placet Miſſas Latina lingua magis audire, præcipimus, vt Latine Miſſarum tibi ſollemnia celebrentur. Data M. Iun. Indict. XIII.



Hæc Ioannes Papa huius nominis VIII. Quid autem hac lingua de ſacris rebus a S. Hieronymo conſcriptum ſit, quidve de eadem lingua impetratum ſit, eodem loco ſupra citato cernere licet. *Pag. 161. 162. & 163.* De altera vero Illyrica, quæ Seruiana dicitur, ſupra item ſatis dictum puto: infra vero alia explicabimus, cum de Illyricis ſermonem habebimus. *Pag. 169.* Hæc hactenus.

## DEORVM LINGVA.

HOMERVS nomina quædam humana, quædam diuina facit: diuina autem nimirũ illa ab eodem Homero nuncupantur, quæ quàm rectiſſime, ſeu veriſſime facta ſunt, vt fluuius, quem Xanthum a dijs vocari ait, ab hominibus vero Scamandrum: Auis, quam dij Chalcidem, homines Cymindin: & Vrbs, quam tum Batieam, tum Myrinem appellari canit. Idem Filium Hectoris Scamandrium a mulieribus, a viris (rectius nimirum) Aſtyanactem vocari ait. Hæc ex Platone, in Cratylo, vbi hæ voces ab eo examinantur. *Plato in Cratylo tomo 1.* De hac Deorum lingua plura quære apud Homerum, & Scholiaſtem Odyſſeæ, & ex ijs, quæ narrauimus paulo ſuperius, vbi multa de ſpirituum locutione dicta ſunt. *Pag. 302. & 303.*

Dibriorum ſermo Illyricus eſt.

## DORICA LINGVA.

HOMERVS, vt alijs Græcæ linguæ dialectis, teſte Plutarcho, ita etiã Dorica vſus eſt lingua, quæ a Doria Achaiæ parte

parte Athenis propinqua, & Dori pro Achiuis, mutato nomine, appellati ſunt, vt ait Plato. Hæc dialectus vtitur frequenter dictionibus in fine mutilatis per figuram apocopen, vel in medio per ſyncopen, litteris vel ſyllabis detractis. Solent etiam Dori tranſponere litteras, & futura circumflectunt, & in ſecundis perſonis Iota omittunt, & Alpha pro Ita ἦτα ponere ijs frequentiſſimum eſt. Theocritus Poeta, & Timæus locrus de natura Dorice ſcripſerunt. Lacedemonij Crœſi temporibus, Herodoto teſte, excelluerunt inter Doros, qui a Græcis inceſſuntur quòd iuſto frequentius in dictionibus Alpha ingerere ſoleant, vt Rhodiginus ait.

*Plato lib. 3. Legum. 10. 5.* *Herodotus.* *Cæl. Rhodig. lib.*

## ELAMITARVM LINGVA.

ELAMITAE, Arabiæ populi, Apoſtolos Hieroſolymis in die ſancto Pentecoſtes lingua ſua loquentes admirabunda audiuit.

Epirotarum lingua Illyrica eſt. Epirus autem regio eſt Græciæ finitima.

Etruſcam linguam vide in dictione, Hetruſca.

## GALATARVM LINGVA.

GALATIA minoris Aſiæ Regio, Phrygiæ contermina, cuius incolæ Galatæ appellãtur, & Gallogræci, quòd ex Gallis & Græcis coaluerint, ſuam habet dialectum. Sunt autem qui velint Galatarum in Aſia eandem eſſe aut fuiſſe linguam, quæ in Europa Gallorum eſt, aut fuit. Plura vide mox in Gallica lingua de Galatis, ad quos ſanctus Paulus Epiſtolam ſcripſit.

*Plin. lib. 5. cap. 32.*

## GALLICA LINGVA.

GALLIA, Europæ pars, a candore populi dicta (Gala enim lac Latine dicitur) triplex eſt, Togata ſcilicet, Comata, & Brachata. Togata ab Alpium radicibus & Rubicone fluuio incipiens Ciſalpina dicta eſt. Comata vero cognominatur omnis Tranſalpina Gallia, vt Plinius ait, & in Belgicã, Celticam, & Aquitanicã diuiditur, vt Cæſar teſtatur: eidemq. Comatæ, nomen reliquæ Galliæ, vt Brachata, quæ Francia nuncupatur, a villoſo veſtis genere, quo ij Populi vtebantur, dicta, videtur conuenire, Prouincia Narbonenſi excepta.

*Plin. lib. 4. cap. 17.* *Cæſar lib. 1. de Bello Gall. in princip.*



## DE VETERI LINGVA GALLICA
### Ex Henrico Glareano, & alijs.

GALLIAE lingua duplex cenſetur, vetus ſcilicet, ac recens, hinc de veteri primum, deinde recentiori verba faciemus. Sunt qui velint veterem fuiſſe eam, qua Heluetij & Galli Iulij Cæſaris tempore vſi ſunt; vt Aegidio Schudo, & Henrico Glareano placet, qui hanc rem multis rationibus & coniecturis probare ſtudent. Alij autem Gallicam linguam veterem tunc neque cum Germanica neque cum Francia, qua hodie Galli vtuntur, communicaſſe, ſed propriam extitiſſe linguam volunt. Nos autem huius generis controuerſiam, breuitatis cauſſa, prætermittendam hoc loco cenſemus. Dicendum tamen videtur, Belgicam, Galliæ Regionem, a bellis, quibus fatigata eſt, quæq. nunc Flandriam & Picardiam ſolum comprehendit, dictam, necnon Aquitaniam, et Celticam, inſtitutis, legibus, ac lingua inter ſe differre Scriptores affirmant, et præſertim C. Iulius Cæſar ſuis in Commentarijs. Celtas vero non ſolum Gallos, ſed etiam Germanos a veteribus præſertim Græcis, communi nomine appellatos multis teſtimonijs approbari poteſt, quæ hoc in loco, ne multis immorer, prætermittenda dijudicaui, vt de veteri lingua Gallica loquamur dicentes, Gallorum linguam multis de cauſis eam eſſe, vt multi affirmant, qua hodie Rhenus vtitur, maximeq. Heluetij, et Sequani Rhenani. Primum enim conſtat Caium Cæſarem bello Gallico per interpretem loquutũ fuiſſe cum Gallis. Deinde eam quidem linguam, qua hodie Francia vtitur, Romanam eſſe, quamquam corruptam, vt infra dicemus, nemini dubium videri debet, quippe adhuc vſque de priſca lingua Gallica innumeras retinentem dictiones, quas recenſere longum eſſet. Non igitur Francica lingua olim Galli loquuti ſunt, ſed alia. Veriſimillimum autem eſt, ea loquutos lingua, qua adhuc ij vtuntur Galli, qui Francice non loquuntur, vt omnes populi circa Rhenum, proximi autem Rheno, Heluetij, Rauraci, Sequani, Elſatici, Tribocchi,

*Aegidius Scud. Hēr. Glar.* *Cæſar in Comment. lib. 1. de Bello Gal. in principio.* *Caius Cæſar de bello Gall. lib. 1. ante medium pag. 14.*

bocchi, Vangiones, et tota fere Belgica. Ad hanc rem comprobandam Henricus Glareanus multis vtitur rationibus, et exemplis, quibus ſatis liquet Heluetiorum linguam ac Rheni vere Gallicam, niſi quòd Germani quædam miſcuerunt, maxime infra Argentinam. Spiræ enim, Vormatiæ, Moguntiæ, atque in circumiacentibus ea Rheni parte populis mixtus eſt ſermo ex Germania, atque Celtica linguis: neque enim pure Germanice, neque pure Celtice loquuntur. Heluetij autem, Rauraci, Sequani, Rheno proximi, Briſgoenſes, et Elſatici magna ex parte mere Celtice loquuntur. Non mirum igitur eſt, quòd S. Hieronymus ſcriptum reliquerit Galatas, ad quos ſcripſit ſanctus Paulus, qui etiā a Celtis deſcenderunt, vt auctor eſt Liuius, eadem loquutos ſuo tempore lingua, qua Treuiri vtebantur. Quis autem neſcit Treuirorum linguam eſſe antiquam, nec multo a Germanorum lingua diuerſam? Et ſi concedi oportet quod Strabo ait Germaniæ vocabulum Romanorū eſſe; quam aliam cauſam fuiſſe credimus Romanis, quòd eos germanos appellarint, quàm quòd vel lingua et moribus magnam cum Gallis haberent communionem? Vel, quod quidem non abſurde argumentantur, ab ipſa inter ipſos appellatione? Fratres enim ſeſe etiamnum hac tempeſtate in rebus ſerijs ac bellis vocant. Id Romani ſiue per ſe de Germanis reſciuerint, ſiue a Gallis didicerint, parum conſtat, neque huius eſt negotij.

*Henricus Glareanus*

*S. Hieron. in Proœm. in Epiſt. ad Gal. to. 6.*

*Liuius libro 8. 4. Dec.*

*Strabo lib. 7.*

Quòd autē Heluetiorū lingua vere ſit Gallica, vt diximus, id nō paruū eſt argumentū, quòd Latini auctores multa Gallicæ linguæ vocabula recenſent, quæ etiamnū in Heluetiorū ſunt lingua, quamquā a Romanis ſcriptoribus partim male ſcripta, partim male percepta, vt pote quæ quòd barbara non magnopere curarent, obiter duntaxat in operibus conſcribuntur. Quæ tamen ipſa nobis argumento ſunt, Gallicam linguam in aliqua apud eos fuiſſe exiſtimatione. Itaque Cæſar Gallorum propria et maxime Heluetiorum nomina mire torſit, omiſſis ſæpe ac mutatis litteris aliquot, vt Latinæ declinationi apta fierent, de quibus paulo poſt dicturi ſumus. Idem Plinius fecit, qui Gallus fuit, ex ipſa Gallia Ciſalpina, vt Romani loquuntur, natus: quem iſtā ſciſſe linguam, atque eam magni feciſſe, dubium non eſt: quippe qui in tam nobile,

*Plin. II. Veronenſis lib. 3. cap. 16. & lib. 18. c. 18.*

De



De Natura opus inſerere voluerit, ea tamen verba temporum iniuria ad hanc vſque diem magis deprauata apud eum leguntur, nemine de ea lingua mille ab hinc annis curante. Id clarum fit ex eo præſertim loco, in quo Plinius aratra rotulis inſtructa, Gallicum inuentum, *Pſlugrat* recte nominauit: vbi tamen codices, *Plummarat*, alij *Planarat*, habent. Quidam vero, vt ſe prorſus ineptos oſtenderent, in *Planetam* mutarunt. Idem Plinius *Bodincum*, Padum fluuium, hoc eſt fundo carentem, Gallica lingua, a Liguribus dictum ait. Idem ibidem oppidum eodem tractu eſſe *Bodincomogum* vetuſto nomine nuncupatum dicit. Ita apud Suetonium in Galba præpinguis Gallice *Galb* intelligitur, ſeu potius vitulus: nam ita homo præpinguis, atque obeſus, per iocum, vitulus vocatur: Et *Becco* roſtrum apud eundem in Vitellio Belgæ noſtra ætate in ſua lingua adhuc habent ſicut Itali. Multa his ſimilia enumerat Aegidius Tſchudus, qui etiam hodiernam Francorum linguam ex duabus linguis conſtare ait, ex priſca lingua Celtica & Romana: in qua tamen Romana dominatur lingua.

*Plin. lib. 18. c. 18. ſub finem.*

*Plin. lib. 3. c. 16. ſub finem.*

*Suetonius in Galba. & in Vitellio.*

Nomina item Gallice deſinentia Cæſar in deſinentiam et formam conuertit Latinam, vt *Caſtich*, Caſtichus, Sequanus Regis filius: *Arnold*, Arionoldus: *Ernſt*, Erneſtus Germanorum Rex, quod poſtea nomen corruptum eſt in Arioviſtum: *Orgentorix* vel Orgetorix Heluetiorum princeps, apud Heluetios per quandam litteram Græcam deſinebat hoc modo, χ, nunc vero per X terminatur, vt etiam *Dumnorix*, et alia id genus permulta: quibus conſtat veterem linguam Gallicam eamdem fuiſſe Germanis.

*Quæ Cæſar in Latinam deſinentiam conuertit. Lib. 1. de Bello Gal. non procul a princ.*

Rurſus Celtas & Gallos veteribus eoſdē eſſe Germanis & veterem Gallicam Germanicam ex Annalium Scriptoribus colligitur, ſicut Ephorus & Strabo graues in primis Auctores tradunt. Cato præterea, Plinius, Sextus, Ruffus, Feſtus Pompeius, Diodorus Siculus Gallicam linguam, quæ modo Teutonicorum ſiue Germanorum eſt, eam vocari affirmant, docētes apud eos † *Padum* pro picea, *Pondicum* pro fundo, *Bulgam*, pro ſacco ſcorteo, vel coriaceo *Bergomum* pro Montana vrbe, *Cimbrum* pro latrone vel pugnaci, *Emporedum* pro equorum domitore, *Rhedam* pro curru, vel rota, *Pyrenem* pro combuſto, *Ceruiſiamq.* pro potu ex hordeo valere: quibus vocabu-

*Ephorus & Strabo.*

*† Plin. Lib. 3. cap. 16.*

Sſ lis

lis Teutones adhuc vtuntur. Adde etiam, vt ijdem tradunt ſcriptores, quòd omnia nomina populorum, Regum, & Ducum, Germanica Teutonicaq. ſunt, & ad hanc vſque diem vſurpantur, quæ breuitatis cauſa prætermitto. Multa item probatiſſimorum ſcriptorum in hunc ſenſum congerere poſſem ſi vellem loca, quibus linguam veterem Gallicam Heluetijs, Teutonicis, aut Germanis eandem fuiſſe, affirmari poteſt: ſed ea dictam ob cauſam ſubticenda ſunt. Hæc igitur de lingua veteri Gallica, vt ad recentiorem perueniamus.

## DE GALLICA LINGVA RECENTIORE.

LATINAE linguæ propagines, ſed tempore, & vulgi imperitia valde corruptæ, ſunt tres, hodie vulgares linguæ, Italica, Hiſpanica, & Gallica. Prima minus, vt pote Latinæ linguæ proxima, ſecunda magis, tertia maxime corrupta, hoc eſt terminationibus, & litteris, ſyllabiſq. mutata, atque diſtorta: & inſuper vocabulis mixta alienis ab eo nimirum tempore, quo Gothi non modo regna & regiones vaſtare, ſed etiam linguas imperio ſuo peruertere cœperunt. Gallica igitur lingua plurimas habet Latinas voces, quaſdā habet Gothicas, quaſdā vero Germanicas (nam Franci, qui ceteris eiuſdē Regionis populis imperant, a Francis Germanis deſcenderūt) quædam vero habet de ſua & vetere Gallica lingua, vt ratio ipſa poſtulat. Hinc dialectis variat non parum: eſt enim alia terſior in parte, quæ priuatim Francia dicitur: aliæ craſſiores, vt Prouincialis, Lotharingica, Burgundica, & id genus reliquæ: craſſiſſima vero harum omnium Sabaudica, & aliæ linguæ circa Alpes, Italiæ cōfines. Hæc ex Aegidio Tſcudo & Henrico Glareano. Gallica in lingua, vt ceteris pleriſque omnibus barbaris, metra tantum homoeoteleuta (rythmos vulgo vocant) nulla proſodiæ habita ratione olim condebantur. nunc vero huius etiam ratio a quibuſdam habetur, vt ego ipſe vidi. Hæc de Gallica lingua recentiore.

*Aegidius Tſcud. & Henr. Glarean.*

## GAZARICA LINGVA.

GAZARORVM gentes, quæ hodie Abgazari, & Abgazelli a Græcis vocantur, necnon Mengrelli, & Circaſſi, habitant verſus mare Hyrcanum. Apud haſce Gentes Tartari Sauolenſes tela, & alia comparant neceſſaria. Hi autem omnes ex Sclauorum gente originem ſumpſere: linguaq. vtuntur Sclauonica, & Chriſti fidem ſecundum ritum Græcum ſequuntur.



## GEORGIANICA LINGVA.

GEORGIANA, Aſiæ Regio a Tartaris ſubacta, cuius populi ab agricultura nomen ſortiti Georgi dicti ſunt, vel, vt a Turcis vocantur, Iuriani, Græca lingua vtitur in ſacris: vulgaris autem eius lingua Tartaricæ & Armenicæ media eſt.

*Blōdus li. 7. Decad. 2. anno ſal. 1221.*

Gepidis in vſu eſt ſermo Illyricus. Vide infra, Hungaris.

## GERMANICA LINGVA.

DE GERMANICA lingua, quam veteri Gallicæ eandem fuiſſe aliqui affirmant, iam ſupra dictum fuit, præſertim quod ad vetera nomina propria: item in Anglica nonnihil. Germanorum autem nomen antiquius eſſe, quàm Alemanorum, cum aliàs conſtat, tum ex Flauij Vopiſci Proculo. Multa de Germanica & Heluetica lingua, necnon de Germanicæ linguæ vetuſtate dicenda forent, ſed qui hæc ſcire cupit, ad Aegidium Tſcudum confugiat. Dicam tamen Germanorum quattuor eſſe genera, Teutones ſcilicet, Venedos, Cimbros, Vuagros, qui non ſolum lingua, verumetiam inſtitutis ac religione differre dicuntur. Num vero inter Germanos Picti populi Septemtrionales Hannonij, Lotharinghi, Burgundiones, Allobroges, & Sabaudienſes annumerandi ſint, dubitatur: ſunt tamen medij inter Celtarum, Germanorumq. imperia, Germanis obtemperantes Imperatoribus, vt docent Hiſtorici. De Venedis, & Vuagris ſuo loco dicetur: nunc de Teutonibus, ac Cimbris loquendum eſt.

*Flau. Vopiſc.*

*Aegidius Tſchudus c. 36. 37. 38.*

Teutones, ſiue Teutoni, ita dicti a Teutone ſiue Tuiſtone ipſorū Deo, quem indigenam, ac terra ortum exiſtimabant, a Cornelio Tacito Thuyſcones appellati ſunt. Hi autem a Celtis Alemani, a Venedis Nomades, ac Nemetes a iaculando nominantur: a Vuagris Scythulæ, ſiue Scythæ, hoc eſt caſei ac

*Corn. Tacit. lib. de moribus German. in princ. Plin. li. 4.*

ac lactis voraces, quos Græci tyrophagos, & galactophagos nuncupant. Horum partes ſunt multæ, quæ breuitatis cauſſa ſubticendæ ſunt.

Cimbrorum partes ſunt Dani, Scandia, Selandria, Scandiauia: vbi Nordouici & Normandini, Suiones qui & Sueſij, & Suedi, Fenni, Gothi. Eos Græci Getas, Latini Dacos vocare ſolent: immo Gothi, qui & Dani, Daci & Getæ dicti ſunt, homines erant ingenti corpore, horrendisq. oculis, in acie gaudio exultantes tanquam glorioſe, & feliciter vita exceſſuri: contra vero ex morbo quopiam vitam cum morte commutantes, perinde quaſi turpiter perituri. De Teutonibus, ſiue Thuyſconibus, necnon Cimbris, vide Beroſum, Cæſarem, Tacitum, Marcellinum, & Caſſiodorum.

*Valerius Max.*

Sermo Germanicus, & præſertim Saxonicus, litterarum natura & poteſtate, diphthongorum vi & numero, ſyllabarum pronunciatione, declamatione, articulis, accentu, ratione loquendi, ceterisq. huiuſmodi dictionum proprietatibus, maximã habet communitatẽ, plurimumq. retinet cõmercij cum Græcorum lingua, rectiusq. litteris Græcis, quàm Latinis ſcribitur, vt Sigiſmundus Gelenius, & alij Scriptores tradunt affirmantes infinita eſſe vocabula, quæ idem Germanis, & Græcis valere dicuntur. Gelenius item in Lexico ſuo ſymphono, in quo ex quattuor linguis, Latina videlicet, Græca, Germanica, & Illyrica, partim omnium, partim trium, partim duarum vocabula inter ſe, & erudite quidem comparat, huius generis affinitatem linguarum patefacit. Nec deſunt qui Germanicam linguam ab Hebraica originem aliqua ex parte traxiſſe opinentur. Maximam vero in ea mutationem factam eſſe ijdem Scriptores obſeruarunt, atque adeo eam ipſam mutatam eſſe dicunt, vt eam, quæ olim fuerit, ægre etiã peritus quis intelligat.

*Sigiſmundus Gelenius.*

Id quod factum eſſe cenſendum eſt ob plurimas bellorum iniurias, & populorum migrationes, necnon ob litterarum, & hiſtoriarum denique cultum a multis neglectum, ſicut Italicæ linguæ eueniſſe Franciſcus Alumnus Ferrarienſis in Diuitijs, & in Theſauro vulgaris linguæ demonſtrat, vt in Italica lingua videre licet.

*Frãciſcus Alumnus.*

GE-



## GETICA LINGVA.

GETAE, Populi in Scythia Europæa, quos Appianus Dacos appellat. Strabo vero Getas a Dacis ita diſtinguit, vt Getæ ſint qui ad Pontum in Orientem vergunt: Daci, qui in oppoſitum latus ſpectant, verſus Germaniam, & Iſtri fontes, quos olim Danos vocatos nonnulli volunt. Ex quo apud Athenienſes Dauorum, & Getarum ſeruilia nomina in vſu maxime fuerunt. Aelius Spartianus ſcribit Getas dictos fuiſſe, qui poſtea Gothi appellati ſunt. Alij vero eoſdem Getas eſſe Tartaros, & veterem Gothorum regionem hodie Tartariæ regno ſubiectam, eiusq. partem eſſe, Germanicaq. lingua vti affirmant.

*Appian. Alexand. Strabo.* *Aelius Spart.*

## GOTHICA LINGVA.

GOTHI immanes Scythiæ populi in Tractu Septemtrionali Europæ, Danis & Noruegis contermini, qui olim armis Italiam ſubegerunt, Romamq. ipſam ſolo æquarunt, ſuamq. in totum orbem inuexerunt barbariem, vt alibi dictum eſt, cum de Vlphila Gothicarum litterarum inuentore ſermonem habuimus, vbi de maxima Latinæ linguæ iactura, quam a Gothis accepit, loquuti ſumus, multaq. exempla ad hãc rem pertinentia in mediũ attulimus, necnon Alphabetũ.

*Pag. 152. 153. & 154.*

A Gothis Oſtrogothæ, tanquam Orientales illorum vocabulis ita dicti, & Vuiſigothæ, qui Occidentalium ſeſe Regionibus infudere, nuncupati ſunt: Gothalani vero ſunt populi ex vtriſque mixti: Alani enim ſunt populi Scythiam Europæ ad Mæotidem paludem incolẽtes, quorum meminiſſe Plinium legi. Hi autem omnes necnon alij ea in Regione populi, vt Gothini, Quadi, Oſi, Marcomanni, & ceteri permulti Germanice loquebantur, vt a multis accepi Scriptoribus.

*Cæl. Rhod. lib. 18. c. 24. to. 2.* *Plin. lib. 4. cap. 12.*

Nunc vero ex omnibus nationibus Gothicis nullam amplius in Germania ſupereſſe conſtat, Scyris vel Stirijs, ſiue Stirenſibus, & Turingis exceptis. Noruegicam vero linguam Germanicæ adſimilem eſſe multi prodiderunt: idq. ita eſſe inueni in Italico Ioſaphat Barbari libro de ſua, qua functus eſt, ex Venetijs ad Tanã legatione. Hæc de Gothica lingua.

*Corn. Tacit. lib. de mor. German.* *Ioſaphat Barbarus.*

GRÆ-

## GRÆCA LINGVA VETVS.

GRAECIA, Europæ regio olim omni diſciplinarum genere excultiſſima: cuius tamen populi leuitatis, vanitatiſq. nomine male audierunt, & fabuloſi dicti ſunt, quia ab ijs fabulas originem traxiſſe omnes affirmant. Hinc pluribus in locis, Cicero ait: Homines leuitate Græci, crudelitate barbari, docti quidem, & ingenioſi, ſed parum in teſtimonijs dicendis religioſi. Hæc Cicero: ob idq. Græca fide mercari apud Comicos, eſt pecunia numerata ſiue præſente, mercaturam exercere, cum eos mendacijs laborare conſtet, ſicut de Cretenſibus præſertim ab Epimenide Græco dictum fuit, & in Scriptura ſacra affirmatur.

*[Cic. in orationibus. to. 2.]*

*[S. Paulus ad Tit. c. 1.]*

Græca lingua non ſolum in Europa, hoc eſt in ipſa Græcia proprie dicta, verum etiam in Aſia minore, vt in Ionia, necnon in finitimis ei regionibus, atque in extrema Italiæ ora, quam Magnam Græciam vocant, vt in Apulia, & Calabria, in ijs præſertim partibus, quæ mari Adriatico, & Ionico adiacent, olim vigebat, & in communi, vulgariq. erat vſu: cui etiam linguæ non ſolum Romani, ſed remotiſſimæ item Regiones propter bonas, & vtiles artes atque ſcientias, necnon propter inutiles & vanas, vt magiam, & id genus reliquas eo Idiomate traditas, operam dederunt. Hæc lingua ex tribus, quæ ſunt celebriores, eſt. Hebraica vero omnium vetuſtiſſima, vt ſuo iam loco demonſtratum eſt, primarium optimo ſibi iure comparauit. Hanc ſequitur Græca. Poſt Græcam Latina ſibi vendicat locum, ſi earum tempora necnon earum dignitates, & iura cuncta ſpectentur, quæ quidem multa ſunt.

*[Pag. 79. 83. & 87.]*

Græca lingua quinque diſtinguitur dialectis, vt dictum eſt, Aeolica ſcilicet, Attica, Ionica, Dorica, & Communi. Attica vero inter ceteras elegantior & communi propior, Dorica craſſiſſima iudicatur, & in hac Aeclogæ & Paſtorum colloquia a Theocrito conſcripta fuiſſe aiunt. Communem autem linguã in nulla Regione priuatim vulgo receptam nonnulli opinãtur, cum vbique vulgus ſuũ aliquid proprium habeat, quibus a ceteris pleriſque differt: Communis enim fortaſſe illa eſt, quam viri vel litterati, vel ſapientes, et cultiores vſurpabant. Theſſala a nonnullis inter Græcas dialectos memoratur,



moratur, et aliæ quædam, quæ ad eas ipſas referri queunt.

Græca lingua in ſacris Georgiani vti dicuntur, cum vulgaris eorum lingua Tartaricæ et Armenicæ media cenſeatur. Iacobitæ item et Moſchouitæ in lingua Græca ſimilibus characteribus vtuntur, qui a Græcis parum recedere videntur, vt in Theſei Ambroſij introductione videre eſt. Carthaginienſes, vt ait Rhodiginus, in bello aduerſus Dionyſium ſeniorem, cum ſe litterarum Græcarum commercio proditos ſenſiſſent, ac quidquid fuiſſet ab ipſis decretum, Dionyſio ſignificatum, Senatuſconſulto cauerunt, nequis Carthaginienſium aut litteris Græcis, aut ſermoni inſueſceret, ſtuderetve. Hæc Rhodiginus.

*[Ex Theſeo Ambroſ. in Introd. diuerſ. ling.]*

*[Cœl. Rhodiginus tomo 3. lib. 22. c. 17.]*

## GRÆCA LINGVA VVLGARIS, et recentior.

GRAECA lingua vulgaris, qua hodie vtuntur Græci, tum vocabulis, tum Græcorum deprauatione, litteris ac terminationibus immutatis, a vetere Græca multis in locis non minus receſſit, quàm Italica, Gallica, et Hiſpanica a vetere Latina, cuius hæ tres propagines cenſentur. Hac lingua Iliadem Homeri tranſlatam, et impreſſam fuiſſe teſtatur Petrus Burrana Lucarnenſis, qui libellum, Corona pretioſa inſcriptum, edidit: in quo e regione conferuntur vocabula linguarum quattuor, Italicæ ſcilicet vulgaris, Latinæ Græcæ vulgaris, et veteris Græcæ. Opinor autem, vt Italis euenire ſolet, ipſum vulgi ſermonem corruptiorem eſſe, quàm qui a litteratis ſcribi ſolet, et in eorum ore verſatur. Inter varias autem dialectos, quarum aliæ alijs plus minusve corruptæ ſunt, vt Cretæ, Cypri, Corcyræ, et inter alias, Peloponnenſem tanquam puriorem, vel minus corruptam præferri a Græcis, accepi. Hæc de Græca lingua recentiore, necnon vetuſta, cuius Alphabetum pronunciationibus, figuris, ac nominibus diſtinctum ſuo iam loco ob oculos poſitum eſt, vbi de Græcarum litterarum Inuentoribus, multiſq. alijs rebus ſcitu quidem dignis verba fecimus. Hic autem numerandi modum iuxta litteras Alphabeti, inſtar Hebræorum, a quibus hanc formam ſicut et complures litteras, earumq. nomina Græci acceperunt, apponere libuit, vt videre eſt.

*[Petr. Burrana.]*

*[Pag. 110. 111. 112. & 113.]*

MO-

# MODVS NVMERANDI
## GRÆCVS ET LATINVS.

| *Græce.* | | | *Latine.* |
|---|---|---|---|
| En. | αʹ | 1 | Vnum. |
| Dyo. | ϐʹ | 2 | Duo. |
| Tria. | γʹ | 3 | Tria. |
| Teſſara. | δʹ | 4 | Quattuor. |
| Pente. | εʹ | 5 | Quinque. |
| Ex. | ϛʹ | 6 | Sex. |
| Epta. | ζʹ | 7 | Septem. |
| Octo. | ηʹ | 8 | Octo. |
| Ennea. | θʹ | 9 | Nouem. |
| Deca. | ιʹ | 10 | Decem. |
| Endeca. | ιαʹ | 11 | Vndecim. |
| Dodeca. | ιϐʹ | 12 | Duodecim. |
| Decatria. | ιγʹ | 13 | Tredecim. |
| Decateſſara. | ιδʹ | 14 | Quattuordecim. |
| Decapente. | ιεʹ | 15 | Quindecim. |
| Decaex. | ιϛʹ | 16 | Sexdecim. |
| Decaepta. | ιζʹ | 17 | Decem ſeptem. |
| Decaocto. | ιηʹ | 18 | Decem octo. |
| Decaennea. | ιθʹ | 19 | Decem & nouem. |
| Icoſi. | κʹ | 20 | Viginti. |
| Icoſien. | καʹ | 21 | Viginti vnum. |
| Icoſidyo. | κβʹ | 22 | Viginti duo. |
| Icoſitria. | κγʹ | 23 | Viginti tria. |
| Icoſiteſſara. | κδʹ | 24 | Viginti quattuor. |
| Icoſipente. | κεʹ | 25 | Viginti quinque. |
| Icoſiex. | κϛʹ | 26 | Viginti ſex. |
| Icoſiepta. | κζʹ | 27 | Viginti ſeptem. |
| Icoſiocto. | κηʹ | 28 | Viginti octo. |
| Icoſiennea. | κθʹ | 29 | Viginti nouem. |
| Triaconta. | λʹ | 30 | Triginta. |
| Triacontaen. | λαʹ | 31 | Triginta vnum. |
| Teſſaraconta. | μʹ | 40 | Quadraginta. |
| Teſſaracontaen. | μαʹ | 41 | Quadraginta vnum. |
| Penticonta. | νʹ | 50 | Quinquaginta. |
| Penticontaen. | ναʹ | 51 | Quinquaginta vnum. |
| Exiconta. | ξʹ | 60 | Sexaginta. |
| Exicontaen. | ξαʹ | 61 | Sexaginta vnum. |
| Ebdomiconta. | οʹ | 70 | Septuaginta. |
| Ebdomicontaen. | οαʹ | 71 | Septuaginta vnum. |
| Ogdoiconta. | πʹ | 80 | Octoginta. |
| Ogdoicontaen. | παʹ | 81 | Octuaginta vnum. |
| Enneniconta. | ϟʹ | 90 | Nonaginta. |
| Ennenicontaen. | ϟα, | 91 | Nonaginta vnum. |
| Ecaton. | ρʹ | 100 | Centum. |





| | | | |
|---|---|---|---|
| Diacoſia. | σʹ | 200 | Ducenta. |
| Triacoſia. | τʹ | 300 | Trecenta. |
| Teſſaracoſia. | υʹ | 400 | Quadringenta. |
| Pentacoſia. | φʹ | 500 | Quingenta. |
| Exacoſia. | χʹ | 600 | Sexcenta. |
| Eptacoſia. | ψʹ | 700 | Septingenta. |
| Octacoſia. | ωʹ | 800 | Octingenta. |
| Enneacoſia. | ϡʹ | 900 | Nongenta. |
| Chilij. | ͵α | 1000 | Mille. |
| Diſchilij. | ͵ϐ | 2000 | Bis mille. |
| Triſchilij. | ͵γ | 3000 | Ter mille. |
| Tetraciſchilij. | ͵δ | 4000 | Quater mille. |
| Pentaciſchilij. | ͵ε | 5000 | Quinquies mille. |
| Exaciſchilij. | ͵ϛ | 6000 | Sexies mille. |
| Eptaciſchilij. | ͵ζ | 7000 | Septies mille. |
| Ogdoaciſchilij. | ͵η | 8000 | Octies mille. |
| Enneaciſchilij. | ͵θ | 9000 | Nonies mille. |
| Myria. | ͵ι | 10000 | Decem millia. |
| Dyſmyria. | ͵κ | 20000 | Viginti millia. |
| Triſmyria. | ͵λ | 30000 | Triginta millia. |
| Tetraciſmyria. | ͵μ | 40000 | Quadraginta millia. |
| Pentaciſmyria. | ͵ν | 50000 | Quinquaginta millia. |
| Exaciſmyria. | ͵ξ | 60000 | Sexaginta millia. |
| Eptaciſmyria. | ͵ο | 70000 | Septuaginta millia. |
| Ogdoaciſmyria. | ͵π | 80000 | Octoginta millia. |
| Enneaciſmyria. | ͵ϟ | 90000 | Nonaginta millia. |
| Decamyria. | ͵ρ | 200000 | Centum millia. |
| Icoſimyria. | ͵σ | 200000 | Ducenta millia. |
| Triacontamyria. | ͵τ | 300c00 | Trecenta millia. |
| Teſſaracontamyria. | ͵υ | 400000 | Quadringenta millia. |
| Penticontamyria. | ͵φ | 500000 | Quingenta millia. |
| Exiconta myria. | ͵χ | 600000 | Sexcenta millia. |
| Ebdomicontamyria. | ͵ψ | 700000 | Septingenta millia. |
| Ogdoicontamyria. | ͵ω | 800000 | Octingenta millia. |
| Ennenicontamyria. | ͵ϡ | 900000 | Noningenta millia. |

*De nominibus ordinalibus. Quin etiam ipſi ordinales numeri a ſuperioribus ducunt originem. vt,*

| | |
|---|---|
| Protos. | Primus. |
| Deuteros. | Secundus. |
| Tritos. | Tertius. |
| Tetartos. | Quartus. |
| Pemptos. | Quintus. |
| Ectos. | Sextus. |
| Ebdomos. | Septimus. |
| Ogdoos. | Octauus. |
| Ennatos. | Nonus. |
| Decatos. | Decimus. |
| Endecatos. | Vndecimus. |
| Dyocædecatos. | Duodecimus. |
| Triſcædecatos. | Decimus tertius. |

| | |
|---|---|
| Teſſareſcædecatos. | Decimus quartus. |
| Pentecædecatos. | Decimus quintus. |
| Eccædecatos. | Decimus ſextus. |
| Eptacædecatos. | Decimus ſeptimus. |
| Octocædecatos. | Decimus octauus. |
| Enneacædecatos. | Decimus nonus. |
| Icoſtos. | Vigeſimus. |
| Icoſtos protos. | Vigeſimus primus. |
| Icoſtos deuteros. | Vigeſimus ſecundus. |
| Triacoſtos. | Trigeſimus. |
| Triacoſtos protos. | Trigeſimus primus. |
| Teſſaracoſtos. | Quadrageſimus. |
| Teſſaracoſtos protos. | Quadrageſimus primus. |
| Penticoſtos. | Quinquageſimus. |
| Penticoſtos protos. | Quinquageſimus primus. |
| Exicoſtos. | Sexageſimus. |
| Exicoſtos protos. | Sexageſimus primus. |
| Ebdomicoſtos. | Septuageſimus. |
| Ebdomicoſtos protos. | Septuageſimus primus. |
| Ogdoicoſtos. | Octogeſimus. |
| Ogdoicoſtos protos. | Octogeſimus primus. |
| Ennenicoſtos. | Nonageſimus. |
| Ennenicoſtos protos. | Nonageſimus primus. |
| Ecatoſtos. | Centeſimus. |
| Dyacoſioſtos. | Ducenteſimus. |
| Triacoſioſtos. | Trecenteſimus. |
| Tetracoſioſtos. | Quadringenteſimus. |
| Pentacoſioſtos. | Quingenteſimus. |
| Exacoſioſtos. | Sexcenteſimus. |
| Eptacoſioſtos. | Septingenteſimus. |
| Octacoſioſtos. | Octingenteſimus. |
| Enneacoſioſtos. | Nongenteſimus. |
| Chilioſtos. | Milleſimus. |
| Diſchilioſtos. | Bis milleſimus. |
| Triſchilioſtos. | Ter milleſimus. |
| Tetraciſchilioſtos. | Quater milleſimus. |
| Pentaciſchilioſtos. | Quinquies milleſimus. |
| Exaciſchilioſtos. | Sexies milleſimus. |
| Eptaciſchilioſtos. | Septies milleſimus. |
| Octaciſchilioſtos. | Octies milleſimus. |
| Enneaciſchilioſtos. | Nonies milleſimus. |
| Myrioſtos. | Decies milleſimus. |

Græci præter illam ſupputandi formam a ſerie Alphabeti deſumptam, ſex in numeris deſignandis vtuntur litteris, hoc eſt, Ι Π Δ Η Χ Μ. Ι, vnitatē ſignificat. Π, πέντε. ideſt quinque, Δ, δέκα. i. decē. Η, ἑκατὸν. i. centū. Χ, Χίλια. i. mille. Μ, μύρια. i. decies mille: quoties autem harum litterarū ſingula quæque geminatur, toties idem numerus multiplicatur. Decadum vero, centuriarū, & Chiliadum, ac Myriadū litteræ, Δ Η Χ Μ, in hoc charactere Græco Π, incluſæ, quinarium eorum numerorū ſemper multiplicat, vt |Δ| 50. |Η| 500. |Χ| 5000. |Μ| 50000. nam hæc littera, Π, quinque ſignificat. Horum numerorū adiunctione reliqui omnes gignuntur, & in compoſitione maior ſemper minori præponi ſolet: ſed in compoſitione nominum numeralium maior numerus minori ſine coniunctione præfertur, vt δεκατρία: ideſt decem tria. ſi autem minor maiori præponatur, coniunctio intercedit, vt τρια καίδεκα, ideſt tria & decem.

HE-



## HEBRAICA LINGVA.

HEBRAEI non ab Abraam, qui Hebræus in Geneſi appellatur, ſed ab Heber, qui fuit abnepos Sem, filij Noe, qui et Iudæi a Iudæa, quæ et Chananæa, et promiſſionis Terra in Scripturis ſacris nuncupatur, dicti ſunt Syriæ Regionem incolentes. Et quia in Heber Familia remanſit lingua, quæ prius humano generi creditur fuiſſe communis, cum Gentes linguarum diuerſitate ſunt diuiſæ, Hebraica deinceps nuncupata eſt. Hac Hebraica, ſiue Iudaica lingua, quæ & ſacra dicitur, vetus Teſtamentum, libris Iob, Danielis, & partim Eſdræ exceptis, qui Chaldaica lingua editi reperiuntur, conſcriptum fuit: qui profecto Liber fere ſolus pure Hebraicus habetur, vt eruditi affirmant: alij enim ijſdem Characteribus conſcripti, vel Chaldaici ſunt, vel alias dialectos & gloſſas habent admixtas. Hinc recentiorum Iudæorum Thalmud vanitatibus, & impietatibus plenum, nunc Romæ expurgationi traditum, obſcurum cenſetur, quia omnium fere gentium vocabulis reſperſum eſt. De Alphabetis Hebraicis, antiquiori ſcilicet, & recentiori, quæ ſuo iam loco fuerunt appoſita, deq. huius linguæ maieſtate, & excellentia, multiſq. rebus alijs ad hanc eandem linguam pertinentibus, præſertim vero de litterarum myſterijs, quibus ipſa lingua abundat, ſatis ibi dictum opinor.

*Gen. 14.* *Gen. 10.* *Gen. 11.* *Pag. 92.*

Addam autem hoc loco quæ ad nominum numeros, ac deſinentiam pertinent. Hebræi enim in geminatis a natura, vt duæ aures, duo oculi, & cetera huius generis nomina, necnon in numero centenario, ac millenario dualem habent, non pluralem: quæ enim pluralem habent, duali carent. Maſculina nomina vnicam in ſingulari, & vnicam in plurali deſinentiam habent.

De ijs, qui litteras Hebraicas antiquas, ac recentiores inuenerunt, ſuis iam locis ſermonem habuimus, vbi multa, & ſcitu quidem digna dicta ſunt, num ſcilicet Hebraica lingua, ſiue libri ſacri hac lingua conſcripti fuerint corrupti: qua in re demonſtranda multas recenſuimus cauſas et rationes.

*Pag. 82. 83. 88. & 89.*

De modo ſcribendi, qui ab Hebræis obſeruatur, ſuo item iam loco dictum eſt, vbi modum ſcribendi apud Latinos, a ſi-

*Pag. 93.*

Tt 2 niſtra

niſtra parte in dextram magis naturalem eſſe naturæ, quàm a dextra in ſiniſtram demonſtrauimus.

De litterarum Hebraicarum myſterijs nonnulla etiam diximus: ſed earundem interpretationem, connexionem, et ordinem videre eſt in Oeconomia Georgij Ederi, et apud S. Hieronymum in prooemio lamentationum. *Tomo 4.*

Verum quia ex ordine litterarum numerandi modum obſeruant Hebræi, hinc iuxta litteras Hebraicas ſupputandi formam infra apponere nobis viſum eſt.

## NVMERVS SVPPVTANDI APVD HEBRÆOS.

| | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|
| א | Hechad. | 1 | Vnum. | כ | Gheſrim. | 20 | Viginti. |
| ב | Scienaim. | 2 | Duo. | ל | Scieloſcim. | 30 | Triginta. |
| ג | Scieloſcia. | 3 | Tria. | מ | Arbaghim. | 40 | Quadragi nta. |
| ד | Arbagha. | 4 | Quattuor. | נ | Chamiſcim. | 50 | Quinquaginta. |
| ה | Chamiſcia. | 5 | Quinque. | ס | Sciſcim. | 60 | Sexaginta. |
| ו | Sciſcia. | 6 | Sex. | ע | Scibghim. | 70 | Septuaginta. |
| ז | Scibgha. | 7 | Septem. | פ | Sciemonim. | 80 | Octoginta. |
| ח | Sciemona. | 8 | Octo. | צ | Tiſeghim. | 90 | Nonaginta. |
| ט | Tiſegha. | 9 | Nouem. | ק | Mea. | 100 | Centum. |
| י | Ghaſara. | 10 | Decem. | ר | Mathaim. | 200 | Ducenta. |
| יא | Hechadghaſar. | 11 | Vndecim. | ש | Scialoſcmeoth. | 300 | Trecenta. |
| יב | Scienaimghaſar. | 12 | Duodecim. | ת | Arbaghmeoth. | 400 | Quadringenta. |
| יג | Scieloſciaghaſar. | 13 | Tredecim. | ך | Chameſcmeoth. | 500 | Quingenta. |
| יד | Arbaghaghaſar. | 14 | Quattuordecim. | ם | Seieſcmeoth. | 600 | Sexcenta. |
| טו | Chamiſciaghaſar. | 15 | Quindecim. | ן | Scieuaghmeoth. | 700 | Septingenta. |
| טז | Sciſciaghaſar. | 16 | Sexdecim. | ף | Sciemonemeoth. | 800 | Octingenta. |
| יז | Scibghaghaſar. | 17 | Decem ſeptem. | ץ | Teſciaghmeoth. | 900 | Nongenta. |
| יח | Sciemonaghaſar. | 18 | Decem octo. | א̈ | Eleph. | 1000 | Mille. |
| יט | Tiſeghaghaſar. | 19 | Decẽ & nouem. | | | | |

*Num. Ordinalis.*

| | |
|---|---|
| Riſcion. | Primus. |
| Sieni. | Secundus. |
| Scieliſci. | Tertius. |
| Rerieghi. | Quartus. |
| Chamiſchi. | Quintus. |
| Sciſci. | Sextus. |
| Scieuighi. | Septimus. |
| Sciemini. | Octauus. |
| Teſcighi. | Nonus. |
| Ghaſiri. | Decimus. |

Pro numero cuiuſcumque decadis multiplicando eadem nomina ab vnitate ad denarium vſque numerum reſumuntur, maiore minori, & contra, præpoſito. Idquod etiam in numero ordinali obſeruatur.

HETRV-



## HETRVSCA LINGVA.

HETRVRIA, Italiæ Regio, Tyrrhæno mari incumbens ad primam vſque Tyberis ripam protenſa, Macra fluuio a Liguria diſcreta: auguriorum olim, & haruſpicinæ peritiſſima, vt Claudianus teſtatur. Hinc dictæ Regionis incolæ Hetruſci ſunt appellati, atque Hetruſca lingua vetus, qua Populi Hetruſci vtebantur. Huius linguæ Alphabetum ſuo iam loco appoſitum eſt, vbi de Demaratho Hetruſcarum litterarum Inuentore loquuti ſumus. Eiuſdem linguæ ſeptem illæ Tabulæ æneæ vetuſtiſſimæ Eugubij, ſiue Igubij repertæ cenſentur eſſe.

*Claudianus ī Ruffinum.*

*Pag. 150. & 151.*

Hanc linguam, quam hodie nullam extare, pro comperto habetur, a Latina longe diuerſam fuiſſe apparet ex vocibus quibuſdam paucis, quas apud probatiſſimos Scriptores me legiſſe memini. Deus enim, vt Suetonius ait, *Aeſar* ab Hetruſcis dicebatur, & Padus a profunditate, *Botigon*, quem Ligures *Botigum* dicunt, appellabatur. Ancona, prius Hetruſco vocabulo *Picena* ſimul & Aboriginum dicta. Piceni, Hetruſca lingua genus ſacrum dicitur, orti a Sabinis. Hetruſci etiam, vt Cato teſtatur, nobilem Principem *Laronem*, vel *Larunem*, & *Arunem* appellabant, quem Itali, Hiſpani, & alij *Baronem* vocitare ſolent. Eidem item linguæ voces illæ, quas Arnobius de victimis earumq. partibus recenſet, adſcribuntur a Rhenano, & Pamelio, quia ibi Arnobius de Hetruria, quam genitricem et matrem ſuperſtitionis appellat, ſermonem habet. Voces huius generis ſunt: *Apexabo*, *Longauo*, *Tucetum*, *Tenia*, *Plaſea*, *Fendica*, *Iſitium*, *Mateola*, *Fitilla*, *Augmen*, *Magmentum*, et id genus aliæ, quas ijdem Scriptores pro animalibus, animaliumq. partibus, atque farciminũ generibus, quibus vtebantur Hetruſci in ſacrificijs, ſtudent explicare. Vocabula enim ſunt ab ijs conficta, vt propter eorum obſcuritatem auguſtiora iudicarentur, ſicut idem Rhenanus teſtatur.

*Suetonius Tranquil. in Auguſto.*

*M. Portius Cato. & Beroſus.*

*Arnobius aduerſus Gentes. li. 7. circa med. Rhen. & Pamelius*

Hæc lingua aliquid commune cum Armenica, et Scythica habuiſſe nonnulli ſuſpicantur: Vtrique enim Pontifices ſuos et ſacros expiatores *Sagos* appellabant, et *Noam* ex Armenia in Italiam profectum dicebant, Veſtamq. colebant, perpetuumq.

petuumq. ignem ſeruabant: fabulas Hetruſcorum quaſdam a Liuio, & a Cicerone explicatas Crinitus teſtatur. Hæc de veteri Hetruſca lingua.

*Petr. Crinitus.*

Recentior autē eſt Italica, & emēdatior quidem, quæ adeo floret, vt inter Vulgares linguas nobilior, & cultior habeatur. Hac eadem lingua omnes artes, atque ſcientiæ paſſim in Italia conſcribi ſolent. Hinc ſicut Romanos olim pueros Hetruſcis litteris erudiri ſolitos tradit Liuius, ita tempus in præſens Hetruſcæ linguæ recēriori omnes fere operā nauant, & præſertim ij qui Italica lingua emendate, & perpolite quidem ſcribere, aut loqui percupiunt: maximo enim pretio habetur apud omnes. Hæc hactenus.

*Liuius li. 9. hiſt. ab orbe cōdito Dec. 1.*

## HIBERNICA LINGVA.

HIBERNIA, Inſula non procul ab Anglia, vulgo *Hirlanda* in Oceano inter Angliam & Hiſpaniam ſita eſt, ab Ibero dicta duce, homine Hiſpano, qui primus magno hominum numero eam occupauit: vel ab Ibero Hiſpaniæ fluuio, cuius accolæ primi Inſulam habitaſſe feruntur. Hiberni quidem cum habitu corporum, tum viuendi ritu, atque moribus non valde ab Hiſpanis vicinioribus diſcrepare dicūtur: linguam vero eorum peculiarem eſſe, qua Scotos etiam ſilueſtres & Inſulanos ab Hibernis oriundos vti aiunt.

*Cæſ. lib. 5. de Bello Gall.*

## HISPANICA LINGVA.

HISPANIA, latiſſima Europæ Regio, a montibus Pyrenæis incipiens & per Columnas Herculeas circumiens ad Borealem vſque Oceanum protenditur, & in Citeriorem, & Vlteriorē ſecatur, Heſperia olim dicta ab Heſpero Atlantis fratre, vel ab Heſpero ſtella lucidiſſima: vltimò autem ab Hiſpali, quam hodie *Siuiliam* vocant, Hiſpalia, vnaq. deinde littera immutata, Hiſpania dicta eſt. Hiſpanorum autem lingua vetus quænam fuerit, inuenire non potui. Sed veriſimile eſt, in oris ad Mediterraneum mare, præſertim occaſum verſus remotis, Lybicæ vel Mauritanicæ linguæ olim extitiſſe vſum. Mauri enim ijs in Regionibus imperarunt: atque inibi, & in Luſitania præſertim Maurorum vocabula relicta ſunt, vt ab Hiſpaniarum Indigenis accepi. Habent etiam eæ Regiones quædam vocabula Gothica, virorum præſertim: nam multo tempore Hiſpanias obtinuerunt Gothi, quorum item graſſationibus & imperijs Latina lingua maieſtatem ſuam, ſuumq. imperium in Italia omiſit primum, deinde in Gallijs, & Hiſpanijs: & nouæ illæ, quibus nunc loquuntur, fuerunt introductæ.

*Plin. li. 5. cap. 1. 2. & 3.*



Caſtellana vero lingua ceteris dialectis, quibus hodie vtūtur Hiſpani, ſicut Hetruſca in Italia, præfertur, vt ego re ipſa noui: Affinis eſt Italicæ, & ad Latinam linguam propius quàm Gallica accedit, minus tamen quàm Italica: has enim tres linguas vulgares Latini idiomatis propagines eſſe dictum eſt. Hæc de Hiſpanica lingua.

## HVNGARICA LINGVA.

HVNGARIA Auſtriæ contermina, & in Orientem vergens, inferiorem Pannoniam a fluuio Leycha ad Sauuna vſque complectitur, & Danubium tranſgreſſa ad Polonos vſque protenditur: & vltra, citraq. Iſtrum late dominatur. Extat adhuc non longe ab ortu Tanais altera Hungaria & lingua & moribus illi pene ſimilis, ſed Chriſti cultrix: illa vero ritu barbarico viuens ſeruit idolis. Hæc ex Aenea Siluio.

*Aeneas Siluius in Europa.*

Huius nationis numeri cardinales, vt aiunt, ſunt infra conſcripti, vt huius Gentis numerandi modus aliqua ex parte habeatur.

| | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|
| 1. | Eig. | Vnum. | 6. | Hatt. | Sex. |
| 2. | Ketto. | Duo. | 7. | Het. | Septem. |
| 3. | Harom. | Tria. | 8. | Niogis. | Octo. |
| 4. | Nieg. | Quatuor. | 9. | Kilentz. | Nouem. |
| 5. | Ot. | Quinque. | 10. | Tiz. | Decem. |

Sunt qui velint eoſdē eſſe Hunnos atque Hungaros paucis litteris immutatis: alij vero Hunnos ab Hungaris diſtinguūt, atque hos ad Vagum fluuium Illyrice loqui ſolitos aiunt.

Hunni vel Huni vide, Hungaria.

IACO-

## IACOBITARVM LINGVA.

IACOBITAE characteribus quibuſdam vtuntur, qui a Græcis parum differre videntur: vt ego ipſe vidi in Appendice diuerſarum litterarum Theſei Ambroſij Papienſis & Canonici Regularis Lateranenſis, qui ibi ob oculos ponit Iacobitarum Alphabetum, in quo non ſolum plurimi characteres Græcis litteris adſimiles ſunt, immo omnino ijdem qui & Græci, verum etiam nomina litterarum maiori ex parte cum Græcis habent affinitatem: lingua vero eſt Arabica, vt Ambroſius ait.

*Theſ. Ambroſ. ī princip. Appendicis.*

## ILLYRICA LINGVA.

ILLYRIVM, ſiue Illyris, Illyriave, Regio Europæ ſatis ampla, & Epiro contermina, Italiæ propinqua, ab Illyrio, vt Appianus inquit, Polyphemi filio, ſiue, vt Euſtathio placet, Cadmi filio denominata, hinc Italiam, illinc Germaniam, inde Macedoniam, Thraciam & Epirum habens confines: hinc Adriaticum ſinum, quem *Golphum* Venetiæ appellant: inde autem Danubium flumen. Hanc regionem & Dalmatiam, quæ eſt pars Illyrij, & *Sclauoniam* hodie vocant, quæ & *Slauonia* rectius dicitur. Huius Regionis lingua, quæ Illyrica nuncupatur, late ſe diffundit, cum plurimi populi ea vti ſoleant: vtuntur enim Illyrica lingua, Dalmatia, ſiue Sclauonia, Iſtria, Stiria, Carinthia, Croatia inter Dalmatiam & Iſtriam ſita, Forum Iulij, Carnia, necnon gentes aliæ his finitimæ: Seruia item Bulgaria, Muſia, Vallachia, & Moldauia, & aliæ Daciæ partes, Boſina etiam, Ruſſia, Moſchouia, & aliæ Gentes ad Orientalem plagam pertinentes: Boœmia item, Polonia, Morauia, Lithuania, & aliæ Gentes quàmplurimæ, quas infra conſcribam, vt a multis Scriptoribus accepi, & a non paucis dictorum locorum incolis audiui. Hæc denique lingua in Græcia necnon Conſtantinopoli in Ottomanorum aula eſt familiaris: & nuper in Aegypto apud Memphiticum Sultanum et equites Mamaluchos haud ingratis auribus audiebatur. Per vniuerſam autem Turcicam Gentem, præcipue vero apud milites, Sclauonica lingua adeo eſt in

*Appianus & Euſtathius.*



vſu, vt Conſtantinopolis ipſa iam non amplius priſco nomine, ſed Cæſaris domus Sclauonica vocetur lingua. Hæc ex Sigiſmundo Gelenio, Marino Temperizza Epidaurio, ſiue Raguſæo e ſocietate Ieſu, et alijs.

*Sigiſmundus Gelen. Mar. Temper. Pag. 162. & 171.*

In hanc linguam ſacrarum litterarum codices, induſtria ſancti Hieronymi, et Cyrilli tranſlati ſunt, vt ſuis iam locis dictum eſt. Hac item lingua non ſolum patrij Annales, verumetiam de Alexandro Magno, Romaniſq. Cæſaribus, necnon de Marco Antonio et Cleopatra commentarij conſcripti ijs in locis reperiuntur, vt Iouius narrat. Philoſophiam vero, et Aſtrologiam, ceteraſq. diſciplinas, rationalemq. medicinam eæ Gentes numquam attigere. Hæc Iouius.

*Paulus Iouius.*

Quamuis autem Illyrica lingua tot Gentes, vt fuſius enarrabimus, vtantur, characteres tamen ſunt omnino inter ſe diuerſi ſicut ſupra videre eſt, vbi Alphabetum Sclauonicum, ac Seruianum appoſuimus figuris, nominibus, ac pronunciationibus ſiue poteſtatibus diſtinctum: illud vero tribus ac triginta, hoc autem tribus et quadraginta litteris conſtat: illud a ſancto Hieronymo, hoc a ſancto Cyrillo cenſetur inuentum, vt ſuis iam locis dictū eſſe memini. Sclauonicum autem Alphabetum licet a S. Hieronymo inuentum fuiſſe dictum ſit, vt rumor docet: hoc tamen loco ſententiam Ioannis octaui ſilentio prætereundam eſſe non opinor: Ioannes enim in Epiſtola ad Sfentopulchrum Sclauonicas litteras, ſiue Croaticas a Croatia dictas inter Dalmatiam et Iſtriam ſita a Conſtantino quodam Philoſopho inuentas eſſe teſtatur: cuius Epiſtolam videre eſt in dictione, Dalmatica lingua.

*Pag. 160. & 169.*

*Pag. 162. & 171.*

*Ioan. viij. ī Regiſtro.*

*Idē ſupra ī dict. Dalmatica.*

Quænam vero Gentes Alphabeto Sclauonico, quod Hieronymianum vocant, quænam etiam Seruiano, vel Cyrilliano vtantur, ſuis iam locis enarratum eſt: quamuis enim Illyricam linguam tot Nationibus communem eſſe pateat, characteres tamen diuerſi omnino ſunt.

*Pag. 163. & 171.*

Hæc autem lingua a tot Gentibus adhibetur non ſecus atque Italica lingua in Italia, in qua tot Prouinciæ eadem lingua, ſed aliæ magis, aliæ minus culte loquuntur, ita vero, vt ſingula quæque Prouincia, quin ſinguli quique populi nonnullas habeant voces ac pronunciationes aliunde ob commercium deſumptas, vt in Italica lingua eueniſſe oſtendemus.

*Infra in Dict. Italica.*

mus. Vt autem quis facilius videre queat, quinam populi ſint ij, qui Illyrica, ſed vulgari lingua loquantur, omnia eorum Populorum nomina, qui ea vtuntur, tum ex Auctorum verbis iam recitatis, tum etiam ex Sigiſmundi Gelenij præſertim Epiſtola, necnon ex ijs, quæ Marinus Temperizza Epidaurius e ſocietate Ieſu, vir quidem Illyricam linguam, Illyricosq. characteres optime callens, mihi copioſe narrauit, hoc loco recenſenda exiſtimaui. *Sigiſm. & Marinus.*

*Nomina populorum, qui Illyrica loquuntur lingua, ordine Alphabetico diſpoſita.*

ABGAZARI, vel Abgazelli, qui et Gazari circa mare Caſpium.
Aeſtiui.
Arbenſes.
Beſſi, hodie Boſnenſes, vel Boſnaſienſes.
Bohemi.
Boruſij.
Boſnenſes. Vide Beſſi.
Bulgari, ſiue Raſcij.
Carni.
Carniolani.
Carinthij.
Caſſubi, vel Caſſubitæ.
Circaſſi Quinquemontani circa Pontum, vel Ciercaſſi circa mare Caſpium.
Corali.
Croati, vel Chroati.
Culmij.
Curi.
Dalmatæ, vel Delmatæ.
Dibrij.
Epidaurij, ſiue Raguſæi ex Epidauro ciuitate iuxta Dalmatiam ad Illyricum mare ſita.
Epirotæ.
Foroiulienſes, vulgo Furlani, a Foroiulio Italiæ Regione, in qua ſunt Aquileia, Vtinum, Ciuidale, ac Tergeſtum.
Gazari. Vide, Abgazari.
Gepidæ.
Hungari ad Vagum fluuiũ.
Iapides, vel Foroiulienſes.
Iaziges.
Iſtri.
Lithuani.
Liui.
Luſarij.
Lygi.
Macedones Mediterranei.
Maxobij, vel Mazolitæ.
Meiſi, vel Myſij.
Moldaui.
Moraui.
Myſij, vel Meiſi.
Nugardi.
Obodritæ, vel Obrotriti.
Ohulici.



Ohulici.
Pannoniæ pars.
Permi.
Pleſcouij, vel Pleſcouienſes.
Podolij.
Polabi.
Poloni maiores et minores.
Pomerani.
Raguſæi. vide Epidaurij.
Raſcij, vel Raſci, ſiue Bulgari.
Rugi.
Ruſſani, vel Ruſſi a Ruſſia: vel Rutheni.
Samogitæ.
Sarbi. Vide Sorabi.
Sarmatæ, qui et Poloni vocuntur.
Sclaui, vel rectius Slaui.
Seruij. Vide Sorabi.
Sleſij, vel Sileſij. al. Sleſitæ.
Smolnenſes.
Sorabi. al. Sarbi. hodie Seruij.
Tranſiluani.
Vandali, al. Vuandali.
Veltæ.
Vilaci.
Vuagrij.
Vuinuli.
Zagorani.
Zadrauani.

Hi ſunt igitur Populi, qui Illyrica lingua vulgari vtuntur: extat enim altera huic valde adſimilis et fere eadẽ, quæ ſcripturalis, vel litteraria nuncupari poteſt, Buchuizza a Sclauis dicta, quæ non niſi per regulas diſci poteſt, et a rudioribus abſque regulis non recte intelligitur, nec recte pronunciatur. In hanc linguam a ſancto Hieronymo Scripturam ſacram Sclauonicis litteris, et a ſancto Cyrillo Seruianis characteribus tranſlatam fuiſſe credendum eſt. Id quod etiam de Miſſali, de Codice horario, deq. alijs Sclauorum libris dicendum puto. Sunt autem qui hanc linguam non Illyricam, ſed Sarmaticam potius, ideſt Polonicam vocandam affirment quòd ceteræ ab hac ſint ortæ: Polonica enim non multum a Sclauonica, & Bohemica recedit, vt facile intelligere potui ex Oratione Dominica tribus hiſce linguis conſcripta, quam apud Bartholomæum Georgenitam & Sigiſmundum Gelenium Bohemum, qui Symphonum edidit lexicon, in quo vocabula linguarum, Latinæ, Græcæ, Germanicæ, & Illyricæ, quæ inter ſe conueniunt, vel in duabus ex his, vel tribus, vel quattuor linguis, conferre ſtudet. Quòd autem Polonica & Sclauonica, ſiue Illyrica linguæ magnam inter ſe affinitatem habeant, ex eorundem ſupputandi modo, quem infra apponere libuit, facile comprobari poteſt. *Bartbol. Georg. & Sigiſm. Gelen.*

# MODVS NVMERANDI
## ILLYRICE.

| | | |
|---|---|---|
| Iedan. | 1 | Vnum. |
| Dvà. | 2 | Duo. |
| Trì. | 3 | Tria. |
| Cetiri. | 4 | Quattuor. |
| Pet. | 5 | Quinque. |
| Sceſt. | 6 | Sex. |
| Sedam. | 7 | Septem. |
| Oſſam. | 8 | Octo. |
| Deueth. | 9 | Nouem. |
| Deſeth. | 10 | Decem. |
| Iedanaeſt. | 11 | Vndecim. |
| Dvanaeſt. | 12 | Duodecim. |
| Trinaeſt. | 13 | Tredecim. |
| Ceternaeſt. | 14 | Quattuordecim. |
| Petnaeſt. | 15 | Quindecim. |
| Sceſtnaeſt. | 16 | Sexdecim. |
| Sedanaeſt. | 17 | Decem ſeptem. |
| Oſſanaeſt. | 18 | Decem octo. |
| Deuethnaeſt. | 19 | Decem & nouem. |
| Dvadeſeth. | 20 | Viginti. |
| Dvadeſeth i iedan. | 21 | Viginti vnum. |
| Dvadeſeth dva. | 22 | Viginti duo. |
| Dvadeſeth i trì. | 23 | Viginti tria. |
| Dvadeſeth i cetiri. | 24 | Viginti quattuor. |
| Dvadeſeth i peth. | 25 | Viginti quinque. |
| Dvadeſeth i ſceſt. | 26 | Viginti ſex. |
| Dvadeſeth i cedam. | 27 | Viginti ſeptem. |
| Dvadeſeth i oſſam. | 28 | Viginti octo. |
| Dvadeſeth deuet. | 29 | Viginti nouem. |
| Trideſet. | 30 | Triginta. |
| Trideſet i iedan. | 31 | Triginta vnum. |
| Ceteri deſet. | 40 | Quadraginta. |
| Ceterdeſet i iedan. | 41 | Quadraginta vnum. |
| Pedeſet. | 50 | Quinquaginta. |
| Pedeſet i iedan. | 51 | Quinquaginta vnum. |
| Sceſdeſet. | 60 | Sexaginta. |
| Sceſdeſet i iedan. | 61 | Sexaginta vnum. |
| Sedamdeſet. | 70 | Septuaginta. |
| Sedamdeſet i iedan. | 71 | Septuaginta vnum. |
| Oſſamdeſet. | 80 | Octoginta. |
| Oſſamdeſet ī iedan. | 81 | Octuaginta vnum. |
| Deuetdeſet. | 90 | Nonaginta. |
| Deuetdeſet i iedan. | 91 | Nonaginta vnum. |
| Sto. | 100 | Centum. |
| Tiſucchiā. | 1000 | Mille. |
| Dvi e tiſucchiè. | 2000 | Duo millia. |
| Trì tiſucchiè. | 3000 | Tria millia. |

Qui



Qui plura de Illyrica & Polonica lingua, ſcitu quidem digna, noſcere cupit, Bartholomæi ſcripta & Gelenij, qui de ea copioſe ſcripſerunt perlegere ſtudeat. Hæc hactenus.

## INDICA LINGVA.

INDIA, Regio Orientalis, Aſiæ terminus ab Indo dicta fluuio, qui ſolus præter Nilum Crocodilos creat, tam vaſta eſſe perhibetur, vt eam tradant eſſe tertiam omnium terrarum partem. Abundat gemmis, elephantos procreat Africanis multo maiores, arbores ſemper habet frondentes, bis fruges in anno ad maturitatem perducit, aromata ad nos mittit, binasq. habet æſtates. Huius autem Regionis lingua adeo Hebraicæ, Chaldaicæ, & Arabicæ affinis eſt (licet characteribus variet) vt rara admodum in hac ſit dictio, quæ in aliarum aliqua non reperiatur: & hæc ſola Orientalium, quæ ab Hebræa originem habent, noſtro legitur modo, a ſiniſtra ſcilicet in dextram, vt a viris peritis, atque ab huiuſce Regionis incolis accepi, & re ipſa id ita eſſe comperi: vidi enim & contrectaui codicem quēdam ex Indijs tranſuectum e ſubtiliſſimis autem arborū corticibus confectum, ac typis mandatum, quem ſuperioribus annis frater Spiritus Vicētinus, ſummus olim ordinis Eremitarum S. Auguſtini Magiſter Sixto Quinto dono dedit. Quod quidem munus tum ob miram rei nouitatem ad loca hæc aſportatam, tum etiam ob admirabile ingenij artificium ſummo Pontifice dignum exiſtimatum fuit: ex eo enim codice iam impreſſo, typographiam anteaquam in Europam fuiſſet aduecta, in Indijs floruiſſe patet. Adde etiam quòd pagina ex arborum corticibus confecta adeo ſubtilis & araneæ telæ adſimilis eſt, vt duæ paginæ pro vna ſumantur, altera tantum paginæ parte typis inſignita: quæ profecto res ingenij perſpicacitati nonniſi admirationi eſſe poteſt. Hæc de Indica lingua. Plura in Aethiopum lingua legenda ſunt.

*Ex Pomponio, & Strabone lib. 15.*

*Typographia Indiana ante Typographias Europæ.*

## IONICA LINGVA.

IONIA, Aſiæ minoris Regio, media inter Cariam, & Aeolidem, tum cæli bonitate, tum ſitus commoditate nulli Regionum

gionum poſthabenda: hinc Ionica Dialectus inter quinque Græcarum linguas notiſſima dicta eſt, quæ diæreſes ſine contractione præter vſum communem, & quaſdam litterarum mutationes admittit. Hac lingua Hippocrates medicus, & Herodotus hiſtoricus ſcripſiſſe dicti ſunt. Hæc ex Ioanne Grammatico.

Iſmaelitica dialectus in Aethiopum lingua videnda eſt.

Iſtri Illyrice loquuntur.

## ITALICA LINGVA.

ITALIA, Europæ regio nobiliſſima, eiuſdemq. Viridarium perpulchrum vulgo nuncupata, Heſperia prius ab Heſpero Rege, ſiue, vt Macrobio placet, ab Heſpero, ſtella occidentali, cui ſubiecta eſt, deinde Oenotria vel a bonitate vini, quod in ea naſcitur (Græci enim vinum, οἶνον appellant) vel ab Oenotrio Sabinorum Rege: poſtremo autem Italia dicta eſt ab Italo Siculorum Rege, qui Italos agriculturam docuit, & leges condidit.: eamq. partem, in qua poſtea Turnus regnauit, a ſuo nomine Italiam appellauit. Eſt autem vniuerſa Italia in formam cruris inter Adriaticũ, & Tuſcum mare ſita, vmbilicum in agro Reatino habens: cuius longitudo ab Auguſta Prætoria ad Rhegium vſque Calabriæ terminum, ſiue Meſſanæ Pharum, Solino teſte, decies centena millia paſſuum continet: Latitudo vero quadringenta decem, vbi maxima latitudo: vbi autem minima, ad viginti milliaria: hæc autem anguſtia eſt inter Scyllaticum ſinum & Terineum, vel ſanctam Euphemiam. Huius Regiones vel Prouinciæ maxime inſignes, ſunt Liguria, Inſubria ſiue Gallia Ciſalpina, Venetia, Iapidia, Carnia, & Iſtria, Hetruria, Aemilia vel Flaminia ſiue Romandiola, Picenum, Vmbria, Latium, Campania, Samnium, ſiue Aprutium, Apulia, Lucania, & Calabria, quibus Siciliam a Calabria non natura, ſed anguſtiori terræ parte ab Ionio, ac Tirreno mari ſubtus corroſa, Diodoro Siculo teſte, vel ſecundum alios, ſed vi terræmotus olim diſiunctam, nonnulli adijciunt: ex cuius terræ auulſione natum eſt fretum Siculum, inter Meſſanam & Rhegium,

** Longitudo & latitudo Italiæ ex Solino, *et Gabriele Bario Franci cano li. 1. de antiqu. Calabriæ. Strabo li. 6. Trog. Põp. apud Iuſtinũ li. 4. & Virg. lib 3. Aenrid. de ſeparatione Siciliæ a Calabria. Diod. Sic. lib. 5. Et Thom. Fazelus hiſt. ſic. li. 1. cap 3.*



Rhegium, quod pharum vulgo appellant: Pharos enim ſeparationem ſignificat. Eſt autem hoc mare verticoſum, & periculoſum nautis, quod contrarijs fluctuum curſibus colliſionem facit, & rapta quæque abſorbet, et reijcit ob diuerſa maria contrarijs ventis agitata, quæ in ipſum confluunt et a nonnullis vocitatur Charybdis: ſunt enim in hoc frero, quod pharum vocant, duo ſaxa, quorum vnum in confinio Siciliæ alterum vero in extrema Calabriæ ora extant: illud Charybdis, hoc Scylla fabuloſe monſtra vocitantur: hinc natum prouerbium illud:

*Incidit in Scyllam cupiens euitare Charybdim.*

Harum igitur Prouinciarum omnium vna eſt lingua, quæ Italica nuncupatur, vna ſcilicet ex ijs tribus, quæ Latinæ linguæ propagines vocantur, vt olim dictum eſt. Quamuis autem his Italiæ Prouincijs vna ſit lingua, Hetruſca tamen noua cultior, et emendatior inter alias cenſetur, et maiori habetur pretio: ad quam profecto linguam qui magis accedit, purior in dicendo, aut in ſcribendo exiſtimatur. Inſubres, et Siculi ab ea non parum, Genuenſes autem magis in loquendo recedunt: hi enim voces adeo diuerſas et pronunciationem aliarum Prouinciarum locutione ita diſtinctam habent, vt ab ijs, qui eorum loca diu non incoluerunt, haud facile intelliguntur. Idquod factum reor ob maximum locorum interuallũ, quo ab Hetruria, et ab Italiæ præſertim centro diſiunguntur: hæc enim loca alijs Regionibus contermina, ſunt extremæ Italorum oræ. Hinc ob frequens diuerſarum Gentium commercium alienas voces aliqua ex parte detortas, exterorũq. pronunciationes admittunt, atque ita vt diuerſam quodam modo linguam efficiant. Quibus de cauſis idem Siculis, Calabris, et Appulis eueniſſe credendum eſt: nam ijs in locis Greciam quandoque fuiſſe pro comperto habetur, et ad hãc vſque diem alicubi, hoc eſt in aliquibus Calabriæ et Apuliæ, ſiue Magnæ Græciæ partibus Græcanicum ſermonem, ac ritum in viuendo extare inueni, Regno vtriuſque Siciliæ peragrato, dum Auguſtinianæ Reipublicæ a ſecretis eram, ſummumq. Auguſtinianorum Magiſtrum, fratrem Spiritum Vicentinum Italiæ prouincias viſitandi gratia perluſtrantem comitabar. In Sicilia vero non ſolum voculas Græcas, Gallicas,

*Dictione Gallica, et Hiſpanicæ pag.*

cas, & Hiſpanicas, verum etiam barbaras, quas Saracenorum appellant, ſicut ipſamet multorum locorum nomina aperte docent, in frequenti vſu remanſiſſe eas ob cauſas nuper enarratas, me reperiſſe memini. Adde etiam quòd Gothi ea in Inſula anno ſalutis D. XV. tempore Iuſtiniani Imperatoris: Anno vero M. CC. LXXXII. Galli dominati ſunt: ſed hi ſtratagemate quodam tertio die Paſchatis eadem fere hora per vniuerſam Siciliã trucidati ſunt. Anno autẽ M. CCC. XXVI. Africani Siciliam ſubegere, eamq. regalem ſibi ſedem fecerunt. Nunc denique Philippus II. Hiſpaniarum Rex Catholicus vtriuſque Siciliæ Regno dominatur. Huc accedit quòd in hac Inſula Græci, & aliæ Gentes multa loca ædificarunt, & præſertim Chaldæi, Damaſceni, & Fœnices Panormum, & Meſſenij Achaiæ, ſeu Græciæ populi Meſſanam, primarias Inſulæ ciuitates, condiderunt. Hinc mirum non eſt, variarum linguarum voces, ac pronunciationes in hanc Inſulam fuiſſe introductas.

*Ex Thoma Fazello Dec. 1. lib. 8. cap. 1. & Dec. 2. lib. 8. c. 4.*

Vt autem variarum mixtionem linguarũ breuitatis cauſa prætermittã, perpauca de pronũciatione referam. Siculi enim Melitæ, atque Africæ proximi accentu quodã a ceteris Italiæ pronunciationibus diſtincto inter loquendum vtuntur, & V, pro O, necnon E, pro I, frequenter vſurpare ſolent dicẽtes hoc modo: *Vuliti viniri?* & id genus reliqua pro eo quod Italice dicitur: *Volete venire?* Latine autẽ: *Vultisne venire?* Præterea, ſicut barbaras voces retinent, & permultas quidem: ita & barbariẽ, quod ad mores pertinet, multis in rebus conſeruãt, præſertim vero mulieres in mortuis deplorandis morem imitantes antiquorum, apud quos mulieres, quæ præficæ dicebantur, adhiberi ſolebant funeri mercede conductæ ad præſtandum lamentabilem cantum in demortui laudibus recenſendis, vt ceteris plangendi modum præberent. Huiuſmodi autem plangendi conſuetudo in Italia non ſolũ in Sicilia, ſed in Apulia, & Calabria ad hãc vſque diẽ conſeruatur: Mulieres enim alieno in funere ad huius generis munus exhibendum conductæ, quæ *Repetentes*, vulgari lingua *Repetitrici*, vocitantur, capillos ſcindunt magis atque magis clamãtes, vt aliæ feminæ & præſertim defuncti, vel defunctę affines, & cõſanguineæ lacrymis ac fletibus necnon funeralibus ad vlulandum laudationibus inuitentur,

*Ex Nonio Plauto in Friuolaria, & Truc. & Lucilio li. 22. & Naeuio.*



inuitentur, quæ tandem non ſolum capillos diſcindunt, ſed vnguibus etiam ſcalpunt faciem, & domos horrẽdis implent vlulatibus: quæ profecto barbaries ſtultitiam non minus, quàm ſæuitiam repræſentat, vt ego ipſe ijs in locis, hoc eſt, in Sicilia, Calabria, & Apulia non ſemel vidi. Qua ex re barbariem repræſentante conijciendum eſt, multas in haſce Prouincias, voces, ac pronunciationes a barbaris fuiſſe introductas: pronunciãt enim & ſcribunt huius Regni incolæ, *ch*, pro, p, &, i, pro g, vt *Chiano*, pro *piano*, Latine, *ſubmiſſe*. *Chianura*, pro *pianura*, Latine *planities*: & *Chiaia* pro *piaggia*, & *ſpiaggia de mare*, Latine, *procliuitas*, vel litus maris, & id genus reliqua.

Mulieres autem ad plorandum conductæ *Repetentes* Latina lingua, & vulgari lingua *Repetitrici* dictæ ſunt, vel a laudibus demortui repetendis, quaſi ad memoriam reuocandis, ſiue potius, vt ſic dixerim, *Reputatrices* dicendæ ſunt a verbo Italico *Reputare*, quod Latine *æſtimare* ſonat: defunctus enim in magnam trahitur exiſtimationem.

Multas ijdem Siculi nõ ſolum barbaras voces, necnon Gallicas, atque Hiſpanas, verum etiam Latinas, a Latino fonte cadentes, ſed parum detortas retinent ſicut ceteræ Italiæ partes, quippe quæ Latinæ olim fuerunt: & Latina lingua late dominata eſt. Inſubres vulgo Lombardi in Gallia Ciſalpina, cuius ciuitates ſunt, Mediolanum, Papia, Lauda, Nouaria, Vercellæ, & Comum, ſatis corrupte loquuntur, atque ita vt non facile interdum intelligantur, non ſolum ob variarum vocum mixtionem, ſed etiam ob corruptam pronunciationem, truncatasq. voces, figuram apocopen frequenter vſurpantes: corrupte enim dicunt exempli gratia: *Vien ſcià chi lò*, ideſt *vien qua a queſto luogo*, pro eo quod dicunt Veneti: *Vien Za quà*, & ceteri Italiæ populi: *Vien quà*. Latini vero: *Veni ad hunc locum*, vel *veni huc*. Pronunciant præterea Inſubres & quidem perperam, f, pro u, dicentes: *Bref*, pro Breue, & id genus permulta. Veneti de medio dictionum litteras nonnullas abijcere ſolent, vt *Pare*, & *Mare*, pro eo quod ceteri Italiæ populi dicunt *Patre*, & *Matre*: interdum auferunt p, dicentes *Cao*, pro *Capo*: Latine, caput. *Fiao*, pro *fiato* Italice, Latine vero, *Flatus*. et frequenter d, pro t, vti ſolent: nam *frater* Italice dicitur *Fratello*, Veneti dicunt, *Fradelo*, t, in d, mutata,



et littera,

et littera, l, abiecta. Multa ſunt alia, quæ varias voces apud Italos ſortita fuiſſe comperio, vt eſt illud quod Latine dicitur *Modo*, vel *nunc:* Italice enim, & quidem paſſim dicitur, *Adeſſo*, vel *hora*, vt *Adeſſo vengo*, *hora vengo*, ideſt, *Nunc venio*. Hetruſca autem lingua recentiori a Scriptoribus antiquis dicitur: *Teſtè*. Sunt item in Italia Populi, vt Peruſini, Eugubini, & Camertes qui & alij dicunt: *Aſſaia:* Alibi vero, *Mo:* Craſſiſſime alicubi, *Iècona*. Omnes hæ tamen voces idem ſignificant.

Sunt præterea Italia, vt Peruſini, & alij agro Peruſino contermini, qui proferunt *Tochecco*, *Tochello*, *Tochì*, & *Tolì*, pro eo quod Latini dicunt: *Hoc loco*, & *eo loco*, vel *hic*, & *illic*. Alij vero, vt Noſtrates, & rudiores quidem, *Macchì*, & *Mallì*, & *Macchitta*, & *Mallitta* pro *hic*, & *illic*. Dicunt etiam Noſtrates ad pronunciationem Hetruſcam multis in rebus quadam ex parte accedentes: *Teſto*, & *Teſtui*, per figuram aphæreſim, pro eo quod Hetruſci dicunt: *Coteſto*, & *Coteſtui*, Latini vero: *Iſtuc*, vel *iſtud*, & *iſte*, qui apud te eſt, vel de quo loqueris. Proferunt etiam Noſtrates Hetruſcorum more in vocabulis quibuſdam i, pro, r, dicentes: *Gennaio*, & *Febraio*, idemq. in alijs vocibus id genus ſexcentis pronunciare ſolent. Perperam autẽ multi pronunciant, & aliqui ſcribunt ſc, pro ſimplici ſ, vt *Deſcidero* pro *deſidero*, & c, pro ſ, vt *concidero*, pro *conſidero*. Alij præterea in Italia populi minus recte pronunciant, a: mediũ enim quoddã inter a, & e, proferũt, vt *Paeter*, & alia permulta. Vtũtur item interdũ alij, u, pro o, dicentes: *Priuri*, pro hac Italica voce *Priori*, & *Lu capo*, pro eo eo quod alij recte dicunt: *Il capo*. Sunt qui perperam dicant: *Madamè*, *Madatè*, pro *Amè*, *Atè*.

Quamuis igitur in Italia vna ſit lingua, quæ Italica dicitur, ſunt tamen variæ pronunciationes, quas longum eſſet recenſere, & varij ſunt accentus, immo variæ vſurpantur voces, quæ ab exteris Nationibus mutuatæ ſunt, & cum alijs linguis magnam habent affinitatem. Gothica enim lingua multas habet voces, quæ non ſolum cum Germanicis quandam retinent affinitatem, ſed Italicæ item linguæ ſunt omnino communes, deſinentia, & accentu exceptis: nam Gothica lingua Angelus dicitur *Angil*, Germanice *Angl*, Italice *Angelo*. Monachus Gothice *Monch*, Germanice *Minich*, Italice *Monaco*. Monialis, Gothice & Germanice *Nun*, vel *Nunna*, Italice

*Monaca.*



*Monaca*. Monaſterium Monialium, *Nunecloſtr'*, vel *Fraucloſtr'*, ideſt clauſtrum moniale: Monachorum autem clauſtrum, *Mìnicheloſtr'*, Italice, *Chioſtro de Monachi*. Scamnum, Germanice *Ponch*, Gothice *Banch*, Italice *Banco*. Vexillum, Gothice *Banèr*, Italice *Bandiera*. Pera, Gothice, & Italice *Taſcha*. Poculum, vel Ciathus, Gothice, & Italice *Becchier*, ab Africanis *Got*, vt diximus, a Venetis *Goto*, a Germanis *Glos:* *Pag. 308.* *Gott* Germanice ſtricto ore & duplici tt, Deus appellatur, *Guot* vero bonum. *Charta* Latine, & Italice, Africanice *Cart*, vt ſupra videre eſt. Nauis item ſiue Triremis ab Armenis *Gallèri*, *Pag. 311.* dicitur, a Germanis autem, Gallis, & Italis vulgari nomi- *Pag. 308.* ne *Galèa* nuncupatur, vt ſuo iam loco dictum eſt. Feretrum *Pag. 312.* ab Ægyptijs appellatur *Baris*, Italice dicitur *Bara*. *Hercules* item eſt vox Aegyptiaca, vt ſuo iam loco diximus, a Græcis *Pag. 306.* tamẽ, Latinis, & Italis eadẽ voce vſurpatur. *Petra* item a Græco fonte cadit, & apud Latinos adeo eſt in frequenti vſu, vt *S. Hieron. in c. 2. ep. ad Gal. to. 6.* Latina eſſe dicatur: nã Πέτρος Græce lapis magnus eſt, qui Syriace teſte Hieronymo, dicitur *Cephas*. Hinc dictũ eſt Petro: Tu vocaberis Cephas: quod interpretatur Petrus: *Ioan. 1.* deinde alio in loco: Tu es Petrus, et ſuper hãc petrã ædificabo Eccleſiã meã. *Luc. 6.* Saccus dicitur Græce, & Latine, Italice *Sacco*, Hebraice *Sach:* quæ ſane res eodẽ etiã nomine apud Hiſpanos, Flandros, Germanos, Gallos, multarumq. aliarũ Gentiũ homines vſurpatur.

Mirum item cuiquam videri non debet, Gothos ab Italis, atque Italos a Gothis multas accepiſſe voces, parum aut nihil immutatas: Gothos enim in Italia olim commoratos fuiſſe conſtat. Itali præterea ab alijs Nationibus vocabula non pauca ſibi mutuarunt, vel ob commercium in bellis gerendis, *Pag. 324.* vel mercaturis exercendis, vel ob alias cauſas, quas ſupra enumeraui. Itali namque ſua lingua dicunt: *Monſignor*, quaſi ſolus, vt Alumno placet, ſiue vnicus dominus: Gallice enim aiunt: *Monſieur:* nam vox Latina, *Solus*, *Monos* dicitur apud Græcos. Dicunt etiam Itali *Meſſer* & *Miſſer* quaſi *Mio ſir*, hoc eſt dominus meus: *Sir* enim Gallica vox eſt, quæ dominum ſignificat: quare *Meſſer* dicitur, quaſi meus herus. Veneti autem hanc vocem *Sier* a Gallis mutuatam, litterula vnica adiecta, frequenter vſurpant: ceteri vero Italiæ populi *Ser* pronunciant, & huiuſmodi vocem Notarijs vt

plurimum tribuere ſolent. Via anguſta in Vrbe,ſiue Oppido, vel Villa *Vicus* dicitur a Latinis: a Romanis vero *Vico*, & *Vicolo*: a Noſtratibus, *Androne*: Ἀνδρών Græce dicitur locus, vbi viri verſantur: A Peruſinis *Rembocco*: a Latinis item *Callis*, quaſi via callo perdurata,a Venetis *Cale*, littera vnica, l, abiecta. Veneti namque inter pronunciandum plurimas litteras abijciunt,multasq. immutant,vt ſupra dictum eſt. Sunt item in Italia populi Aprutio conrermini, qui b, pro u, & u pro b, frequenter vti ſolent: alij vero ab ijs remoti, b, pro u, interdum vſurpant dicentes ſtricto ore, *Boto*, pro *Voto*, vulgari tantum lingua, & n pro d, vt *Banno* pro *Bando* pronunciant, quod a Latinis *Exilium* dicitur.

Eſt denique in Italia Regio dicta olim Iapidia, nunc Forum Iulium Latine,Italice autem *Friuli*, vbi non ſolum Sclauonica lingua, ſed tanta multarum linguarum mixtio adhibetur, vix vt credi poſſit. Hinc ipſi alios facile intelligunt, ſed non intelliguntur,& præſertim,dum quadam lingua,quæ inſtar Zingarorum, vel erronum vocabula quædam fictitia, ſuoq. ipſorum arbitratu, vel commento quodā habet, iocandi vel obloquendi cauſſa vtuntur.

Quamuis igitur vna ſit Italica lingua, ſingula quæque tamen Prouincia, immo quilibet Italiæ locus peculiaria quædā habet vocabula,peculiareſq. pronunciationes,quæ inter ſe non parum diſtant. Hetruſca item lingua recentior, quæ præſtantiſſima ab omnibus cenſetur, ſuam habet pronunciationem ab alijs diſtinctam: Hetruſci enim in pronunciando ſpiritum intra palatum retinere ſolent, ingurgitantium morem imitantes. Romana vero locutio non ſolum in pronunciando,verumetiam in vocibus vtendis totius Italicæ linguæ perfectionem, & quandam communitatem, neglecta affectatione, habere iudicatur. Hæc de Italica lingua, vt ceteras dialectos tandem aliquando conſideremus.

Iudæorum lingua eadem eſt, quæ Hebraica.

Iuhri. Vide Vngari: ijdem ſunt Vgri, Rhuteni quidem pro g, pronunciant h, pro Iugra *Iuhra*.

## LACONICA LINGVA.

LACONIA in Peloponneſo Prouincia, quæ & Oebalia, & Lacedemonia dicitur a quibuſdam, ſicut a media Græcia remotior



remotior eſt, ita a communi lingua longius recedit,& ad Doricam accedit. Lacones in dicendo, aut ſcribendo breuitate vtuntur. † Vnde breuitas,laconiſmus nuncupatur: Attici vero prolixitate vti ſolent, & quemadmodum breuitas dicendi Laconiſmus appellatur, ita & Atticus dicendi modus Atticiſmus nuncupatur,vt a Cicerone & Quinctiliano accepi. Eſt autem Atticorum locutio argutiarum, exemplorum, vrbanitatis, & ſuauitatis plena, vt idem Cicero teſtatur: qui etiam dicit Atticorum eſſe inculte & horride dicere, modo id eleganter, enucleateq. fiat. Croeſi tempore inter Dores, vt Herodotus ait, excelluerunt Lacedemonij, quorum Gloſſæ, ideſt dictiones huic linguæ peculiares ab Heſychio annotantur: eorumdemq. Apophtegmata copioſe deſcripta ſunt a Plutarcho, qui etiam in vita Lycurgi multa Laconum tum vocabula tum dicta enarrat. Hæc de Laconica lingua.

*† Cic. ad Attic. lib. 4. & ad Brut. lib. 15. ep. 25. Quinct. li. 6. cap. 3. Cicero. de Orat. et de Clar. orat. multis in locis.*

## LATINA LINGVA.

DE LATINA lingua ſuo iam loco multa a me dicta ſunt, quòd vna ſit ex tribus cultioribus, quarum comparatione ceteræ omnes barbaræ dicuntur: quòd antiquiſſima, & quòd multa a Græcis fuerit mutuata. De eiuſdem linguæ vbertate, qua Græcam ſuperari demonſtraui, nihil eſt quòd dicam: nam non ſolum ſupra id ſatis me explicaſſe memini, ſed etiam in noſtro de Latinæ linguæ Obſeruationibus libello idipſum copioſius declaraui.

*Pag. 204. 326. Pag. 79. 82. & 87. Pag. 132. Libell. de Obſeru. lingua Lat.*

Addam autem hoc loco, apud Latinos quattuor idiomatum genera eſſe, Priſcum ſcilicet, Latinum, Romanum, & Mixtum, vel Antiquiſſimum, Antiquum, Perfectum, & Imperfectum, vel corruptum. Petrus Crinitus de huiuſmodi temporibus linguæ Latinæ loquitur hunc in modum: Relatum eſt, quattuor fuiſſe apud noſtros linguarum proprietates, hoc eſt, Priſcam, Latinam, Romanam, & Mixtam. Id quod ex Varronis item auctoritate Grammatici tradunt.

Priſca eſt, qua vetuſtiſſimi Italiæ Populi ſub Iano videlicet, & Saturno Regibus, vel ab Vrbe condita vſi ſunt: cuiuſmodi carmina quædam incondita, parumq. a noſtris intellecta adhuc ſuperſunt. Hæc autem ætas ad Liuium vſque Andronicum

*Anno ab Orbe cōdito 1550. vel 4448. uel teſte Solino 3233. ante mundi ſalutem 732.*

dronicum primum inter Latinos ſcriptorem duraſſe dicitur, vt ab Horatio accepi dicente:

*Horat. lib. 2. Epiſt. 1.*

*——— Habet hos, numeratq. Poetas*
*Ad noſtrum tempus Liui ſcriptoris ab æuo.*

*Diomed. libro 16. capit. vlt.*

Hic primus Comædias Latina lingua conſcripſit, vt Diomedes ait. De ſcriptis Auctoris, quem multi in quinta mundi ætate fuiſſe tradunt, Cato mentionem facit.

*Cato de origin.*

Latina vero eſt, qua ſub Latino, & Regibus Tuſciæ ceteri quidem Populi in ipſo Latio loquebantur: qua Tabulæ decemuirales ſcriptæ ſunt, multæ leges, & publica quædam edicta. Hæc ætas a Liuio Andronico incæpit, anno mundi 4968. ante Saluatoris noſtri aduentum 231. ad Ciceronem vſque. Hac in ætate fuerunt multi ſcriptores, & præſertim Liuius Andronicus, Ennius, & Cato. De Liuio Andronico Cicero hunc ait in modum: Fabulam docuit non ſatis dignam, quæ iterum legeretur. De Ennio autem & Catone Horatius ait:

*Cicer. in Bruto.*

*Horat. in Arte Poet.*

*——— Lingua Catonis, & Enni*
*Sermonem patrium ditauerit, & noua rerum*
*Nomina protulerit ———*

De Ennio Ouidius:

*Ouid. de Triſt.*

*Ennius ingenio maximus, arte rudis.*

Virgilius de eodem interrogatus ait: Aurum colligo e ſtercore Ennij. Cicero de Catone: Catonis orationes ſignificant formam quandam ingenij, ſed admodum impolitum, & pene rudem ſermonē. De Carbone, Gracchis, & Cornelia Gracchorum Matre, & Lucio Cotta, ac de alijs mentionem item facit Cicero in Bruto. Ceteros huius ætatis ſcriptores videre eſt in noſtro de Latina lingua libello.

*Virg. apud Donat. Cicer. in Bruto.*

Romana eſt, quæ poſt exactos Reges Romanos populi geſta complexa fuit: nam & hanc ipſam inter Poetas M. Plautus, Næuius, Accius, Pacuuius, Terentius, Horatius, Virgilius & alij maxime coluerunt. Ex Oratoribus autem & Hiſtoricis M. Cato, Siſenna, Quadrigarius, Val. Antias, Cæſar, Salluſtius, M. Cicero, & alij permulti.

Mixta vero eſt, quæ aucto imperio, & libertate amiſſa, varios Populos, ac Nationes in iura Ciuitatis admiſit. Hinc factū eſt, vt Romana virtus, ac loquendi forma, ſiue integritas paſſim



paſſim cum moribus degenerarit. Neque enim me latet, vt ſupra iam diximus, Latinam quidem doctrinam ex multiplici, varioq. idiomate conſtare. Si quidem & Oſca & Sabina vocabula a multis recepta ſunt, vt Punica, et Græca nunc omittamus: nam Q. Ennius Oſce loquutus eſt, & alij Hetruſcas fabulas expoſuerunt, ſicut Liuius, et M. Cicero teſtantur. Hactenus de Latina lingua.

Libyes circa Cyrenem Apoſtolos in die ſancto Pentecoſtes Hieroſolymis ſua dialecto varijsq. linguis loquentes mirati ſunt.

## LIGVRICA LINGVA.

LIGVRES Hetruriæ pars ſunt, et ipſi Hetruſca lingua, vt ratio docet, olim vſi ſunt: nam ſic vt Padū a profunditate Hetruſci *Botigon* vocauerūt, ſic Ligures *Botigum*, vt Marcus Porcius Cato teſtatur. De hac lingua in Italica ſatis dictum puto.

## LITHVANICA LINGVA.

LITHVANIA olim ſuum ducem magnum habuit, nunc Regi Poloniæ ſubijcitur. Huius regionis lingua quadripartita cenſetur. Prima eſt Iaczuingorum, qui circa caſtrum Drohicin habitarunt, quorum pauci ſuperſunt. Altera Lithuanorum, et Samagitharum. Tertia Prutenica. Quarta in Lothua, ſeu Lothihola, ideſt Liuonia, circa fluuiū Dzuina et Rigam Ciuitatem. Horum autem quamuis eadem ſit lingua, vnus tamen alium non ſatis intelligit, niſi ijs in locis non fuerit commoratus. Hæc regio vtitur etiam Polonico ſermone, quo ſacerdotes in Eccleſijs concionantur, vt Matthias a Michou teſtatur. Alij Lithuanos Illyrice loqui aiunt. Hæc de Lithuanica lingua.

*Matth. Mich.*

## LIVONICA LINGVA.

LIVONVM, vel Liuorum, et Lithuanorum, et Curorum lingua, eadem eſt, quæ vetus Pruſſia, dialectis tantum variant. Vide in Britannica.

LYDI-

## LYDICA LINGVA.

*Suidas in B.* *Herod. lib. 3.* *Pag. 104. 105. 106. & 107.*

LYDI, aut Phryges, panem, *Beccus*, vel *becus*, vel Βέκος, vocabant, vt ait Suidas, et Herodotus in Thalia. De Phrygiarũ litterarum in Βεκκεβέλ inuẽtore, atque Alphabeto, ſatis ſuo iam loco dictum fuit, vbi quænam ſit lingua homini naturalis, et quænam inter linguas antiquior, multis rationibus et exemplis declaratum eſt.

Lygorum ſermo Illyricus eſt.

## MACEDONICA LINGVA.

MACEDONIA, latiſſima Europæ Regio, duobus olim Regibus, ac terræ imperio clariſſima, cuius populi, ſed mediterranei, Illyrice loquuntur, ſunt qui Macedoniæ incolas lingua Græca, dialecto autem gloſſisq. diſtincta, vſos olim fuiſſe velint: quod ex vetuſtis menſium apud ipſos nomenclaturis colligi poteſt: Menſes enim apud Macedonicos ex duodecim Zodiaci animalium nominibus appellantur, quæ ſunt:

| | | | |
|---|---|---|---|
| Aquarius. | Piſcis. | Aries. | Taurus. |
| Ὑδροχοὸς. | Ἰχθῦς. | Κριὸς. | Ταῦρος. |
| Ianuarius. | Februarius. | Martius. | Aprilis. |
| Gemini. | Cancer. | Leo. | Virgo. |
| Δίδυμος. | Καρκίνος. | Λέον. | Παρθένος. |
| Maius. | Iunius. | Iulius. | Auguſtus. |
| Libra. | Scorpio. | Sagittarius. | Capricornus. |
| Ζυγὸς. | Σκορπίος. | Τοξότης. | Αἰγόκερως. |
| September. | October. | Nouember. | December. |

*Clemens Alexan. Strom. Quinto.*

Aqua vel aër, vt ait Clemens Alexandrinus, apud eoſdem Populos Βέδυ nuncupatur.

MAR-



## MARSIGNICA LINGVA.

MARSIGNI, et Burij terga Marcomannorum, Quadorumq. claudentes, ſermone, cultuq. Sueuos referunt, vt Cornelius Tacitus teſtatur. *Cornel Tacitus.*

Maxobij, alias Maxobitæ Illyrice loquuntur.

## MEDORVM ET MESOPOTAM. LINGVA.

MEDI, et Meſopotamiæ Incolæ Apoſtolos Domini Saluatoris noſtri Hieroſolymis varijs linguis atque item ſua, Spiritus ſancti dono loquentes in die ſancto Pentecoſtes mirantur. Medi *canem*, *ſpaca* vocant, vt Herodotus ait: quod ſane nomen ad Illyricum, *pos*, vel *pas* accedit. *Herodotus.*

Meiſi, vel Myſij Illyrice loquuntur:

Mengrelli item: ſed vide Gazaris.

Moldaui, Moraui, & Morlaci Illyrice loquuntur.

Monæ Inſulæ duæ, quarum vna eſt inter Britanniam, & Hiberniam ſita, vt Plinius, & Tacitus teſtantur: altera in Rheno fluuio Hollandiæ, Phryſiæ, & Ghueldriæ proxima, vnde Monaſterienſes forte dicti ſunt, vt idem Tacitus narrat. Has autem Inſulas ſub ditione Anglorum linguam ab alijs prorſus diſtinctam habere accepi. *Plin. li. 4. cap. 10. Tacitus libro 14.*

## MOSCOVITARVM LINGVA.

MOSCOVIA Ruſſiæ, vel Rhutenorum caput ſuam per Scythiam longe lateq. extendens ditionem Sclauonica vtitur lingua, externis tamen linguis adeo confuſa, vix vt Sclauus & Moſcouita ſe inuicem intelligant, ſicut Sigiſmundus Liber in rerum Moſcouitarum Commentarijs teſtatur, vbi plurima huius linguæ vocabula tum propria, tum aliena in medium affert: & ab initio operis de Rhutenorum peculiari circa litteras quaſdam pronunciatione nonnullas conſcribit obſeruationes: Moſcouitica enim lingua eadem cum Ruſſica, vel Rhutenica & Sclauonica videtur eſſe, vt ipſe ait: *Sigiſmundus liber.*

Yy nam

*Antonius Vuied.* nam Ruſſi vel Rhuteni ijdem qui Moſcouitæ ſunt. Antonius autem Vuied Lithuanus Alphabetum, quo Moſcouitæ & Lithuani vtuntur, Græco non diſſimile, ſed characteribus aliquot auctius, in Tabula Chorographica proponit.

Myſij, vel Meiſi Illyrice loquuntur.

Nugaroli Illyrice loquuntur.

Obodritæ Illyrice loquuntur.

## OSCICA LINGVA.

OSCI, Voloſci, vel Volſci Italiæ populi antiqui in Campania ab oris fœditate vt ceteras huiuſce nominis etymologias omittam, dicti: vnde impudica verba, vt ait Feſtus, obſcœna dicuntur: frequentiſſimus enim Oſcis fuit libidinum ſporcarum vſus. Q. Ennium Oſcè loquutum fuiſſe Crinitus ait. *Feſtus Pōpeius.* *Petr.Crin.*

Oſi Pannonice loquuntur. Vide Gothini.

## PAMPHYLICA LINGVA.

*Ptol.lib.5.* PAMPHYLIA, Ptolemæo teſte, minoris Aſiæ Regio eſt inter Ciliciam, & Syriam, ab occaſu Lyciam, & Aſiæ minoris partem, a Septemtrione Galatiam & Cappadociam, a meridie Mediterraneum mare, quod illic Pamphylij maris nomen habet. Huius Regionis Populi, Pamphylij ſcilicet, Apoſtolos Spiritus ſancti dono diuerſis linguis, & ſua etiam Hieroſolymis in die Sancto Pentecoſtes loquentes ſumma cum admiratione audierunt.

## PANNONICA LINGVA.

PANNONIAE pars Illyrice loquitur. Pannonice item loquuntur Oſi, vt Cornelius Tacitus teſtatur. Sed ſupra vide dictionem, Hungarica lingua. *Corn.Tac.*

## PARTHICA LINGVA.

PARTHIA Aſiæ Regio, ab Occaſu Media, ab Aquilone Hyrcania, ab Ortu Ariana, a Meridie Carmaniæ deſertis terminatur: cuius incolæ Parthi, qui pertinaciſſimi olim nominis Romani hoſtes, qui Craſſum inſidijs circumuentum cum vniuerſo exercitu ad internecionem ceciderunt, Apoſtolos Ieſu Chriſti Saluatoris noſtri, virtute Spiritus ſancti vario idiomate, & ſuo item, Hieroſolymis loquentes in die Sancto Pentecoſtes admirati ſunt.



## PELASGICA LINGVA.

PELASGIA, Græciæ Regio circa extremam Macedoniæ partem, verſus Achaiam, olim Theſſalia dicta inter duo maria propter anguloſos receſſus: cuius incolæ errabundi ciconiarum ritu per multas nationes vagati ſunt: quanam vero lingua Pelaſgi ſint vſi, affirmare non poſſum, ſed coniectura, vt ait Herodotus, dici poteſt, eandem fuiſſe cum ea, qua nunc Pelaſgi vtuntur qui ſupra Tyrrenos vrbem Creſtonem incolunt, quodam tempore finitimi eorum, qui nunc Dores vocantur: Dores autem incolebant regionem illam, quæ nũc Theſſaliotis nominatur, eodem Herodoto teſte, qui etiam Pelaſgicam Gentem barbarã eſſe, eamq. ob cauſam magnos profectus haudquaquam feciſſe idem Herodotus affirmat. *Plin.lib.4. cap.4.* *Herod. libro 1.*

## PERSICA LINGVA.

PERSIA Orientalis Regio a Septemtrione Medis terminatur, ab Occaſu Suſiana, ab ortu ſolis, duplici Carmania minoris Aſiæ Regione inter Perſiam & Indiam ſita, a Meridie parte ſinus Perſici. Huius Regionis lingua ab Aegyptiaca, et Iudaica diuerſa eſt, et cum Illyrica, atque Armenica nihil commune habet, vt Bartholomæus Georgeuitus docet, qui multa huius linguæ vocabula, et locutiones in libello de afflictione Chriſtianorum ſub Turcis recenſet, eandemq. Perſicam, ac Turcicam appellat. Vt autem de Perſica lingua nonnihil notitiæ habeatur, hoc apponam loco de Turcico imperio a Chriſti tandem fidelibus euertendo Vaticinium, quod in eiuſdem Bartholomæi Georgeuitę libello inueni hac lingua conſcriptum hiſce verbis Perſiacis, ac Latinis: *Ptolemæus lib. 5.* *Barthol. Georgeu.*

## *Vaticinium de Turcico Imperio euertendo Perſica lingua conſcriptum.*

| | | |
|---|---|---|
| *Patiſſah* | *omos* | *ghelur* |
| Imperator | noſter | veniet |
| *Ciaferum* | *memleketi* | *alur* |
| Ethnici principis | regnum | capiet, |
| *keuZul almai* | *alur* | *kapZeiler,* |
| rubrum pomum | capiet | ſubiget. |
| *Iedi* | *yladegh* | *gyaur* |
| quòd ſi | ad annum | vſque ſeptimum |
| *Keleci* | *cſikmaſſe,* | *on iki* |
| gladius, ſcilicet Chriſtianorum | non inſurrexerit, | vſque ad |
| *yladegh* | *onlarum* | *beghli* |
| annum | duodecimum | eis |
| *gheder,* | *euſi* | *iapar,* |
| dominabitur, | domos | ædificabit, |
| *baghi diker* | *baſcſai* | *baghlar,* |
| vineas plantabit, | hortos | ſepiet, |
| *oglikei* | *olur iki* | *yldenſſora* |
| liberos | procreabit. | Poſt duodecimũ ſcilicet annum, ex |

quo rubrum pomum in eius poteſtatem redactum fuerit,

| | | |
|---|---|---|
| *Hriſtianon* | *keleci* | *cſikar,* |
| Chriſtianorum | gladius | apparebit, |
| *ol* | *Turki* | *ghereſſine* |
| qui | Turcam | quaquauerſum |
| *tuskure.* | | |
| fugabit. | | |

Vaticinium ſic ſe habet cum Georgeuiti interpretatione, quam ego ad verbum Perſicis vocabulis accommodandam curaui. Qui plura vocabula huius Perſicæ linguæ ſcire cupit, videat libellum Andreæ Bellunenſis, qui ea in Gloſſis Auicennæ copioſe interpretatur: multæ enim voces Perſicæ a varijs Nationibus vſurpatæ reperiuntur, vt *Paranſaga, Schoenus, & Aſtarus*, menſurarum de terræ ſpatijs nomina. Perſica etiam

*Andr. Bellunenſis.*



etiam a Græcis nonnullis adhibentur, vt Athenæus ait. *Suſon* lilium apud Perſas ſignificat, et Suſa Vrbs nominata eſt propter loci pulchritudinem, et amœnitatem, vt idem Athenæus teſtatur. Magi dicuntur ſapientes lingua Perſarum, vt ait Porphyrius. Hæc de Perſica lingua.

*Athen. libro 3. Ex Herod. lib. 9. Porphyrius.*

### PHOENICVM LINGVA.

PHOENICIA, Aſiæ Regio, Syris, et Iudæis contermina ſuam habet dialectum, cuius Alphabetum in tertia Columna paraſtatica videre eſt, vbi de Phœnicum litterarum inuentore, necnon de alijs rebus, ſcitu quidem dignis ſermonem habuimus. Sunt qui Hebraicam et Phœnicam linguam eandem eſſe dicant, omnium antiquiſſimam. De hac lingua vide in dictione, Punica.

*Steph. ex Strab. lib. 16. Pag. 115. 116. 117. & 118.*

### PHRYGIACA LINGVA.

PHRYGIA minoris Aſiæ Regio, Cariæ, Lydiæ, Miſiæ, et Bithyniæ finitima, ſuam habet dialectum, cuius Alphabetum in tertia Columna paraſtatica videre licet, vbi de Phrygiacis characteribus, eorundemq. inuentore ſatis dictum puto. Eo loci de huius linguæ antiquitate ſermonem habuimus † deq. infantibus, quos mulieribus lingua præciſis educãdi gratia traditos ait Strabo, hiſtoriam enarrauimus, et controuerſiam explicauimus, num ſcilicet aliqua homini lingua ſit naturalis. Qua in re declaranda philoſophiæ rationes, et Ariſtotelis dicta in medium attulimus: et multa ſcitu quidem digna interpretari ſtuduimus. Hoc autem loco addo quod Plato ait de hac voce, πῦρ, id eſt, ignis: quam barbaricam eſſe, Phrygiacam videlicet in Cratylo affirmat. Idem ait de hac voce ὕδωρ et κύνες, ideſt, Canes. Erinaceus Phrygum lingua *Exis*, vel *Exin* dicitur: Aqua, *Bedy*: *Noticus*, vtris. Plura vide in Aequiuocis Xenophontis. Phryges Apoſtolos ſanctos varijs linguis atque item ſua loquentes in die ſancto Pentecoſtes maxima cum admiratione audierunt.

*Strabo lib. 13. Pag. 104. 105. 106. 107. & 108.*

*† Herodotus, Diodorus Sicul. Pauſanias, Suidas, & alij.*

*Plato in Cratylo.*

*Clemens Alexandr. Strom. 5.*

*Xenophon.*

Placianorum lingua. Vide Pelaſgica. Eſt autem Placia Vrbs Myſiæ.

Peſcouij, Polabi, Poloni, et Pomeriani Illyrice loquuntur.

PRVS-

## PRVSSICA LINGVA VETVS.

HANC linguam vide in Britannica dictione, et in Lithuanorum lingua. Pruſſiæ incolæ Pruteni dicuntur: et lingua olim diuerſa vſi ſunt: poſtquam vero Teutonicorum fratrum iugũ ſubiere, lingua Teutonica introducta eſt, et religio Chriſtiana fuit accepta Federici Imperatoris ſecundi temporibus.

## PVNICA LINGVA.

POENI ijdem qui Carthaginenſes, ita dicti quaſi Phœni a Phœnicibus originem trahentes. Hinc Punicus quaſi Pœnicus, œ in u, conuerſo. Punice Deus dicitur *Hal*, vt Seruius ait in Virgilium: Sepis *Gadir*, vt Plinius teſtatur. *Zegeries* genus murium, Græce Βουνὸς, vt ex Herodoto colligitur. Valla autem hanc vocem, *colles*, transfert.

*Seruius. Plin. lib. 4. cap. 22. Herod. libro 4.*

Raſcij, aliter Raſci, ſeu Bulgari Illyrice loquuntur.

## RHÆTICA LINGVA.

RHAETIA, Europæ Regio: quæ in duas diuiditur partes, ſuperiorem, & inferiorem. Illa magnam Galliæ Ciſalpinæ partem occupat: cuius incolæ Griſones hodie vocitantur. Hæc vero alteram Galliæ partem Comum vſque pertingens. Huius Regionis incolæ ſermone Italico, omnium autem corruptiſſimo vtũtur, vt in Oratione Dominica vernaculo Rhætorum conſcripta ſermone, quem ipſi vulgo Romanum appellant, vidi. Deus enim ab ipſis *Bab* nuncupatur; nam quod Latine dicunt, *Nos*, & Itali, *Noi*, Rhæti aiunt, *Nus*: quod vero Latini *Noſtra*, & Itali *Noſtri*, ipſi, *Nos* dicunt. Horum ſermo eſt adeo corruptus, vt nihil fere ab Italis tam in pronunciando, quàm in ſcribendo intelligatur, quamuis eos a Thuſcis non a Romanis originem traxiſſe eruditi viri affirment. De hiſce populis Liuius ſcribit, & Aegidius Tſcudus.

*Liu. et Aegid.*

Romana lingua. Vide ſupra in Latina.

Rugi Illyrice loquuntur.

Ruthenorum lingua, vel Ruſſorum lingua. Lege dict. Moſcouitæ.

SABI-



## SABINORVM LINGVA VETVS.

SABINI Populi in quarta Italiæ Regione non procul ab Vrbe Roma anguſtum, vt ait Strabo, incolentes agrum in longitudinem protenſum a Tyberi vſque Nomentum, oppidũ in Latio ſitum ſtadijs mille vſque ad Veſtinos Mauricinis & Picentibus conterminos. Romani a Sabinis prænomen acceperunt ex fœdere cum ijs facto, vt Crinitus ait, & Quirites dicti ſunt ab haſta, quam Sabini, vt inquit Feſtus, *Curim*, ſiue *Quirim* vocabant: vel a Curibus Sabinorum Vrbe, cui T. Tatius imperabat, cuius ciues Quirites dicebantur, teſte Liuio. Hinc Quirinalis mons Romæ dictus quòd in eum commigrauerant Sabini a Curibus venientes: & Quirinalis porta, quòd ea in collem itur Quirinalem. Vel Mons Quirinalis a Quirini, hoc eſt Romuli templo, quod inibi extabat, appellatus eſt. Hodie Phidiæ & Praxitelis operibus in hoc colle ſitis, Mons Caballus, a SIXTO V. perpulchris ædificijs, vijs, & aquis, necnon præclariſſimorum Artificum Statuis inſtauratis mirum in modum illuſtratus. Sabina vocabula, vt Crinitus teſtatur, a Latinis fuerunt recepta: ſed ij paulatim Latino ſermone vſi ſunt maternam linguam relinquentes.

*Strabo. Liu. lib. 2. Petr. Crinit. 3. 4. Feſt. Pompeius. Liu. lib. 1. Petr. Crinit.*

## SAMARITANORVM LINGVA.

SAMARIA, Vrbs Syriæ inter Iudæam, & Galilæam media, a qua tota Regio decem Tribuum a duabus alijs ſeparata, Samaria dicta eſt. Poſtea Ciuitas hæc regalis ab Auguſti nomine Sebaſte nuncupata fuit. Poſtremo autem Sichem, & corrupte Sichar, Metropolis eiuſdem Regionis Samariæ, quæ Hebraica vtebatur lingua, ſed characteribus proprijs diſtincta, conuenientibus tamen cum veteri Alphabeto communis Hebraici idiomatis, litterarum ſcilicet numero, ſono, & nominibus, figura differente, vt ſanctus Hieronymus ait, qui ad ſua ipſius tempora, Samaritanos antiquis Hebræorũ litteris vſos fuiſſe teſtatur in Commentarijs ſuper Ezechielem: nam, vt idem alibi ait, Certum eſt, Eſdram ſcribam, legiſq. doctorem, poſt captam Hieroſolymam & inſtaurationem templi ſub Zorobabel alias inueniſſe litteras, quibus nunc

*Gen. 35. Ioan. 4. S. Hieron. in præf. lib. Reg. to. 3. S. Hieron. in cap. 9. Ezech. tomo 4. Idem pag. 89.*

nunc vtimur, cum ad illud vſque tempus Samaritanorum & Hebræorum characteres ijdem fuerint. Hæc ſanctus Hieronymus. Quamuis autem eiuſdem linguæ vſus tam apud Hebræos, quàm Samaritanos fuerit, Samaritanis tamen nonnullas voces peculiares fuiſſe credēdum eſt, cum ab Hebræorum cultu idolis ſeruientes non parum diſtarent: hinc ipſi in Vrbe Sichem, omnes veteris Teſtamenti codices, Moſaicis exce ptis, ſpreuiſſe dicuntur. Hæc de Samaritanorum lingua.

Samogitæ Illyrice loquuntur.

Sarbi. Vide Sorabi.

## SARDORVM LINGVA.

*Salluſt. Strabo, & Solinus.*

SARDINIA in Liguſtico mari Inſula a Corſicæ extremis nouem tantum millium paſſuum freto dirimitur, cuius latitudo eſt millium paſſuum nonaginta octo, longitudo vero ducentorum viginti, aeris peſtilentiæ maxime obnoxia ob editiſſimos, quos a Septemtrione habet, montes, qui prohibent quo minus a Borea perflari queat. Quo nomine tam male olim audiuit, vt Marcus Cicero Quintum fratrem moneat, etiam tum cum optime valeret, meminiſſe eum debere, in Sardinia ſe eſſe: et alibi Tigellium quendam Sardum hominem eſſe ait patria ſua peſtilentiorem. Eſt autem Sardinia frumenti fertiliſſima a Sardo Herculis filio dicta multas habens ciuitates, quarum omnium præclariſſima Calaris eſt, in qua Sancti Patris Auguſtini oſſa ducentis vigintitribus annis conquieuere: deinde ab Aliprando Longobardorū Rege tranſlata ſunt Papiam, vbi nunc maxima veneratione coluntur. Hac in Inſula coraliorum piſcatio eſt, nec lupi gignuntur, nec ſerpentes inueniuntur.

*Cicer. ad Quint. fratrem.*

Sardi olim propriam habuerunt dialectum: ſed poſtquam diuerſi populi in eam migrarunt, et ab exteis principibus imperium eiuſdem Inſulæ vſurpatum fuit, Latinis videlicet, Piſanis, Genuenſibus, Hiſpanis, et Afris, lingua eorum non parū corrupta eſt, relictis tamen vocabulis, quę in quauis alia nō reperiuntur. Multa Latini ſermonis vocabula retinentur ad hanc vſque diem quibuſdā in locis, et præſertim in Barbariæ montibus, vbi Romani Imperatores militum præſidijs potiebantur. Hinc factum eſt, vt Sardi propter Imperiorum varietatem diuerſis in locis tam diuerſe loquantur: ita tamen vt ſeſe inter ſe recte intelligant. Sunt autem duæ præcipuæ in ea Inſula linguæ, vna, qua in Ciuitatibus, et altera, qua extra Ciuitates vtuntur: ſed oppidani loquuntur fere Hiſpanica lingua, Tarraconenſi, vel Catalana, quam didicerunt ab Hiſpanis, qui tamdiu Magiſtratum in eiſdem ciuitatibus gerunt: alij vero genuinam retinent Sardorum linguam. Hæc de Sardorum lingua.

*Leg. 2 C. de off. præf. præ. Afric.*



## SARMATICA LINGVA.

SARMATIA, Regio latiſſima multos diuerſi cultus populos complectitur. Vt autem ceteros ſilentio prætermittam, ij, qui & Poloni appellantur, Illyrice loquuntur. Huius regionis incolæ Sarmatæ, vel Sauromatæ dicuntur ab oculis lacertarum: σαῦρος enim lacerta eſt, ὄμμα oculus. Sarmatides item, ac Sarmatici appellantur.

Sciri, vel Scyri, ideſt Stirij, vel Stirenſes a Gothis oriundi. Vide Vandali.

Sclaui, vel potius Slaui Illyrice loquuntur.

## SCOTICA LINGVA.

*S. Hieron. lib. 2. contra Iouin. S. Ioanes Chryſoſto. in ſer. Pět. Strabo.*

SCOTI Britanniæ populi, quondam Anthropophagi, vt Sanctus ait Hieronymus, qui in Gallia Scotos, Gentem Britannicam humanis veſci carnibus ſe vidiſſe teſtatur, vt etiam Sanctus Ioannes Chryſoſtomus affirmat, & linguam omnibus † ſibila eſſe ait. Hos Strabo balbutientes vocant, quos Romæ ſe vidiſſe inquit. Horum linguam communiorem ab Anglica parum differre, ſed pauciora Gallica habere admixta accepi. Hodie Silueſtres & Inſulani moribus ab Hibernis, a quibus originem duxerunt, nec magnum inter illos eſt interuallum, haudquaquam diſtare dicuntur: nam cum cælum eſt ſerenum, Hibernia in Scotia videri poteſt. Eſt præterea indiſcreta lingua eorum, indiſcreti mores, & veſtitus. Qui me-

 liorem

liorem terræ incolunt partem, nempe Meridionalem, hi bene morati dicuntur, ac tanquam humaniores, Anglica vtuntur lingua. De Scotica lingua hactenus.

## SCYTHICA LINGVA.

SCYTHIA longe lateq. Septemtrionem verſus ad Oceanũ per maximam Aſiæ, & aliquam etiam Europæ partem ſeſe extendens, multas diuerſasq. linguas habet, vt ratio ipſa perſuadet. Germani interdum, Armeni, Hungari, Tartari, & alij item Populi Scythæ dicuntur. Quare nihil eſt quòd hac de lingua plura dicam.

Seruij. Vide, Sorabi.

Sleſij, vel Sileſij Illyricam habent linguam.

Sorabi, vel Sarbi, hodie Seruij Illyrice loquuntur.

Sueui bellicoſiſſimi Germaniæ populi.

Syrorum linguam vide in Chaldaica dictione.

## TARTARICA LINGVA.

TARTARI, ſiue potius Tatari, quorum imperium latiſſime patet, Aſiæ, & Scythiæ, necnon Europæ partẽ incolẽtes, multas fortaſſe habẽt linguas, & omnino diuerſas ob quã plurima eorum regna, vt Paulus Venetus, & Matthias a Michou teſtantur. *Paul. Ven. et Matth. Mich.* Sunt qui Turcas a Tartaris ortum traxiſſe velint, vt ritus, victus, & veſtitus, equitandi ac bellandi vſus, fraudes, perfidia, & innata barbaries, ac feritas docent, immo & ipſa indicat lingua, quam Turcis ac Tartaris eandem eſſe dicunt. Tartarorum nomen trecentis ab hinc annis, antea penitus ignotum, hoc modo vocitari cœpit, cum prius Getæ Gothini, vt alij volunt, dicerentur. Ottomanus deinde ſe cum ſuis a Tartaris ſeiungens Turcarum nomen aſſumpſit: hinc Tartari hodie Turcas clientes ſuos eſſe aiunt, eosq. ob ſua ipſorum peccata elatos a Deo conqueruntur, cum antea non ſolum illorum fuerint ſubditi, ſed ruſtici etiam: idq. Turcarum nomine ſignificari affirmant, vt ijdem dicunt Scriptores, in quo-



in quorum ſcriptis multa Tartarorum vocabula ſparſim leguntur. Sunt denique, qui Georgianorum linguam Tartaricæ & Armenicæ mediam eſſe velint: Tartaris autem ac Turcis eam eſſe linguæ ſimilitudinem, quæ Anglicæ, & Saxonicæ exiſtimatur.

## THRACICA LINGVA.

THRACIA, latiſſima Europæ Regio Macedoniæ ad occaſum proxima, nec cælo, nec ſolo tractabilis, frigida prorſus, & infœcunda etſi mari propior, Getarum linguam habere dicitur, vt nonnulli volunt. *Ptolemæus Plin. & Pompon.* Huius incolæ Thraces, necnon Myſi vocitantur, vt Straboni placet. *Strab. libro 7.*

Tranſiluani, qui & Daces, Scythiæ Europæ populi Illyrice loquuntur.

Theſſalici Græciȩ populi ad Doricã linguam accedunt.

Troglodytæ Aethiopes, inſtar veſpertilionum in loquẽdo ſtrident, vt Herodotus ait,

Troglodytæ in Africa aliter loquuntur.

## TVRCICA LINGVA.

TVRCARVM lingua, vt diximus in Tartarica, vel eſt eadem cum Tartarica, vel parum ab ea diſtat, vel Tartaris ac Turcis ea eſt linguæ ſimilitudo, quæ Anglicæ & Saxonicæ eſſe cenſetur. Sunt qui Turcicam cum Perſica, alij cum Armenica eandem eſſe, vel parum ab ijs differre velint. Turcica vero & Arabica etſi diuerſæ omnino ſunt, eas tamen characteribus eaſdem eſſe nonnulli tradunt.

## VALACHICA LINGVA.

VALACHIA, latiſſima Regio eſt a Tranſiluania incipiens, cui ſermo ad hanc vſque diem Romanus eſt, vt Aeneas Siluius teſtatur, cum a Flacco Romano ſubacta Romanorũ Colonia fuerit effecta: hinc Flaccia nuncupata, ſed longo temporis tractu, vt paſſim euenire ſolet, corrupta voce, Vala-

 chia

chia dicta eſt. Sermo autem Romanus adeo mutatus eſt, vix vt ab homine Italico intelligi queat.

## VANDALICA LINGVA.

VANDALI in Thracia Populi Sclauonica lingua vtuntur, e quibus, vt aiunt, multæ maximæq. Gentes diuiſæ ſunt, Poloni ſcilicet, Bohemi, Sclauonij, Croatij, Vandali ad Germaniæ Marchiam pertinentes. Horum ſcilicet Vandalorum lingua Turcarum aulici frequenter vti ſolent.

## VASCONICA LINGVA.

VASCONES, Populi citerioris Hiſpaniæ, quæ in Gallicum, & Britannicum Oceanum vergit, ad Pyrenæum poſiti, propria loquuntur lingua: olim autem Cantabri, Tarraconenſis Prouinciæ Gentes, nunc vulgari ſermone *Biſcaini* vel *Biſcaglini* dicuntur, quorum lingua adeo eſt ab Hiſpanica diuerſa, vt non facile quis ab alijs Hiſpanis intelligatur.

Zadrauani, & Zagouani Illyrice loquuntur.

## ZINGARORVM LINGVA.

ZINGARI, vel potius Zigari, errones quidam, & inſignes ſane noſtra ætate fures cum liberis & vxoribus Europam peruagantes, a Zigaro, quod eam ferunt eſſe Terram, ex qua Zingari exierunt, dicti. Huius generis homines excocti ſole, veſtibus immundi, & vſu rerum fœdi, furtis omnino intenti, & præſertim feminæ, ex quarum furtis victus eſt viris, anno poſt Chriſti Saluatoris noſtri aduentum 1417. primum in Europa apparere cœperunt, vt Aeneas Siluius teſtatur. Quamuis autem huiuſmodi hominũ colluuies omnium fere Europæ linguis vtatur, quandam tamen ſibi propriã linguã, vocabulis fictitijs inuentis, excogitauit: eaq. perſæpe vtitur, vt ab alijs non intelligatur. Huius confictæ linguæ Dictionarium typis mandatum me non ſemel vidiſſe memini. Vidi etiam, & legi nõ raro iam inde a puero Vocabularium aliud impreſſum, confictæ item linguæ a mendicis quibuſdam, & erroni-

*Zingarorũ deſcriptio, & in Europa apparitio.*



bus inuentum, & vſurpatum, quod Zergum, quaſi Zigarorum, aut Zingarorum Dictionarium vocitabant. Hi autem Onomatotheræ dici poſſunt, eorum inſtar, qui apud Græcos, vt ait Cælius Rhodiginus, noua ſibi conſarcinantes vocabula, rerum intuiti proprietatem, nominum venatores dicti ſunt, cuiuſmodi Dionyſius, Alexarchus, & Atticus Herodes Athenæo teſte, fuiſſe videntur.

*Cæl. Rhod. lib. 24. capit. 5. to. 3.*

*Athen. libro 3. Dipnoſophiſtarum & lib. 14.*

Hæc de Dialectis, hoc eſt de diuerſarum linguarum generibus: alias enim linguas, quæ ſunt in remotiſſimis Imperij Tartarici, & Orbis noui terris, videre eſt apud Ioſaphat Barbarum, Paulum Venetum, Americum Veſpucium, Aloyſium Cadamuſtum, Gelenium, Aegidium Tſcudum, Theſeũ Ambroſiũ, & Sigiſmundum liberum, quibus hac in Appendice maiori ex parte vſi ſumus. Nunc reliquum eſt, vt præcipuorum quorundã Idiomatum Orationẽ præſertim Dominicam infra apponamus, curioſis itẽ hominibus ſatis quidẽ facientes.

---

# DE ORATIONE DOMINICA
## VARIIS LINGVIS, ET CHARACTERIBVS CONSCRIPTA.

QVONIAM de varijs linguarum generibus ſermonem habuimus, a ratione alienum fore viſum mihi non eſt, ſi Dominicam Orationem, qua nihil in orando præſtantius, aut efficacius eſſe poteſt, varijs item linguis, & characteribus expreſſam in hac de Dialectis Appendice apponam: hac enim occaſione maiorem quis de linguis aliquot notitiam adipiſcetur, orationemq. ipſam varijs modis celebratam conſpiciet. Ordine autem Alphabetico poſthabito, precationem Dominicam Hebraico idiomate tanquam antiquiori conſcriptam, & ex ſacroſancto Beati Matthæi Euangelio deſumptam primo loco apponendam exiſtimaui: Beatus enim Matthæus Hebraica lingua ſcripſit Euangelium, quod Hebraice exaratũ per omnia non videtur congruere Syriaco, vel Hebraico, quo S. Hieronymus vſus eſt, vt patet ex verbo *Panem noſtrum quotidianum*, pro quo Beatus Hieronymus legit: *Craſtinum*,

S. Hieron. in cap. 6. Matth. tomo 6. *Craſtinum*, ſicut eius Commentaria in Matthæum teſtantur. quamuis enim in Textu verterit, *Superſubſtantialem*, prout iacet in Vulgata Editione ex voce Græca, ἐπιούσιον, in Commētarijs tamen ait ſe reperiſſe Hebraicum, מחר *Machar*, hoc eſt
Corn. Ianſen. in cap. 6. Matth. *Craſtinum*, ſicut etiā Cornelius Ianſenius recte docet. Variæ ſunt item aliæ perpaucæ dictiones in hac Oratione Dominica iuxta varias ex Hebraico, & Græco tranſlationes,
Matth. 6. Luc. 11. vt videre eſt in Matthæo, & Luca, ſicut ex Vulgata Editione conſtat: ſenſus autem eſt vnus, & idem, vt in noſtra in hanc Orationem explanatione ſatis probatum eſt. Apponam igitur hoc loco Orationem Dominicam Hebraica lingua, Hebraicisq. litteris expreſſam, nec non eiuſdem linguæ pronunciationem litteris Latinis deſcriptam, ijſdemq. Latinis characteribus, Latinaq. lingua ex Hebraico ſermone tranſlationem. Orationem vero Dominicam iuxta Vulgatam Editionem, & vſum orandi frequentem ab Eccleſia Sancta receptum, poſt Orationem Græcè conſcriptam ponemus, vt triū præſertim linguarum, quæ inter omnes primariæ ſunt, ordinem dignitatis ſequamur.

## *Oratio Dominica ex Euangelio Beati Matthæi Hebraice conſcripta.*

אָבִינוּ שֶׁבַּשָּׁמַיִם יִתְקַדֵּשׁ שְׁמֶךָ: יָבוֹא מַלְכוּתֶךָ: יֵעָשֶׂה רְצוֹנְךָ כְּבַשָּׁמַיִם
גַּם בָּאָרֶץ: לַחְמֵנוּ תְּמִדִי תֵּן לָנוּ הַיּוֹם: וּסְלַח לָנוּ הוֹבוֹתֵינוּ כַּאֲשֶׁר
אֲנַחְנוּ סוֹלְחִים לְבַעֲלֵי חוֹבוֹתֵינוּ: וְאַל תְּבִיאֵנוּ בְּנִסָּיוֹן: אֶלָּא חַלְּצֵנוּ מֵרַע:
אָמֵן:

## *Oratio Hebraica characteribus Latinis expreſſa.*

AVINV ſciebaſciamaim itcadaſc ſcimcha Iauo Malchutach Ieghaſe rezonach che baſciamaim gam baarez. lachmenu temidi ten lanu haiom vſlach lanu chouotenu, caaſcier anachnu ſolechim lebaghale chouotenu veal teuienu beniſaion hella hazilenu meragh. Amen.

*Domi-*



## *Dominica Oratio ex Hebraico Textu Latinis characteribus, Latinaq. lingua conſcripta.*

PATER noſter, qui in cælis, ſanctificetur nomen tuum: Veniat Regnum tuum: Fiat voluntas tua ſicut in cælis, & in terra. Panem noſtrum continuum, *vel perpetuum* da nobis hodie. Et remitte nobis debita noſtra, quemadmodum nos remittimus debitoribus noſtris. Et ne facias nos venire in tentationem: ſed libera nos a malo. Amen.

## *Oratio Dominica ſermone & characteribus Græcis.*

Πάτερ ἡμῶν ὁ ἐν τοῖς οὐρανοῖς, ἁγιαθήτω τὸ ὄνομά σου. ἐλθέτω ἡ βασιλεία σου. γενηθήτω τὸ θέλημά σου ὡς ἐν οὐρανῷ καὶ ἐπὶ τῆς γῆς. τὸν ἄρτον ἡμῶν τὸν ἐπιούσιον δὸς ἡμῖν σήμερον καὶ ἄφες ἡμῖν τὰ ὀφειλήματα ἡμῶν, ὡς καὶ ἡμεῖς ἀφίεμεν τοῖς ὀφειλέταις ἡμῶν. καὶ μὴ εἰσενέγκῃς ἡμᾶς εἰς πειρασμόν. ἀλλὰ ῥῦσαι ἡμᾶς ἀπὸ τοῦ πονηροῦ. Ἀμήν.

## *Eadem Latinis characteribus.*

PA'TER himôn, ho en tîs vranîs, hagiaſthíto tò ónomá ſu. elthéto hi baſilía ſu. genithîto tò thélimá ſu hòs en vranô kæ' epì tîs gîs. tòn árton himôn tòn epiúſion dòs himîn símeron. kæ' áphes himîn tà ophilímata himôn, hòs kæ' himîs aphíemen tîs ophilétæs himôn. kæ' mì iſenénkis himâs is piraſmòn. allà rhyſæ himâs apò tû ponirû. Amín.

## *Dominica Oratio Latine conſcripta.*

PATER noſter, qui es in cælis. Sanctificetur nomen tuum. Adueniat regnum tuum. Fiat voluntas tua, ſicut in cælo, & in terra. Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie. Et dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris. Et ne nos inducas in tentationem. Sed libera nos a malo. Amen.

Quamuis

Quam ſupra e Grꝑco tranſlatā appoſui Orationem,dictio- ne, ἐπιούσιον, excepta, quæ *ſuperſubſtantialem* ſonat, ex B. Matthæi Euangelio Vulgatæ Editionis deſumpſi,eadem voce, *Superſubſtantialem*, poſthabita, in cuius locū ex S. Lucæ Euangelio vox illa, *Quotidianum*, ſuffecta eſt iuxta formā in orando ab Eccleſia ſancta receptā. Quoniam autem Græca ab Hebraica lingua ortū habet, & ab vtriſque Latina, cuius propagines ſunt Italica, Hiſpanica, & Gallica, quarum prima propius, ſecunda minus, tertia uero multo minus ad Latinā linguam accedit;hinc eundem dignitatis ordinem,quē in ijs tribus primarijs linguis ſecuti ſumus, hiſce in tribus ſequemur.

*Pag. 294. & 295. Pag. 302. & 303.*

## *Dominica Oratio Italice conſcripta.*

PADRE noſtro, che ſei ne' Cieli, ſia ſantificato il nome tuo: Venga il regno tuo: Sia fatta la tua volontà così nella terra, come nel Cielo. Dacci hoggi il noſtro pane cotidiano. Rimettici i noſtri debiti, ſi come noi li rimettiamo a' noſtri debitori. Non ci indurre in tentatione. Ma liberaci dal male. Amen.

## *Dominica Oratio Hiſpanice expreſſa.*

PADRE nueſtro que eſtas en los cielos, ſantificado ſea el tu nombre. Venga a nos el tu reyno. Hagaſe tu voluntad aſſi en la tierra, como e nel Cielo. El pan nueſtro de cada dia da nos lo oy. Y perdona nos nueſtras deudas, aſſi como noſotros perdonamos á nueſtros deudores. Y no nos dexes caër en la tentacion: mas libra nos de mal. Amen.

## *Dominica Oratio Gallica lingua politiori.*

NOSTRE Pere qui es es cieulx, ton nom ſoit ſanctifiè. Ton royaume nous aduiene: Ta volontè ſoit faicte ainſi en la terre comme au ciel. Donne nous auiourdhuy noſtre pain quotidien. Et nous pardonne noz offenſes, comme nous a ceux qui nous ont offensè. Et nè nous induy point en tentation: Mais deliure nous du mal. Amen, vel *Ainſy ſoit il.*

*Oratio*



## *Oratio Dominica Gallice conſcripta declaratur.*

De Gallicæ linguæ pronunciatione nonnihil hoc loco ob occaſionem ſeſe offerentem dicendum eſt. Galli enim frequenter litteram, s, pronunciare non ſolent, etiamſi ea in ſcribendo vtantur præſertim in ijs locis, in quibus admitti debet,vt videre eſt in prima Dominicæ Orationis voce, quæ eſt, *Noſtre* Latinæ dictioni proxima, *Noſter*, littera r, tranſpoſita: nam pronunciant, *Notre*, non *Noſtre*, vt ſcribunt. Eandem hanc litteram ſ, in fine dictionis non pronunciant,cum ſequitur conſonans, quando autem ſequitur vocalis, non item: tunc enim pronunciant, vt in hac gemina voce *es*, *es*, cernere licet: nam in prima tantum, littera, s, pronunciatur propter vocalem ſequentem. Dicitur item *les pechez* pro eo quod Latine dicitur *Peccata*, & Italice, *li peccati*: ſed in hac voce, *Les*, abijcitur s, conſonāte ſequēti,ſed *le*, pronunciatur: vocali autem ſequēti, vt *les offenſes*, pronunciatur *les*,non *le*. Hoc item obſeruatur in littera z, quæ plerunque pro s, ponitur, vt *Noz* pro *Noſtre*. Solent etiam ſcribere e pro littera a,vt *Pere*, pro *Pare*, & *Mere*, pro *Mare*, iuxta pronunciationem Venetorum, qui vernacula lingua ſcribunt, & pronunciant *Pare* & *Mare*, pro *Patre*, & *Matre*. Scribunt item e, & pronunciant a, vt *offenſes*, Italice *offeſe*, *encre*, pro eo, quod Latine dicitur atramentum, & Italice *inchioſtro*: pronunciant enim *offanſes*, & *ancre*. Vtuntur non raro diphtongis Græcis, quæ ſunt au, eu, oi, ou, oy, & ei, ſed non pronunciant omnino, vt Græci ſolent,his diphtongis exceptis, eu, & ou pro u, dicunt enim *Nus*, & ſcribūt *Nous*, pro *Nos*: in ceteris vero diphtongis pronunciationem a Græca diuerſam habent. Pronomina in hac lingua nominibus præponuntur, ſicut in multis alijs euenire ſolet, vt infra videre eſt: dicunt enim *Noſtre Pere*, non *Pere noſtre*. Solent in fine Orationis Dominicæ hac voce, *Amen*, prætermiſſa, vti his vocibus: *Ainſy ſoit il*, ideſt, *Ita fiat*, vel *Ita factum ſit*.

 *Oratio*

## *Oratio Syr. vel Chald. ex B. Lucæ Euang. conſcripta.*

*Prout iacet, vt aiunt, in Chald. lingua ex B. Luca deſumpta.*

ܐܒܘܢ ܕܒܫܡܝܐ܆ ܢܬܩܕܫ ܫܡܟ ܬܐܬܐ ܡܠܟܘܬܟ. ܢܗܘܐ ܨܒܝܢܟ
ܐܝܟ ܕܒܫܡܝܐ ܐܦ ܒܐܪܥܐ. ܗܒ ܠܢ ܠܚܡܐ ܕܣܘܢܩܢܢ ܟܠܝܘܡ.
ܘܫܒܘܩ ܠܢ ܚܛܗܝܢ. ܐܦ ܚܢܢ ܓܝܪ ܫܒܩܝܢ ܠܟܠ ܕܚܝܒܝܢ ܠܢ.
ܘܠܐ ܬܥܠܢ ܠܢܣܝܘܢܐ. ܐܠܐ ܦܪܘܩܝܢ ܡܢ ܒܝܫܐ. ✣

*Eadem Chald. verbis, ſed litteris Latinis.*

ABVN d baſchmaio nethqadaſch ſchmoch thithe malchuthoch. Nehue tzeuionoch ach d baſchmaio aph baaroo. hab lan lahhmo d ſun qonan cul ium vaſchbuq lan hhathan aph hhnan, glier ſchbaqn lecul d hha iobin lan, v lo thaaelan lenaſiuno, elo phruqan men biſchio.

*Eadem Lat. verbis & charact. Sed non iuxta editionem Vulgatam B. Lucæ.*

PATER noſter qui es in cælis ſanctificetur nomen tuum. Adueniat regnum tuum. Fiat voluntas tua, ſicut in cælo etiam in terra. Da nobis panem neceſſitatis noſtræ, *vel neceſſarium nobis* quotidie. Et dimitte nobis peccata noſtra. Nam & nos dimittimus omnibus qui debent nobis. Neque introducas nos in tentationem. Sed libera nos a malo.

## *Oratio Arabicis verbis, & litteris conſcripta.*

ابانا الذي في السموات يتقدس اسمك تاتي ملكوتك
تكون مشيتك كما في السماء كذلك علي الارض
خبزنا كفافنا اعطنا في اليوم واغفر لنا خطايانا لاننا
نغفر لمن لنا عليه ولا تدخلنا التجارب لكن نجنا من
الشرير ✣

Eadem



*Eadem Arabicis verbis, ſed Latinis litteris.*

ABANA lladi phiſſamauati it cades eſmoca tati mala cutoca tacuno maſcitoca choma phiſſamai chedhaleca ghlallardi chobzana chephaphona agtona phil i aumi aghpliar lena chataiana loennana naghphar leman lena galaihi vua la tadcholnal' tagarabi lachen nagna min ſſciarriri.

*Eadem Latinis verbis & characteribus.*

PATER noſter qui es in cælis, ſanctificetur nomen tuum. Adueniat regnum tuum. Fiat voluntas tua, ſicut in cælo ita ſuper terram. Panem noſtrum ſufficientiæ noſtræ da nobis hodie. Et dimitte nobis peccata noſtra, nam & nos dimittimus vnicuique debitori noſtro. Et ne nos inducas in tentationem. Sed libera nos a malo.

## *Dominica Oratio Armenice conſcripta.*

Հայր մեր որ յերկինս ես սուրբ եղիցի անուն քո . եկեսցէ
արքայութիւն քո եղիցին կամք քո որպէս յերկինս եւ յերկրի .
զհաց մեր հանապազորդ տուր մեզ այսաւր եւ թող մեզ զպար
տիս մեր որպէս եւ մեք թողումք մերոց պարտապանաց եւ մի
տանիր զմեզ ի փորձութեան այլ փրկեայ զմեզ ի չարէ . զի քո
է արքայութիւն եւ զաւրութիւն եւ փառք յաւիտեանս . ամէն .

*Eadem Armenicis ſed Latinis litteris.*

HAIR mer or iercins, des ſurb eglizzi anun cho: eceſzzę archaiutai cho eglizzin cham cho orpęs iercins, eu iercri. Zhazt mer hanapazord tur mez aiſaur eu thogl mez zpaartis mer orpæs eu mech thoglumch merozt partpanazt eu mi tanir zmez i phorxuthai ail pharceai zmez i zaræ. Zi cho æ archaiuthai eu zauruthai eu pharhch iauiteans. Amen.

## *Oratio Aramæa Latinis litteris conſcripta.*

EYN taad rhuun vuyt yn y nefoedd, ſanteiddier yr henuu tau. Deued y dyrnas dau. Guu neler dyuuollys, ar y ddayar megis ag yn y nifi. Eyn bara beunyddauul dyro inni heddiuu. A maddeu ynny eyn deledion: megis ag i maddeuvun in deleduuyr ninau. Ag na thouuys ni i broſedigaeth. namyn guuared ni rhag druug. Amen. Hoc eſt.

 Eadem

*Eadem Latinis verbis & litteris.*

NOSTER pater qui es in ipſis cælis, ſanctificetur illud nomen tuum. Adueniat illud regnum tuum, fiat tua voluntas ſuper illam terram ſicut & in illo cælo, noſtrum panem quotidianum da nobis hodie, & remitte nobis noſtra debita ſicut etiam remittimus debitoribus noſtris. Et ne inducas nos in tentationem, ſed libera nos a malo. Amen.

## *Oratio in lingua Germanica communi.*

VNſer Vatter der du biſt im himmel. Geheiligt vuerde dein nahme. Zu khomme vns dein reich. Dein vuille geſchehe gleich vuie im himmel alſo auch auff erden. Vnſere taglichs brott gib vns heutte. Vndt vergieb vns vnſere ſchuldt, als vuir vergieben vnſeren ſchuldern. Vndt liete vns nicht in verſuchungh. Sonder errette vns von dem boſen. Amen.

*Hæc lingua ſolet adiectiua, & pronomina præſertim demonſtratiua nominibus præponere, ſi nihil intercedat. Hinc oratio a voce,* Vnser, *ideſt*, Noſter, *non à* Vatter, *ideſt*, Pater, *initium ſumit: & ab Heluetica non multũ diſcrepare videtur: nonnullasq. voces Latinas parum detortas retinere indicatur, vt* Vatter *pro* Pater, *&* Namo, *vel* Namen *Heluetice pro* Nomen: *& id genus aliæ voces non paucæ.*

## *Oratio Germanice in Heluetijs conſcripta.*

FATER ijnſer, du in hijnele biſt, din namo vuerde geheiligot. din riche chome. din vuillo geſrehe in erdo alſo in himela. Vnſer tagolicha brott tib vns hinto. vnde vnſere ſculde belaz ijns, als auch vuir belaſend vnſeren ſculdigen. Vnd in chorunga nit leiteſt du vnſich. Nun beloſe vnſich fone vbele. Amen.

*Sunt qui dicant* Fater, *alij* Vater *pro* Pater.

## *Oratio ſermone Bohemico, qui præ cæteris huius linguæ dialectis cultior exiſtimatur, & Scoticæ reſpõdet.*

OTOZIE naſs, genz ſy na nebeſich. Oſzuuiet ſe meno tuue. Przid kralo vuſtuuij tuue. Bud vule tuua yakona nebi, tak y na zemi. Chleb naſz vuezdeyſſi dey nam dnes. Y odpuſt nam naſſe vuiny, yako y my odpauſtime naſſim vuinikom. Y ne uvuod naſz do pokuſſenij. Alc zbauu nas od zleho. Amen.





## *Oratio Dominica Heluetice conſcripta.*

VAtter unſer der du biſt im himmel. Geheliget vuerde din namen. Zu chom vns din rich, din vuill der uerde vol bracht vff erden vie im himmel. Vnſer teglich brott gib vns hiit. Vnd vergib vns vnſre ſchuldr, als vuir vergebẽt vnſren ſchuldneren. Vnd fur vns nit in verſuchnus. Sonder erlos vns vor allem vbel. Amen.

## *Dominica Oratio Hungarice conſcripta.*

MI ATTIIANK ki vagij menniegben, zenteltesſek az the neued, loion the orzagod legien the akaratod, mikepen menijben, azonkèpen it az foldon, mi keniereonket minden napit aggiad mi nekeonkma, es boczaſd megh mi nekeonk az mi vetkeijnket, mikepen mi es megh boczatunk az mi elleneonk vetetteknek, es ne vigij minket az keſertetben, de zabadicz minket, minden gono ztul. Amen.

## *Oratio Dominica Anglice conſcripta.*

OVR Fater vuhiche arte in heauen. Halouued be thy name. Thy kyngdome come. Thy vuyll be done in earthe, as it is in heauen. Giue vs thys day our dayby bread. And forgeue vs oure treſpaſſes, as vue forgeue oure treſpaſſers. And leade vs not in to temptacion. But delyuer vs from euyll. So be it.

*Hæc lingua multas voces tum Germanicas tum Saxonicas habet detortas: & pronomen nominibus ſolet præponere. Anglici item dicunt. So be it, pro Amen, ideſt, ita fiat. Hinc eandem Orationem Latina lingua reddere nobis viſum est.*

NOSTER Pater qui es in cælis. Sanctificetur tuum nomen. Tuum regnum adueniat. Tua voluntas fiat in terra ſicut in cælo. Da nobis hodie noſtrum quotidianum panem. Et dimitte nobis noſtra debita, ſicut & nos dimittimus noſtris debitoribus. Et ne inducas nos in tentationem. Sed libera nos a malo. Amen. vel Ita fiat.

## *Oratio Iſlandice conſcripta, quæ Gothicæ reſpondet.*

BADER vor, ſun ert ai himmum, helgizt bitt namb ti. Tomi titt rite. Verdi tinn vile, ſuoms ai himme, ſo ai podu. Burd vort daglgt geb tu oſz i dag. Og bergeb oſz ſtullden vorn, ſuo ſem vi bergebun ſtulldun vorn. Ant leid oſz e ti breiſt ni. Helldur brelſa tu oſz ber illu. Tatz ſie.

*Hæc lingua in pronunciatione eſt Anglicæ adſimilis, quia Anglica ortum habuit a Saxonica, vel Teutonica: differt autē, quia hæc nominibus pronomina non præponit ſicut illa.*

## *Oratio Dominica vernaculo Rhetorum ſermone conſcripta, quem vulgo Romanum appellant.*

BAB nos, quęl tii iſt in cſchil, ſantifichio ſaia ilg tes num. Ilg tes ariginam vigna ter nus. La thia voeglia vainta in terra, ſco la fo in cſchil. Do a nus nos paun houtz & in miinchia di. Parduna a nus nos dbits, ſco nus fain a nos dbitaduos. Nun ens mener in mel aprouamaint. Dimperſemaing ſpendra nus da tuots mels. Amen.

## *Oratio Dominica Hibernice conſcripta.*

AIR nathir ataigh air nin. Nabzfar hanimh. Tigiuh da riatiathe. Deantur da hoil anihuoil air nimh agis air talamh'. Air naran laidhthuil tabhair dhuin a niomh, agis math duin dair fhiacha ammnil agis mathumuid dar feuthunuim, agis na trilaic aſtoch ſin anauſeu, ac ſar ſin o ole. Amen.

*Hæc lingua Hibernica eſt antiquiſsima, & ita nobilis, ut numquam paſſa ſit alterius exteri idiomatis mixtionem, & valde copioſa in dicendi modis exiſtimatur, Hebraicæ linguæ tum characteribus, tum pronunciatione & punctis aliqua ex parte reſpondet.*

## *Oratio Dominica Luſitanica conſcripta.*

PADRE noſſo que ſtas nos ceos. Santificado ſeia o teu nome venha a nos o teu reino. Seia ferta a tua vontade, Aſſi nos ceos come na terra. O paõ noſſo de cadadia, dano lo oie neſto dia. E perdoa nos ſeñor as noſſas diuidas, aſſi como nos perdoamos aos noſſos diuidores. E naõ nos dexes cahir in tentacaõ. Mas libra nos do mal. Amen.

*Oratio*



## *Oratio Dominica in lingua Flandrica: quæ parum differt ab illa qua Brabanti, Holandi, Zelandi, Friſii, & alij inferioris Germaniæ vtūtur.*

ONSE (*oder unſe*) vader die ghy ſyt in den hemel, gheheelicht vuerdet dyn (*oder uuune*) name. toe tomme üüs dyn rycle. dyn vuille geſchie vp erde, ghelycl in den hemel. üüſer daghelicls brood gheff üüs heden. ende vergheft üüs üüſe ſchülden, ghelycl vuy vergheuen üüſe ſcüldenaren. ende leet (*oder brinclt*) üüs niet in becooringhe. maer verloſt üüs van den quaden (*oder booſen*.) Amen.

## *Eadem Illyrice, vel Sclauonice*

ѾΥЄ нашь, кй ѥсы нá небесѣхꙋ. сьвѣтнсѐ ймє твоѥ. пьрйды цесарастꙋо твоѥ. боўды волꙗ твоꙗ, како нá небоў, й нá земли. хьлѣбь нашь всакдани дайнамь данасꙋ. й ѿпоўстй намь доўгѐ нашѐ, како, й мнї ѿдпоўщамо доўжникомꙋ нашимꙋ. й нѐ оўведй нась кьнапастꙋ. да йзбакы нась ѿ непрнїазны. амннꙋ.

*Eadem Latinis litteris.*

OCCE nas, kij ieſi nà nebeſieh, ſvetiſe ime tvoje. Prighi kraglevſtvo tvoje. Budi voglia tuoja, kako nà nebu, tako i nà ſemgli. Kruh naſc ſv akdani dajnamga danaſ. i od puſti nam dughe naſce, kako i mi od puſctujemo duxnikom naſciem. i nè uvedi naſ ù napaſt, da oſlobodi uaſ od ſla. Amen.

## *Eadem Polonice.*

OCZIECZ naſch ktory ieſtoſz vunyebye. Svuyecz ſie gymye tvua. Przydzy tvua krolieſtvuo. Bandz vuolya tvua, yako vunyebi, y na zemij. Chlieb naſch povu ſchedny day nam dzy ſay. A odpuſcz nam uyny naſcha, yako y my odpuſczamy vuynovua ytzom naſchym. Nyevuodz naſz napokuſchenye. Alye zbavu naſz od zlego. Amen.

*Oratio*

## *Oratio Sardorum oppidanorum lingua.*

PADRE noſtru qui iſtas in ſos quelos, ſiat ſanctificadu ſu nomen teu. Vengat a nois ſu regnu tou, ſiat fatta ſa voluntade tua, gaſi in terra, comente in quelu, ſu pane noſtru de dognia die da nos hoc, & perdona nos ſos deppitos noſtros, comente noiſateros perdonamus a ſos deppidotores noſtros, & no nos laſſes ruen in ſa tẽtatione, mas libra nos de male. Amẽ.

## *Eadem ex communiori lingua, extra ciuitates.*

BABBV noſtru qui ſes in ſos quelos, ſantifficadu ſiat ſu nomine tuo. Aduengiat ſu rennu tou, ſiat fatta ſa voluntade tua, comente in ſu quelu gaſi in ſa terra, Su pane noſtru de ogni die da nos lu hoe & perdona nos ſos deppidos noſtros, gaſi comente noij perdonamus ſas deppidores noſtros & non nos laſſes ruer in ſa tentaſſionẽ, mas libera nos de male. Gaſi ſiat

## *Oratio verbis Siniacis, vel Chiniacis, ſed characteribus Latinis conſcripta.*

SCI gin ta fu ciu zai tien tin. Ngo iuon ta fu min ie hhien iam ngo iuon ſu gin ciuon ſcieu cui chiai ye giu tien gin ſuō zum ta fu ngo iuon ta fu fo in chu ngo. Ngo iuon ta fu ſſi ngo yi ciè ngo iuon ta fu cio ngo ci zui gin gio hai ngo ngo ie ciè ci. Ngo iuon ta fu ieu ngo guei ſcien pu mi zui hoh. Ngo iuon ta fu chien ngo cu nan. Amin.

Hæc de varijs linguarum generibus, quibus Dominicam Orationem conſcribendam curaui non ſolum multorum Virorum varias linguas callentium ope, quos ſupra recenſui, verũ etiam Bartholomæo Georgeuita, Henrico Glareano, Marino Temperizza, Ioanne Baptiſta Raymundo, Michaele Rugerio e Soc. Ieſu, Neapolit. & Miahaele Gualtero Hiberno Sac. Theol. Doct. adiutus, necnon a ſingulo quoque, quoad potui, illius linguæ, in qua natus ipſe eſt, vt diligentia in qualibet dialecto præſtita videatur, eas accepi. Nunc reliquum eſt vt ad varium ſcribendi vſum, & ad Bibliothecas, ac Typographias accedamus.





# APPENDIX
# DE VARIO SCRIBENDI VSV,
## NECNON DE BIBLIOTHECARVM INSTITVTIONE,
## *AC TYPOGRAPHIIS*
### *pro ſcientiarum monimentis, hiſtorijsq. tradendis, & conſeruandis.*

ANTEAQVAM ad perpolitum ſcribendi modum & ingenioſe excogitatum, quem hodie in vſu frequenti eſſe videmus, perueniretur, varium apud homines diuerſis tamen ætatibus ſcribendi vſum extitiſſe inuenio.

Filij Seth, & Adam nepotes, hac in re primũ in quodam ſcribendi genere locum occuparunt: Ipſi enim *Ioſephus* anno Mundi 235. vt Ioſephus teſtatur, in duabus ſcripſerunt *lib. 1. Antiq. & Genebr. lib.* Columnis, quarum vna lateritia erat, altera ænea, ſiue marmorea: illa contra ignis conflagrationes, hæc contra aquæ *1. Chron. 235.* alluuiones vt monimenta ipſa diutius conſeruarentur. Hinc Ioſephus ad ſuam vſque ætatem columnam illam marmoream in Syria duraſſe affirmat, vt alibi me dixiſſe memini: *Pag. 82.* nam nullum aliud ſcribendi genus ante diluuium extitiſſe conſtat. Poſt autem vniuerſale diluuium, atque ante hodiernum chartarum vſum, palmarum folijs ſcriptitatum eſſe, Plinius affirmat, dicens: Prius tamen quàm digrediamur ab *Plin. lib.* Aegypto de papyri natura dicetur, cum chartæ vſu maxime *13. c. 11.* humanitas vitæ conſtet, & memoria. Et hanc in Alexandri Magni victoria repertã, auctor eſt Marcus Varro, condita in Aegypto Alexandria, ante non fuiſſe chartarum vſum, ſed in palmarum folijs primo ſcriptitatum: deinde quarundam arborũ libris. Poſtea publica monumenta plumbeis voluminibus, mox & priuata linteis confici cœpta, aut ceris. Pugillarium enim vſum etiam ante Troiana tempora inuenimus *Eumen.* apud Homerum. Et infra: Mox æmulatione circa Bibliothe- *Pergami* cas Regum, Ptolemæi & Eumenis, ſupprimente chartas Pto- *Rex. Ptol. Ægypti.*

lemæo, idem Varro membranas Pergami tradidit repertas. Hæc Plinius, qui hiſce verbis mentionem faciens de varijs ſcribendi generibus, ait primo ſcriptitatum fuiſſe in palmarum folijs, vt Virgilius præſeferre videtur in ſexto libro Aeneidos, dicens:

——— *Folijs tantum ne carmina manda.*

Ex huiuſmodi ſcribendi vſu ad hanc vſque diem nomen chartæ remanſit: charta enim folium nuncupatur. Deinde quarundam arborum libris, hoc eſt corticibus ligno adhærentibus ſcribi cœpit. Hinc volumen, in quo ſcribimus, liber appellatus eſt, atque itē codex, qui eſt arboris truncus, ex quo cortex extrahitur, vt ex Columella colligitur: antiqui enim ad ſcribendum tabulis item ligneis vtebantur cera obductis, inquibus ſtylo ſcribebatur: ob idq. Tabulæ cereæ, vel ligneæ, ſiue alterius materiæ, in quibus ſcriptitabatur, pugillares dicebantur, vel quòd pugno comprehendebantur, vel a pungendo, quòd ſtylo in his pungendo ſcribebatur. Varijs autem nominibus pugillares apud veteres vocitabantur, alij ſcilicet lintei cera obducti, citrei, alij eborei, alij membranei dicti ſunt, ex linteis, ex citro, ebore, & mēbranis confecti: quorum hi hac etiam tempeſtate ab aliquibus adhiberi ſolet, dum quædam, ne memoria excidant, ſcriptis breuiter mandant. Ab huiuſmodi ſcribendi genere Tabulæ pro libris apud Romanos frequenter dictæ ſunt. Tabulas autem non modo ligneas, vel linteas cera obductas, verumetiā plumbeas, æreas, atque lapideas, ſiue marmoreas fuiſſe conſtat.

*Colum. lib. 5. cap. 10.*

*Colum. li. 4. cap. 8.*

*Liuius 4. lib. ab Vrbe cond. Plin. lib. 13. c. 13.*

Quamuis autem poſt vetuſtiſſimum ſcribendi genus in palmarum folijs, in aliarum item arborum corticibus, vt pote ab Vlmis, Platanis, Fraxinis, atque Alnis, quæ facile decorticantur, ſcriptum eſſe dicendum ſit, vt ex Plinio colligi poteſt: ex eodem tamen Plinio patet ſcriptitatum fuiſſe in papyro, arbuſcula quadam, præcipue in Aegypti paluſtribus ad Nilum naſcente, radicem, vt ait Matthiolus, obliquam habente, triangulis lateribus, decem non amplius cubitorum longitudine, in gracilitatē faſtigiata, thyrſi modo cacumen includente. Ex hoc igitur frutice præparabantur chartæ, acu diuiſæ in prætenues, & latiſſimas philyras, quæ eo meliores erant, quo mediæ papyro propinquiores, quæ ab huius fruticis

*Papyri deſcriptio ex Matthiolo in Dioſcor. lib. 1. cap. 96.*



fruticis appellatione etiam papyri nomen acceperunt. Hinc ab huius item fruticis nomine chartas noſtras, quæ ex contritis linteis fiunt, papyrum hodie appellamus, eo quòd eundem nobis præſtent vſum, quem olim Aegyptijs prẹſtabat papyrus. Huius generis materiam, ſiue prætenues cortices arborum ſcriptas, artificio tamen quodam, vt opinor, præparatas ad characteres ſuſcipiendos ac retinēdos, non ſemel vidi in Bibliotheca Vaticana. Vidi etiam aliā corticem ſcriptam, ſed rudiorem, atque ita, vt arboris cortex eſſe omnino dignoſcatur: quam Aldus Manutius penes ſe diligēter aſſeruat. Vidi librum item corticeum, paginas habentem adeo tenues vt duæ pagellæ pro vna ſuſcipiantur, altera tantum facie impreſſa. De huiuſmodi libro, quem ſuperioribus annis Magiſter Spiritus Vicentinus ſummus Auguſtinianorū Magiſter SIXTO V. dono dedit, nec non de Typographia ab Indis inuenta antequam in Europam fuiſſet aduecta, in Indica lingua loquuti ſumus. Vidi etiā alios huius generis libros aſſeruatos penes Michaelem Rugeriū Neapolitanum ex Societate Ieſu, qui Sinis, hoc eſt in Regno, quod vulgo dicitur China, xj. annis eſt commoratus, quiq. mihi dono dedit paginam vnam, in qua oratio Dominica, & ſalutatio Angelica characteribus Siniacis impreſſæ leguntur.

*Pag. 341.*

Chartæ denique ſiue membranæ genus, quod velut poſtremo ante chartam ex linteis cōfectam repertum, in Bibliothecis, & alibi paſſim inuenitur, eſt membrana, vt tradit Plinius ex Varrone, inuenta Pergami, quod eſt Aſiæ ciuitas, eaq. deinde charta pergamena vulgo vocitari cœpit. Membrana autem dicitur eo quòd de animalium membris detractæ ſint, in quorum tergoribus ab vno primum latere ſcribi cœptum, deinde ab vtroque deraſis pilis. Membranæ vſus Pergami regnante Eumene initium habuiſſe dicitur: hinc ad hanc vſque diem tradente ſibi inuicem per manus poſteritate pergamenæ nomen ſeruatum eſt. Huius generis charta apud Romanos fuit in frequenti vſu, ſicut non ſolum codices docent vetuſti, verumetiam ipſa Latinorum ſcripta, vt videre eſt in Cæſaris commentarijs, in Horatio, in Liuio, in Plinio, Quintiliano, Martiale, & alijs; & præſertim in Cicerone, qui, vt ait Plinius, in nuce incluſam Iliada, Homeri carmen in membrana ſcriptum tradit.

*Plin. li. 7. cap. 21.*

Quamuis autem Varro ſcribat, Ptolemæi, & Eumenis Regum temporibus membranas per æmulationem fuiſſe inuentas, ex Ioſephi tamen ſcriptis, multo antequam tradit Varro, eſſe repertas, & apud Hebræos in vſu olim fuiſſe colligitur: Ioſephus enim dum de libris ſacris per ſeptuaginta duos interpretes in Græcum transferendis ab Eleazaro ſacerdotum principe ad Ptolemæum Philadelphum miſſis mentionem facit, Regem Ptolemæum de maxima membranæ tenuitate, ac de incomprehenſibile compagine maiorem in modum admiratum fuiſſe teſtatur. Herodotus item priſcum in pellibus caprinis, & ouillis ſcriptitandi vſum fuiſſe affirmat. Hinc eundem chartæ vſum ad Romanos manaſſe conſtat: atque ex huiuſmodi charta Numæ Pompilij libros, de quibus loquitur Plinius, confectos fuiſſe amplius trecentis annis ante Alexandrum Magnum credendum eſt. Anno enim ab Vrbe condita CCCCXXVIII. Alexander Magnus regnauit, & Alexandriam in Aegypto condidit. Anno autem 38. ab Vrbe condita, & anno item ætatis ſuæ 38. Numa Pompilius regnare cœpit, & ſacra, & cæremonias, atque Pontifices Moſaicis conſimiles inſtituit, vt ait Tertullianus. Adde etiam quòd, Genebrardo teſte, Moyſes, qui fuit ante Numam Pompilium annos circiter mille, paulo ante mortẽ membranis volumina Pentateuchi treſdecim ad vltimum vſque legis elementum anno mundi 2670. exarauit.

Eiuſdem generis, aut materiæ libros Sybillinos Tarquinio Superbo traditos fuiſſe opinari quis poteſt, cum quingẽtos circiter annos Numæ Pompilij libros ſub terram illæſos fuiſſe aſſeruatos Plinius affirmet: niſi cum eodem Plinio, eos ſuper lapide impoſitos, & cedratos, etiam ſi papyracei fuiſſent (vt idem Plinius videtur innuere, cum ait eos libros fuiſſe ex charta, quæ vt plurimum pro papyro ſumi ſolet) nec computreſcere, nec a tineis corrodi potuiſſe dicamus: charta autem, quæ eſt vox Græca, a Latinis, & ab Africanis, vt diximus, vſurpata, tam ex papyro, quàm ex pellibus animalium membrana recte vocitatur: hinc non facile dignoſci poteſt, num Hebræorum & Numæ Pompilij volumina, vel papyracea, vel pellicea fuerint: nam Membranæ nomen & papyraceis, & pelliceis chartis commune eſſe comperi: vtrumque autem genus, ſiue

papyraceum

*Ioſephi li. 12. antiq. cap. 2.*

*Plin. lib. 13. c. 13.*

*Herodot. lib. 5.*

*Tertull. de praſer.*

*Genebr. lib. 1. anno mundi 3408.*

*Genebr. Anno mũdi 2670.*

*Plin. lib. 13. c. 13.*

*Pag. 308. & 347.*



papyraceum, ſiue pelliceum, vel pergamenum, vel plumbeum, vt in Suetonio videre eſt, charta dici ſolet.

Charta vero, quæ & pagina nuncupatur, quaſi a pangendo, quòd in paginis carmina pangantur, id eſt figantur (verſus enim pangi, vel figi in pagellis dicuntur) ab vrbe Tyri ita dicta hoc nomen accepit, ex qua & Dido dicta fertur, & a ſe conditam Vrbem, Chartaginem appellaſſe, vt vulgo putatur. Iſidorus autem vult dici, chartam, quòd carptim papyri tegmen decerptum glutinatur: ſed neutra huius nominis Græci, charta, χάρτη, declaratio Græcę vocis orthographię reſpondet. Vtcumque autem ſit, varia ſunt chartarum genera: alia enim charta ſortita eſt ſibi nomen ab vſu, alia a loco, alia ab inuentore ipſo. Ab vſu, vt hieratica, antiquitus ſacris tantum voluminibus dicata: imperialis interdum dicta: deinde adulatorie Auguſtana, necnon Liuiana, ab Auguſti vxore. Alia a loco, vt Amphitheatrica, ab Amphitheatro: Saitica ab oppido, necnon Tæonitica a vicino loco. Alia ab inuentore ipſo, vt Fanniana a Fannio, qui chartã inſigniorẽ reddidit: & Claudiana a Claudio, cuius temporibus fuit in meliorem vſum aut formam redacta, ceteriſq. præſtantior exiſtimata. Fuit etiam Bibula, & & Emporetica papyrus: Bibula a bibendo, quia ſorbet atramentum, dicta, de qua Lucanus:

*Conficitur bibula Memphytis charta papyro.*

Emporetica vero inutilis in ſcribendo, & inuolucris chartarum tantum, atque mercium, vſum præbens, ἀπὸ τῶν ἐμπόρων, ideſt a mercatoribus, nuncupata eſt. Hæc ex craſſioribus linteolis & abſque glutine confecta etiam hodie mercatorum vſui deſeruit. De his chartarum generibus, ac de eas conficiẽdi modo Plinius copioſe ſcribit, a quo Polidorus Virgilius, Petrus Meſſias, & alij accepere quidquid de chartarum inuentione, atque vſu ſcripſerunt.

Reliquum eſt, vt de charta, qua hodie omnes fere vti ſolent, ſermonem habeamus. Hæc ex linteolis contritis multiplex fieri ſolet iuxta varias telarum ſpecies, quarum vna prætenuis, altera minus, tertia rudior, aut craſſior, quarta vero craſſiſſima, quam Latini vocant telam cannabaceam, filo admodum raro, & rudi contextam, Italice autem *cannauaccia*: ex ijs tribus fiunt chartæ ad ſcribendum, & ad imprimendum optimæ: ex

quarta

*Sueton. in Nerone.*

*Polid. Virgil. lib. 2. cap. 8.*

*Petrus Meſſ. par. 3. cap. 2. & alij.*

*Iſid. li. 6.*

*Charta emporetica, ſiue bibula.*

*De modo conficiendi varias chartarũ ſpecies.*

quarta ſpecie iuxta varium telarum colorem fit charta bibula & emporetica,quę mercium inuolucris deſeruit. Fit autē charta ex telis in fruſta ſecatis, & in mortario ligneo, interiori tamē atque inferiori parte mortarij ferro cooperta, ferreoq. piſtillo contritis: quæ quidem prius quindecim dierum ſpatio in aqua marceſcunt, deinde dum teruntur, perpulchro ſane artificio, lauantur, atque ita, vt fluxibilitate, & albedine lacteum repræſentent colorem. Poſtquam vero huius generis maſſa quattuor ac viginti horarum interuallo contrita in materiam ſubtilem ac fluidam redacta eſt, illa eadem ſuper forma, ſiue, vt aiunt, modulo filis æneis iuxta latitudinem, longitudinem, & profunditatem folij, quod faciundum curatur, confecto, extenditur,deinde ipſum chartæ folium ad aerem exſiccatur. Vbi vero exſiccatum eſt, in aquam, in qua excocta ſunt pellium bouillarum reſidua,ſiue nerui,immittitur, & ſtatim inde, ex aqua ſcilicet illa, hoc eſt glutino extrahitur,& ad aerem iterum exſiccatur, exſiccatumq. ſuper tabula lapidea,fruſto marmoris fricatur, & expolitur: atque hunc in modum charta ſuam ipſius recipit perfectionem.

Chartariæ officinæ in Europa multæ ſunt; ſed Italia omnibus alijs præſtantiores habere exiſtimatur. Quæ autem ſunt in Fabriano, & chartarum copia, necnon præſtantia ceteras excellunt officinas: in ijs enim omnia chartarum genera, & optima quidem conficiūtur, præſertim vero tres chartarum ſpecies, Papalis ſcilicet, Imperialis, & Regalis, quæ non niſi eo in Oppido confici ſolent. Quamuis autem charta ex omni genere, maxime omnium continens atramentum, ne effluat, Fabriani conficiatur: Fulginea tamen paginula tantæ eſt præſtantiæ, vt nulla alia cum hac conferri queat. Multæ aliæ in Italia chartariæ extant officinæ, quæ breuitatis cauſa ſubticentur. Sunt autem in ora Salonina officinæ inſignes circiter viginti, quarum charta eſt ad imprimendum optima, ſed non ſatis alba; Extra Italiam Lugduni in Francia, Francofurti in Germania, & alibi chartæ conficiuntur. Hæc de chartarum inuentione, atque vſu ante typos inuentos, necnon de earumdem officinis: nunc reliquum eſt, vt de Bibliothecarum inuentione, incremento, & ſitu atque conſeruatione, necnon de librorum ordine ſermonem habeamus.

APPEN-



# APPENDIX DE BIBLIOTHECARVM INVENTIONE, ET INCREMENTO,

## ac de ceteris rebus ad eas pertinentibus.

QVi docta hominum ſcripta veram ingeniorum effigiem, veraq. necnon æterna monimenta eſſe dixit, & dixiſſe vere, & præclare ſenſiſſe mihi certe videri ſolet. Hinc Ageſilaus Lacedemoniorum Rex, Plutarcho teſte, animi tantum monimenta poſteris relinquere ſtudens, ſui corporis ſimulacrum effingi haudquaquam paſſus eſt, tametſi id facere multi cupiebant: quippe qui hoc ſculptorum aut pictorum, illud ſuum: hoc diuitum, illud bonorum opus eſſe affirmabat. Hac igitur, vt reor, ratione Reges olim, & Imperatores, & locupletes homines bonarumq. artium cultores Bibliothecas inſtituerunt: & idipſum iam inde ab orbe condito factum eſſe opinandum eſt, cum omnium primum Enoch, ab Adam ſeptimum, libris aliquid mandaſſe, ex epiſtola B. Iudę colligatur. Huius Prophetæ a Tertulliano citantur ſcripta, quibus Enoch ipſe idolorum fabricatores & cultores in comminatione, vt Tertullianus ait, prædamnat. Hiſce in ſcriptis Enoch vaticinia dicuntur eſſe de ijs, quæ Patriarcharum nepotibus euentura erant: de futuris Hebræorum ſceleribus, & pœnis, de Hebræorum euerſione, & captiuitate, de mundi Saluatore ab Hebræis occidendo, deq. eorumdem perpetua inter Gentes diſperſione, & de Chriſto ad iudicium cum Angelis venturo: immo Ioannes Annius Commentario in Beroſum ſcribit, in ijſdem Enoch ſcriptis celebre fuiſſe vaticinium de geminis totius terræ cladibus, altera per inundationem, altera vero per incendium futuris: additq. hoc ipſum vaticinium ab Enoch in duabus columnis, altera lapidea, quæ aquis reſiſteret, altera latericia, quæ ſupereſſet ignibus, fuiſſe inſculptum. Alij autem columnas haſce aſtrologia inſignitas Seth & Enos, necnon illius filijs, & Adæ nepotibus adſcribunt, vt ſupra a nobis dictum eſt. Eadem Enoch ſcripta a Procopio frequenter citantur, & ab Origene non raro, qui ait in ijs comprehenſa

*Plutarch. in vita Ages.*

*B. Iudæ Epiſtola.*

*Tertullianus lib. de Idol. non procul ab initio.*

*Pag. 81. Ex Genebrardo chrō. pag. 7. & 14.*

*Orig. homil. 28. in Num.*

*Genebrardus lib. 1. pag. 7. & 25.*

prehenſa fuiſſe arcana de plagarum cæli,omniumq. ſtellarum, atque ſiderum nominibus, prout extant apud Chriſtianos Aethiopes in regno Reginæ Sabæ, abyſſino idiomate conſcripta, vt ait Genebrardus. Quamuis autem S. Pater Auguſtinus dicat, nimiam antiquitatem effeciſſe, vt huiuſmodi ſcripta apocrypha cenſeantur, ne per occaſionem eorum falſa pro veris insererentur, negari tamen non poteſt, teſte B. Iuda Apoſtolo, Enoch prophetaſſe, & prophetice ſaltem ſcripſiſſe, etiamſi ſcripta ipſa hodie non extent,quæ tamen diuina virtute in diluuio ſeruari,vel Beato Iudæ, & alijs reuelari potuerunt.

*Augu. de Ciuit. lib. 15. c. 23. to. 5. Hierony. item in caput 1. Ep. ad Titum ſcribit librum apocryphum Enoch citatũ a Iuda. to. 6. prope finẽ epiſt.*

Qua de re ſicut primam illam mundi ætatem plura aliorum hominum ſcripta habuiſſe coniectare licet, quamuis eorum memoria ob vniuerſalem inundationem non ſuperſit,ita etiam ad prædeceſſorum monimenta conſeruanda, & ad poſteros iuuandos illius ſæculi homines coaceruaſſe libros, atque ex ijs Bibliothecas inſtituiſſe conijciendum eſt. Multas autem poſt vniuerſale diluuium extitiſſe Bibliothecas nemo eſt qui inficias eat. Fuerunt enim permultæ, & inſignes quidem, vt Hebraica a Moyſe vna, deinde altera ab Eſdra conſtructæ, necnon Babylonica a Nabuchodonoſor, Græca a Piſiſtrato inſtitutæ: hæc autem a Xerxe, deinde a Seleuco conſeruata, & aucta: Bibliotheca Alexandrina,a Ptolemæo Philadelpho ſeptingentis voluminum millibus conſtructa: Bibliotheca Apamienſis, in qua libri ad viginti millia, vt Plutarchus ait, extabant. Fuerunt item Bibliothecæ Romanorum publicæ, Publio Victore teſte, vnde triginta omni laude dignæ,vt ſuo iam loco dictum eſt. Fuerunt præterea Bibliothecæ ab Eccleſiaſticis viris poſt Apoſtolorum tẽpora conſtructæ, vt Hieroſolymitana a Beato Alexandro Epiſcopo & Martyre, Cæſarienſis a Sancto Pamphylo presbytero, & Martyre inſtitutæ. Extat denique Romanorum Pontificum Bibliotheca Vaticana iam inde a Beato Petro Apoſtolorum Principe, & Chriſti Saluatoris noſtri Vicario inſtituta, & ab eiuſdem Petri ſucceſſoribus, & Chriſti Vicarijs conſeruata, & aucta, necnon mirabiliter illuſtrata. De quibus omnibus ſuo iam loco diffuſe loquuti ſumus: hinc ijs prætermiſſis, Bibliotechas, quas hodie extare ſcio, hoc loco recenſere libet, vt hac in re, noſtram hanc ætatem a priſca illa omnino ſuperatam non fuiſſe oſtendamus.

*Publius Vict.*

*Pag. 48.*

Vt



Vt autem ab ijs, quæ extra Italiam ſunt, Bibliothecis initium ſumam, ab Imperatoribus exordiri libet, Maximiliano ſcilicet, & Rodulpho eius filio, quorum ille Viennæ Bibliothecam inſtituit nobilem, hic vero in dies auget, & exornat.

Alphonſus Arragonum Rex,& Siciliæ, vir ſane doctiſſimus, Bibliothecæ exſtruendæ diligentem nauauit operam. A Coſmo Mediceo ſeniore, Liuij Decades dono accepit. Quas cum euolueret, medicis prohibentibus, ne forte paginæ veneno fuiſſent infectæ; O ſtulti (reſpondit) an neſcitis, Regum animas ſub præcipua Dei Optimi Maximi tutela eſſe? A Venetis brachium ex reliquijs Titi Liuij ſummi muneris inſtar obtinuit, vt ait Panormitanus libro de rebus geſtis Alphonſi. Cum arcem Neapolitanam inſtaurare decreuiſſet, Vitruuij de Architectura librum afferri ad ſe iuſſit. Verum cum ſine ornatu, ac ſine aſſeribus allatus eſſet: Non decet (inquit) hunc potiſſimum librum, qui nos quo modo contegamur, tam belle doceat,detectum incedere. Librum igitur egregie ad vſum parari mandauit, & omnibus ſemper ædificijs adhibuit. Hæc ex Panormitano,loco ſupra citato. Idem Alphonſus cum aliquando de iactura rerum pretioſarum ſermo haberetur, perſancte affirmaſſe dicitur, malle ſe gemmas, vniones, margaritas ſuas, quæ quidem eſſent in toto orbe celeberrimæ & pretioſiſſimæ, quàm libros qualeſcumque perditum iri. Hæc idem Panormitanus libro quarto de rebus geſtis Alphonſi, qui non minus ob Bibliothecam clarus euaſit, quàm armis, quibus Neapolim cœpit, & Apuliæ regnum, pulſo Renato, obtinuit.

*Panorm. lib. 1.*

*Panorm. lib. 4.*

Matthias Coruinus, Rex Hungariæ, Budæ, (quæ eſt Hungariæ Metropolis, & capta a Turcis diſſipata) magnificam,& locupletem extruxit Bibliothecam. Hic magnam Bohemiæ partem ſubegit: poſtremo Bohemorum Rex electus, bello clarus, ob Bibliothecam inſtitutam clarior euaſit.

Franciſcus I. Galliæ Rex non minus item litteris quàm armis clarus, Pariſijs in Abbatia ſancti Victoris, & in arce Fontanablio Bibliothecas inſtituit, quas conquiſitis vndique ex media Græcia, & Arabia libris illuſtrauit, & viros eruditos eam ob rem ſuis ſumptibus diu aluit in Oriente. Ea vero,quæ ſancti Victoris dicitur, ob ingentem librorum copiam, quæ quidem

Ccc mira

mira eſt, adeo celebris eſt vt in vniuerſa Gallia, in qua plurimæ fuerunt, & ad hanc vſque diem extare dicuntur, celebrior exiſtimetur.

Extat item Cracouiæ Bibliotheca inſignis a Poloniæ Regibus inſtituta, quæ ad noſtra vſque tempora conſeruatur, & augetur in dies a Sigiſmundo tertio Rege.

Sunt qui dicāt in Atho Thraciæ monte multas Bibliothecas Græcas reperiri: ſed id affirmare non auſim, cū nihil certi inuenire potuerim. Hoc in monte, qui eſt editiſſimus, & ſpeculationi aptiſſimus, duo & viginti Monaſteria ex inſtituto ſancti Baſilij extare accepi, vbi etiam Monachi ad ſeptem millia commorantur contemplationi incumbentes.

Philippus Hiſpaniarum Rex catholicus regijs ſumptibus, regioq. ornatu Bibliothecam inſtituit, & quotidie augere, atque illuſtrare non mediocriter ſtudet. Bibliotheca hæc dicitur Eſcurialis a monte, vbi ſita eſt, ſic dicto, in quo Rex cœnobium ſancti Laurentij a fratribus ſancti Hieronymi inhabitatum ſuis, & ingentibus quidem ſumptibus a fundamento mirifice conſtruendum curauit: in cuius Eccleſiam Reges Hiſpaniarum defunctos, hinc illinc transferendos, atque inibi regio honore locandos mandauit.

Frater Franciſcus Ximenes de Ciſneros ordinis Minorum de Obſeruantia, Archiepiſcopus Toletanus, & Cardinalis ſanctæ Balbinæ, Bibliothecam inſignem Compluti inſtituit, nobiliſſimamq. Vniuerſitatem illam Complutenſem erexit, Complutenſiaq. Biblia ſumptibus immenſis, laboribus, ac vigilijs elucubrata, varijs item linguis, & Interpretibus illuſtrata edidit Anno Dom. M. D. X. Leoniq. decimo dedicauit. Extant præterea aliæ in Hiſpania Bibliothecæ, vt Bibliotheca Benedicti Ariæ Montani viri quidem doctiſſimi, ac celeberrimi, et præſertim ob inſignes elucubrationes in Biblia olim ab eo editas 1569. quæ ſane Editio Regia Quadrilinguis nuncupatur. Extat etiam Bibliotheca Antonij Auguſtini Archiepiſcopi Tarraconenſis, & Michaelis Thomaſij Epiſcopi Ilerdenſis, atque item aliæ priuatorum hominum permultæ.

Extat ætate noſtra Fuggerorum Auguſtana Bibliotheca locupletiſſima, quam Fuggeri, vulgo Fuccari, mercatores ditiſſimi Auguſtæ Vindelicorum Germaniæ Vrbis celeberrimæ, a Germanis



Germanis ſua lingua Augſpurg dictæ, admirandis impenſis inſtituerunt. Quam præſertim ob rem clariores, ac Principes euaſerunt, quippe qui vbi vis gentium antiqua ſcripta per Bartholomæum Amantium, & Petrum Appianum viros eruditiſſimos diligenter, immenſisq. ſumptibus conquirenda curarunt. Quæ profecto res non minus admirabilis, quàm laudabilis ab omnibus exiſtimatur.

Multæ item extra Italiam extant Bibliothecæ, tum publicæ, tum priuatæ, quibus breuitatis cauſa omiſſis, ad Italiæ deueniemus Bibliothecas, inter quas Vaticana primum occupat locum, immo & loci dignitate & excellentia, necnon ex omni genere librorum manu ſcriptorum antiquitate, & auctoritate, atque copia, omnium Bibliothecarum, quæ in Europa extant, celeberrima eſt, & admiratione digniſſima iudicatur, nunc præſertim mira Sixti V. Pont. Maximi magnanimitate, in ſplendidiorem, ditioremq. locum tranſlata, & aucta, maioremq. in modum illuſtrata, de qua multo plura ſuo iam loco *Pag. 52.*
a me dicta ſunt, vbi de Bibliothecis antiquorum, & Romano- *53. 54. 55*
rum Pontificum habui ſermonem. Hanc enim Bibliothecam *& 56.*
erexit, miſſis quoquo verſus viris eruditiſſimis ad comparandos
libros, Nicolaus V. Lunenſis ex oppido Sarazana Latinæ lin- *S. Anton.*
guæ, & bonarum artium illuſtrator, qui doctis viris tam in *par. 2.*
humanioribus, quàm in diuinis litteris magna ſtipendia aſſi- *chron. tit.*
gnauit. Eandem Bibliothecam Sixtus IV. auxit, & illuſtra- *22. c. 12.*
uit, ſed Sixtus V. multo magis, vt dictum eſt. Quid de veteri, quam in Lateranenſi Patriarchio ſitam, & a Petro ortum tra-
xiſſe diximus, factum ſit, nihil certi affirmari poteſt, ſed eam *Pag. 53.*
a ſucceſſoribus, vel in Bibliothecam ſancti Petri, vel in Vaticanam fuiſſe translatam opinandum eſt: nam de Bibliotheca
Romana mentionem facit ſanctus Gregorius Magnus, ſcribens *S. Greg. li.*
ad Eulogium Epiſcopum Alexandrinum. De duabus in Bapti- *7. epiſt. 29*
ſterio Lateranenſi Bibliothecis ab Hilaro ſancto Pont. Rom.
conſtructis, vt ait Genebrardus, ac de Gelaſij Papæ præſertim *Geneb. lib.*
libris contra Neſtorium, & Eutichen inibi aſſeruatis mentio- *3. anno*
nem facit Liber, qui dicitur Pontificalis. *Chriſti. 463.*

Extat Venetijs publica Reipublicæ Bibliotheca inſignis, tam
Græcis, quàm Latinis libris inſtructiſſima, quam inſtituit Beſ- *Libro 1.*
ſarion Nicænus, vir apprime eruditus & clariſſimus, S. R. E. *epiſt. 2.*
Cardinalis,

Cardinalis, & Patriarcha Conſtantinopolitanus.

Hanc nobilem, & copioſam Bibliothecam Beſſarion eidem Reipublicæ dono dedit, vt ipſemet teſtatur in quadam Epiſtola Italice conſcripta, quam videre eſt inter litteras, quæ dicuntur Principum: ſed ego huiuſmodi Epiſtolam ab Auctore latine exaratam, deinde a quopiam alio, vt ea inter litteras Italica lingua conſcriptas inſereretur, translatam dixerim. Epiſtola enim Italicæ linguæ puritate, & elegantia eſt ſatis plena: & ratio mihi perſuadet, Beſſarionem, hominem Græcum, altiſſimarumq. rerum ſtudijs omnino dicatum, Italicæ linguę floſculis induſtrioſam haudquaquã nauaſſe operam. Adde etiam, quòd ad nobiliſſimam ſcribebat Rempublicam, ea potiſſimum tempeſtate, qua linguę Latinæ quiſpiam non ignarus, frequentius Latine, quàm Italice ad familiares, & ad Principes præſertim ſcribre ſolebat. Vtcumque autem ſit, in huius generis doni teſtimonium, ſubtexere libet Epiſtolã ipſam, qua Beſſarion miram ſuam ipſius iam inde a pueritia induſtriam de conquirendis, & emendis, deſcribendiſq. libris pro Bibliotheca conſtruenda enarrat. Qua in re facienda veram librorum excellentiam, & vtilitatem docte declarat. Poſtremo autem tres recenſet cauſas, aut rationes, quæ ipſum ad huius generis munus conficiundum recenſet. Epiſtola autem hæc eſt:

### All'Illuſtriſſimo & Inuittiſſimo Principe, il Signor Chriſtoforo Moro, Duce; & all'inclito Senato di Venetia, Beſſarione Cardinale, Patriarcha di Conſtantinopoli.

*IO certamente fin dalla prima mia fanciullezza cominciai à metter ogni fatica, ogn'opera, & ogni ſtudio per poter hauer libri in ciaſcheduna ſorte di ſcienze: la onde molti ne ſcriueua di mia mano, & tutti quei pochi denari, ch'io poteua ſparagnare alla modeſta mia ſpeſa, io gli ſpendeua in comprar libri. Percioche giudicaua di non poter acquiſtarmi maſſeritia più degna & più nobile, nè teſoro più vtile, & più eccellente: eſſendo i libri pieni delle voci de' ſauij, pieni de gli eſſempi antichi, pieni di buoni coſtumi, pieni di legge, & pieni di religione. Eſſi viuono, conuerſano, & ſono letti con noi, ci inſegnano, ci ammoniſcono, ci conſolano, & ci mettono auanti à gli occhi le coſe*

*antiche,*



*antiche, & lontane dalla noſtra memoria, & tanta è la potenza loro, tanta la dignità, & tanta finalmente la diuinità, che ſe non foſſero i libri, noi ſaremmo tutti huomini rozi, & ignoranti, ſenza hauer alcuna memoria delle coſe paſſate, ò alcun'eſſempio, nè finalmente alcuna cognitione delle coſe diuine, & humane, & il medeſimo ſepolcro, che cuopre i corpi de gli huomini, coprirebbe ancor' il loro nome. Et quantunque io in ogni tempo habbia ſempre atteſo molto diligentemente à raunar libri, l'ho fatto tuttauia con molto maggior caldezza dopo la ruina della Grecia, & la miſerabile cattiuità di Conſtantinopoli, hauendo io poſta ogni mia forza, ogni penſiero, ogn'opera, ogn'induſtria, & finalmente ogni facoltà mia per hauer libri Greci, come quello, che dubitaua, & grandemente temeua, che con tutte l'altre coſe non andaſſero à pericolo, & perditione, & rouina ancor tanti eccellenti libri, tante fatiche di tanti grandi huomini, tanti ſudori, tante vigilie, & tanti lumi di tutto il mondo; ſi come ne' tempi più adietro habbiamo patito tanto gran danno, che di quaſi dugento & venti mila libri, li quali Plutarcho ſcriue, ch'erano nella libraria d'Apamia, appena ſe ne trouino pur mille ne' noſtri. Et mi ſono ingegnato, non tanto di raccogliere molti libri in numero, quanto ottimi, & eccellenti, & di ciaſcuna opera, non volendo hauere, ſe non vna copia, ò vn volume, che coſi vengo ad hauer raccolte quaſi tutte l'opere intiere, & difficili à trouarſi, ch'erano in tutta la Grecia. Ma andando io ſpeſſo riuolgendo per la mente queſto mio penſiero, & queſto mio ſtudio, non mi pareua d'hauer ſodisfatto al deſiderio mio, ſe parimente io non prouedeua, che queſti libri da me raccolti con tanta fatica, & con tanta ſpeſa, ſi diſponeſſero in modo, mentre ſon viuo, che ne poteſſi ſtare ſicuro, ch'eſſi dopo la morte mia non ſarebbono diſſipati, & alienati, ma ſarebbono ſeruati in qualche luogo ſicuro, & commodo per la commune vtilità de gli huomini ſtudioſi, & amatori coſi delle lettere Latine, come delle Greche. Et ſtando io molto ſpeſſo in queſto penſiero, & riuolgendo con l'animo tutte le Terre d'Italia, niuna ne ho trouata, ſe non la voſtra glorioſa Città, nella quale l'animo mio ſi ripoſaſſe da ogni parte. Percioche primieramente io vedeua, ch'io non poteua eleggere luogo più ſicuro, che quello, il quale ſi gouerna con equità, ſi ritiene con le leggi, ſi regge con l'integrità, & con la ſapienza, & doue ſi vede la ſtanza vera delle virtù della continenza, della grauità, della giuſtitia, & della fede, doue è l'Imperio tanto equale, & moderato, quanto grandiſſimo, & ampliſſimo, d'animi nel conſultar liberi, non intrigati in alcuna cupidigia, nè in alcun*

*mancamento*

*mancamento, oue i prudenti, & ſauij gouernano il timone dell'Imperio, i buoni ſon anteposti à cattiui, & dimenticati tutti de' proprij commodi loro, attendono con vgual conſentimento, & con ſomma integrità alla cura di tutto il corpo della Republica. Alle quai coſe ſi dee ſperare quel che deſideriamo, cioè, che la voſtra Città habbia ogni dì più à creſcere, & distendere le forze, & il nome ſuo. Io conoſceua poi oltre à questo, non poterſi da me eleggere luogo più commodo, & più atto principalmente à nostri huomini Greci, che cotesta voſtra Città. Percioche concorrono in eſſa quaſi tutte le nationi di tutto il mondo, & principalmente i Greci, i quali, venendo dal lor paeſe, fanno primieramente ſcala in Venetia, & hanno tanta amicitia, & congiuntione d'animi con eſſo voi, ch'entrando in Venetia, par loro veramente d'entrare in vn'altro Constantinopoli. Et oltre à ciò in qual maniera questo beneficio di far dono di questi libri poteua da me collocarſi più honoratamente, che appreſſo di voi Signori, à quali io per molti voſtri beneficij verſo di me mi trouo strettiſſimamente obligato? Et in qual Città poteua io più conueneuolmente porli, che in cotesta Città, laquale io, dopo l'eſſere ſoggiogata la Grecia dal Turco, haueua eletta per mia patria, & nella quale era stato da voi benignamente chiamato, & honoreuoliſſimamente riceuuto? La onde ricordandomi d'eſſer mortale, & vedendomi già d'età molto graue, & oppreſſo, & afflitto da diuerſe infermità, & conſiderando molte altre coſe, che poſſono accadere, ho donato alla ſacratiſſima Chieſa del Beato Marco della vostra inclita Città tutti i miei libri, coſi Greci, come Latini, giudicando eſſer'io tenuto dimostrar questa affettione, & questo animo per debito della mia gratitudine alla Serenità vostra, à cotesto Illuſtriſſ. Senato, & à tutta cotesta nobiliſſima patria, la quale vi ſiete degnati di farmi commune con eſſo voi, accioche, ſi come voi con la virtù, & con la ſapienza vostra, & con molti vostri beneficij m'hauete obligato, coſi voi, i vostri figliuoli, & i vostri posteri, ò diſcendenti, habbiate a trarre continuo, & gran frutto dalle mie fatiche, & inſieme ne habbiano à participare ancora, per amor vostro, & per vostra benignità, tutti gli altri studioſi delle buone lettere. Et coſi vi mando in dono i libri, & l'indice, & inſieme il decreto del ſommo Ponteſice, pregando Iddio, che gli piaccia concedere alla vostra nobiliſſima Republica ogni felicità, & ogni contentezza vera per ogni parte. Da' Bagni di Viterbo. Il dì vltimo di Maggio. M. CCCC LXVIII.*

Hic



Hic fuit ex inſtituto ſancti Baſilij, & ſub Eugenio IIII. floruit. Huius tanta fuit liberalitas erga doctiſſimos viros, vt ipſius domus artium liberalium officina diceretur. Platonem in primis obſeruabat, in cuius defenſionē aduerſus Trapezuntium Peripateticum, ſuumq. coætaneum, vt Volaterranus ait, commentarios edidit, ſuamq. Bibliothecam ſuis item ſcriptis mira eruditione refertiſſimis locupletauit, & ornauit, ac denique Reipublicæ Venetæ, quæ ſemper litteratos, ac de Republica benemeritos fouet, dono dedit. Huic Bibliothecæ Præfectus non paruo ſtipendio Marcus Antonius Sabellicus fuiſſe narratur. Venetijs item extat non ſolum Bibliotheca Cardinalis Grimani, ſed etiam aliæ tum publicæ, tum priuatæ, quas ſilentio prætereundas cenſeo, vt ad inſigniores accedatur.

*Volaterr.*

*Tritthemius in uita Beſſarionis.*

Extat Mediolani in Cœnobio ſancti Marci Bibliotheca inſignis, quam Zacharias Doctor Theologus ex inſtituto ſancti Auguſtini, vir quidem bonarum artium cultor optimus, mira librorum copia, ac varietate locupletauit, ac diligēter exornauit.

Mediceorum nomen, etſi pluribus de cauſis fuit celebre, hac tamen potiſſimum re celebrius euaſit, quòd Muſas e Græcia exulantes hoſpitio exceperint, & libris præſertim Græcis maximo ſumptu tota Græcia, & Aſia conquiſitis non ſolum Bibliothecam inſtituerunt, & ornarunt, ſed bonarum artium ſtudia in Italia, non ſine magnis impenſis fouerunt. Coſmus enim ſenior inſignem conſtruxit Bibliothecam, quam Petrus eius filius, necnon Iulianus, & Laurentius Coſmi Nepotes, & Petri filij auxerunt, viri ſane clariſſimi, & bonarum artium, nominisq. Platonici, eiusq. doctrinæ cultores: in quorum gratiam Platonicos libros ad eam vſque ætatem Latinitate nondum donatos Marſilius Ficinus Florentinus, vir quidem eruditiſſimus, ac celeberrimus, linguarum peritiſſimus, Platonicamq. doctrinam optime callens e Græco in Latinum tranſtulit ſermonem, vt ex eodem conſtat Ficino, qui in Procemio in Platonis libros ad Laurentium Medicem poſt multa hunc in modum ſcribit:

Cum vero ad hæc vſque ſæcula ſol Platonicus nondum palam Latinis gentibus oriretur, Coſmus Italiæ decus, & inſignis pietate vir, Platonicam lucem, religioni admodum ſalutarem, a Græcis ad Latinos prorogare contendens, me potiſſimum intra ſuos lares plurimum educatum, tanto operi deſtinauit.

*Marſil. Fic. procem. in lib. Plat. to. 1.*

Ego

Ego autem, etſi a tenera ætate nominis Platonici cultor, rem tamen adeo grauem, non meis quidem, ſed aui tui Coſmi proſperis auſpicijs ſum aggreſſus, ſperans, diuinam opem tam neceſſario, tamq. pio officio non defuturam. Hac ergo in primis ſpe ductus Academiam ſum ingreſſus, decemq. ex ea Platonis noſtri dialogos, Coſmo prius, quàm naturæ cederet, Latinos feci. Poſt eius obitum Patri tuo Petro præſtantiſſimo viro, dialogos nouem legendos dedi. Poſtquam vero Petrus è vita deceſſit, mors præclaris ſæpe operibus inuida, inuitum me a traductionis officio diſtrahebat. Verum tu & Religionis auctor, & philoſophiæ patronus me ad incœptum omni fauore, & auxilio reuocaſti. Quamobrem ad inſtitutum munus felicibus iterum auſpicijs ſum regreſſus, neque traduxi tantum, verum etiam partim argumentis mentem perſtrinxi Platonicam: partim, quoad potui, breuibus commentarijs explicaui. Opus itaque totum diuino auxilio iam abſolutum tibi libentiſſime dedico: ad quem illa etiam, quæ maioribus tuis inſcripta ſunt, iure hæreditario pertinent, virum profecto auitæ, paternæq. in patria colenda virtutis hæredem. Leges autem inter dialogos funebrem Platonis orationem pio fratri tuo Iuliano dicatam.

*Marſil. Ficin. in lib. Plat. de Regno. to. 1. in fine.*

Præterea vbi ad Librum de Regno perueneris, videbis Federicum Vrbinatem Ducem eo die a me honoratum, quo ipſe tuas ædes honorifice ſalutauit. Non ſolum vero ſeptem, atque triginta libri, qui ſolo tuo inſigniti ſunt titulo, ſed cuncti denique tui ſunt, quandoquidem omnes tui gratia ſunt abſoluti, atque ego ſum tuus.

*Ficin. ar. de Pulchro to. 4. ad Petrũ Medicẽ, et ĩ Clitoph. ad eũdem to. 4. Idẽ Fic. ĩ Menex. vel Epitaph. to 4.*

Hæc Ficinus: cuius ego in ea, quæ a me dicta ſunt, teſtimonium luculentiſſimum hoc loco appoſui, vt huius generis argumento plane quis ſciat, quanta extiterit cura non modo in Bibliotheca inſtituenda, exornanda, & augenda doctiſſimorum virorum ſcriptis, verum etiam quanta in litteratis fouendis, & in eos fuerit Mediceorum liberalitas. Coſmus enim, quem Ficinus loco ſupra citato Italiæ decus, & virum præſtantiſſimum appellat; & Petrus, quem hic virum præſtantiſſimum, & alibi clariſſimum, & Patriæ Patrem nominat; & Iulianus, quem virum clariſſimum dicit; & Laurentius, quem Magnanimum, & optimum vocitare ſolet, Muſarum fuerunt amici, vt Ficinus teſtatur, qui ad Laurentium ſcribens ait:





*Marſ. Fic. in li. Plat. de furore Poet. to. 4.*

Orpheum quidem afflauit Calliope, Muſæum Vrania, Homerum Clio, Polyhymnia Pindarum, Erato Sapphon, Melpomene Thamyram, Terpſicore Heſiodum, Thalia Maronem, Naſonem Euterpe, Linum rapuit idem, qui & te iam nunc exagitat Phœbus, optime Laurenti; Phœbus, inquam, qui auo tuo Coſmo vaticinium dedit, parenti autem Petro arcum, atque medelas, Tibi denique lyram, & carmina.

Hæc Ficinus. Non eſt igitur mirum, præclariſſimos hoſce viros bonarum artium cultores, litteratos adamaſſe, ſuisq. opibus fouiſſe, inſigneq. inſtituiſſe, atque exornaſſe Bibliothecam, quam Alexander primus Florentiæ Dux conſeruauit, conſeruatamq. Coſmus iunior, eiusq. Filij, Franciſcus, & Ferdinandus magni Hetruriæ Duces auxerunt: locupletiorem autem & ornatiorem in dies reddere ſtudet Ferdinandus, qui magnanimitate, ac liberalitate in regendis populis, in fouendis litteratis maiorum ſuorum nemini eſt ſecundus, vir profecto ad res præclaras, & Heroicas magno Principe, quin ſe ipſo dignas efficiendas natus. Quod ſane futurum fuiſſe iam inde a iuuentute præſeferebat, immo deinde aperte iam præſtare cœpit, dum Romæ Cardinalitia dignitate inſignitus Typographiam Arabicam, & Chaldaicam ſuis magnis impenſis ad Chriſtianam fidem inter Turcas, atque inter alias barbaras Gentes, a vera fide alienas propagandam erexit, vbi ſacroſancta Chriſti Euangelia Arabice, & Latine imprimuntur, atque inibi ſparſim ſuisq. locis myſteria ſacra per imagines quaſdam in ligno exculptas, & impreſſas repræſentantur, & ad exteras denique Nationes diuinam legem ignorantes mittuntur. Arabice item humanæ diſciplinæ, vt Galeni medicina, & Euclidis mathematica, necnon quædam alia Chaldaice ad earumdem Nationum commoditatem imprimuntur. Hinc non ſolum in Bibliotheca his alijsq. ſcriptis augenda, & exornanda, & in viris eruditis, quos penes ſe habet, amplectendis, verum etiam in bonis artibus, immo in diuinis litteris excolendis, & in Euangelica fide ſubminiſtranda, ac propaganda veram meretur laudem, cum de his omnibus optime meritus iure dici debeat.

*Typogr. Arab. & Chald.*

Altera Bibliotheca Florentiæ a Medicea familia erecta reperitur in cœnobio ſancti Marci, vbi Fratres ex inſtituto ſancti Dominici vitam degunt religioſam.

Extat Vrbini Bibliotheca omnium iudicio inſignis, quam manuſcriptis libris refertam magnificentiſſime conſtruxit Federicus Feltrius Vrbini Dux, vir profecto eruditiſſimus, & non minus litteris, litterarumq. cultura, quàm armis dominandiq. prudentia clarus, etſi clariſſimus, quem Marſilius Ficinus Florentinus a fide regia, Fideregum, & ab orbis imperio Orbinatem Ducem ſemper inuictum nominandum eſſe ingenioſe, & merito quidem excogitauit.

*Marſ Fic. Apologus ad Federicum Vrbini Ducem in librum Platonis de Regno. to.1.in fi.*

Celeberrima autem Bibliotheca illa eſt, quam Franciſcus Maria iunior, Guidubaldi Filius, & Franciſci Mariæ Nepos, Vrbini Dux, & doctrinarum lux fulgentiſſima, egregiumq. doctiſſimorum hominum præſidium inſtituit, ingentiq. librorum copia ex ijs præſertim omnibus, qui ad hanc vſque diem in lucem prodierunt, incredibili quidem cura ac diligentia, magnisq. impenſis in dies magis atq. magis auget, ac mirifice exornat, vt ego ipſe vidi, meisq. manibus non ſine maxima animi mei iucunditate contrectaui.

Alphonſus Ferrariæ Dux maiorum ſuorum Bibliothecam inſignem ad hanc vſque diem conſeruat, adauget, & exornat.

Multas item priuatas, ac publicas Bibliothecas in Italia extare hodie inuenio, quarum præcipuæ ſunt non paucæ: celeberrima eſt illa Vincẽtij Pinelli nobilis Genuenſis Bibliotheca Græcis præſertim libris refertiſſima, qua Patauium non parum honeſtatur, quamuis non ſolum ob Antenorem loci conditorem, & Titum Liuium hiſtoricum, & Voluſium Poetam Patauinos, quorum ille Romanas res ſumma facundia, hic vero poſt Ennium Annales populi Romani carmine deſcripſerunt; necnon ob Stellam, & Valerium Flaccum Poetas, & Paulum iureconſultum, & alios viros doctos ab eadẽ Ciuitate oriundos, verum etiam ob inſigne Gymnaſium, ſiue bonarum omnium artium Emporium celeberrimum Ciuitas ipſa præclariſſima ab omnibus iure optimo iudicetur.

Extat Ceſenæ Malateſtarum Bibliotheca in Cœnobio ſancti Franciſci: Aſſiſij altera in Monaſterio eiuſdem ordinis.

Bononiæ item aliæ reperiuntur, & præſertim vna ſatis nobilis in Cœnobio ſancti Dominici: vbi duo Eſdræ libri in corio implicato ſiue inuoluto (cuius generis codices proprie volumina dicũtur) ſua ipſius manu conſcripti iuxta numerum a ſacro Concilio





lio Tridẽtino de canonicis Scripturæ ſanctæ libris præſcriptum mira aſſeruantur cura, ac diligentia in Reliquiario duabus occluſa clauibus, quarum vna penes Senatum Bononienſem, altera vero penes eiuſdem Cœnobij Patres cuſtodiuntur.

Altera vero celeberrima in Aedibus Canonicorum Regularium ſancti Saluatoris: hæc enim Bibliotheca nobiliſſima eſt tum manuſcriptorum codicum antiquitate, ac raritate, et bonitate, atque copia, tum etiam ob inſigne ædificium, in quo ſingulares libri aſſeruantur: Aedificium enim ordine conſtans Dorico eſt adeo pulchrum ac ſplendidum, vt, qui ipſum foris circumſpiciunt, maxima perfundantur voluptate. Bibliotheca eſt vas ampliſſimum, & oblongum, tria & amplius hominum millia capiens, cuius porta ordine Corinthio conſtructa cernitur. Nouem ſunt, atque ingentes quidem feneſtræ, ex quibus copioſiſſime lumen excipit Bibliotheca ipſa, laqueare inſigniter depicto, & inaurato. Facies item Bibliothecæ interior ac primaria, quæ ingredientibus primum ſeſe offert, multis ac pulcherrimis picturis manu Bagnacaballi, Pictoris inſignis exornatur: inter quas ſanctum Patrem Auguſtinum contra Manichæos diſputantem videre eſt. Vas denique libros complectens eſt editiſſimo loco ſitum, re ipſa id poſtulante, vt poſtea docere ſtudebimus: inferior enim ædificij pars eſt cella vinaria: media, eſt Refectorium, vbi religioſi viri cibo reficiuntur: ſuprema vero, eſt ipſa Bibliotheca. Qua in re ſilentio prætereundum non videtur quod a Card. Bobba de huiuſmodi ordine ædificij dictum fuit: is enim dum fabricam admiraretur, huius generis ordine ſtatim audito, ex improuiſo et ingenioſe quidem dixit: Sapientia ædificauit ſibi domum, miſcuit vinum, & propoſuit menſam. *Prou.9.* Quod ad libros pertinet, Bibliotheca eſt omni genere ſcientiarum refertiſſima, codicibus Latinis, Græcis, Hebraicis, Chaldaicis, & Arabicis maiori ex parte manuſcriptis conſtans. Extant inibi aliquot Ariſtotelis libri in linguam Hebraicam tranſlati, & Bibliorum fruſtum, hoc eſt, liber Heſter in corio conſcriptus, & more antiquorum complicatus. Id quod faciebant antiqui in arborum corticibus ſcribentes, quo commodius ſecus ferrent libellum, qui proprie volumen a uoluendo aut complicando dici debet. Hic præterea videre eſt præcipuos Rabinos, vt Dauid Kimki, & alios manuſcri-

nuſcriptos, multos item alios impreſſos. Græci codices inſigniores manuſcripti, qui hac in Bibliotheca reperiuntur, ſunt Hieronis liber de machinis bellicis tum terreſtribus tum naualibus, exornatus figuris, & Proclus eruditiſſimis inſignitus notationibus, & Aegyptiaca hiſtoria, quæ alibi fortaſſe non reperiuntur, & ſanctus Baſilius in Pſalmos. Omnia opera Græca præcipuorum Auctorum tam ad Theologiam, quàm ad philoſophiam pertinentia in hac ſunt Bibliotheca, quorum multa etiam impreſſa inibi aſſeruantur. Hic quoque Biblia complutenſia quattuor linguarum, Pſalterium lingua Syriaca conſcriptum, & Quinquelinguium, Doctores omnes Theologos tam ſcripturales, quàm ſcholaſticos, opera Alphonſi Toſtati omnia, quæ paucis in locis reperiuntur, ac denique Ephemeridas lingua Longobardica conſcriptas, & aliqua lingua Gottica exarata videre eſt. Hæc, vt finem faciam, Bibliotheca a Peregrino Fabretto ciue Bononienſi ex eadem ſancti Saluatoris Congregatione fuit primo inſtituta, & erecta, deinde ab alijs eiuſdē inſtituti Patribus in dies aucta, & conſeruata.

Peruſiæ in Cœnobio ſancti Dominici extat item Bibliotheca non ignobilis.

Proſper Podianus, ciuis Peruſinus, animi nobilitate ac magnitudine in hac præſertim re præſtanda, hoc eſt in Bibliotheca inſtituenda, Principibus viris ætate noſtra haudquaquam cedere debere iudicatur: extruxit enim Bibliothecam Peruſiæ mira manuſcriptorum codicum, omniumq. librorum, qui ad hanc vſque diem in lucem prodierunt, varietate refertiſſimam.

*Th. Fazelus de rebus Siculis.*

Extabant in Sicilia Bibliothecæ permultæ, vt ex hiſtorijs accepi, & præſertim illa Archimandritæ nomine nuncupata in Monaſterio ſancti Saluatoris a Ciuitate Meſſana duobus milliaribus diſtante. Nunc vero ex inſignioribus Bibliothecis non extat niſi illa, quæ reperitur in Abbatia ſancti Placidi ex Congregatione Caſſinenſi ſancti Benedicti in duas partes diuiſa, in Græcos ſcilicet codices, & Latinos.

Neapoli item ſunt aliæ Bibliothecæ, vt antiqua illa ſancti Seuerini in puluere quaſi neglecta nō ſecus atque illa, quæ eſt Pauſilypi in Aediculis Auguſtinianorum a Simone Porcio philoſopho doctiſſimo & quidem inſigni ex teſtamento ibi relicta in gratiam Hieronymi Seripandi eiuſdem Auguſtinianę Familiæ olim



olim Magiſtri Generalis, deinde Archiepiſcopi Salernitani, ac tandem S. R. E. Cardinalis, & in Concilio Tridentino Legati. Hic autem Seripandus Neapoli in Cœnobio ſancti Ioannis ad Carbonariam, vbi habitum ordinis ſuſcepit, Bibliothecā Græcam, & Latinam inſignem, ac locupletiſſimam tum manuſcriptorum codicum antiquitate, tum etiam impreſſorum copia inſtituit, & ornatam non ſolum imaginibus, verum etiam concinnis codicum compagibus publicæ fratrum, & aliorum commoditati, atque vtilitati reliquit.

Romæ denique multæ ſunt Bibliothecæ tum publicæ tum priuatæ: quarum omnium, immo & cunctarum, quæ hodie extant, pluribus de cauſis celeberrima eſt Vaticana Bibliotheca, de qua non ſolum in hac Appendice, ſed paulo item ſuperius prolixum habuimus ſermonem. Quare nihil eſt quòd de ea hoc loco immoremur. Bibliothecæ publicæ in Vrbe ſunt item aliæ, inſtitutæ tamen commoditati præſertim eorum, qui in ipſis Collegijs, aut Cœnobijs vitam degunt, vt in Collegio Capranicenſi, extat vna a Dominico Capranica S. R. E. Cardinali erecta: in Congregatione Oratorij altera, quam Achilles Statius Luſitanus eidem Congregationi reliquit.

*Pag. 52. & ſeq. & pag. 384.*

Extat etiā Bibliotheca in Cœnobio ſancti Dominici, in Aedibus ſcilicet ſanctę Mariæ ſupra Mineruā a Fratre Ioanne Card. de Turrecremata eiuſdem inſtituti profeſſo erecta, & paulatim aucta: a Fratre autem Vincentio Cardinale Iuſtiniano eiuſdem ordinis olim Generali amplificata: in Aedibus Auguſtinianis, & in Cœnobio ſancti Frāciſci, vel ſanctæ Mariæ de Aracæli: in tribus enim hiſce Cœnobijs extāt Gymnaſia, in quibus plurimi variarum nationum iuuenes aluntur, qui bonarum artium ſtudijs, ac Theologiæ præſertim operam nauant. In Aedibus SS. duodecim Apoſtolorum, hoc eſt ord. S. Franciſci, vbi Gymnaſium florebat, nunc vero ſancti Bonauenturæ ſtudioſorum Collegium a Sixto V. erectum, & redditibus dotatum, extabat olim Bibliotheca ab eodem Sixto inſtituta.

His autem celebrior, & antiquior iudicatur, & iure quidem, Bibliotheca illa, quæ in Aedibus Canonicorum Sancti Petri in Vaticano ad id vſque tempus reperitur: eaq. cenſetur eſſe, quæ originē a Sancto Petro, & ab eius ſucceſſoribus, ſiue a ſummis primitiuæ Eccleſiæ Pontificibus habuit augmētum. antequam altera

*Vide Pag. 52. 384. vbi hæc fuſius tractantur.*

altera ſummorum Pontificum Bibliotheca ſcilicet Vaticana ortum haberet: nam in ea inter varia multorum generum ſcripta Sanctorum etiam Martyrum, ſummorumq. Pontificum geſta conſeruantur.

Extat Romæ in Aedibus Farneſianis Bibliotheca illa celeberrima a Paulo III. dum Cardinalitia erat dignitate inſignitus, erecta: is enim litteras latinas & perpolitas quidem Romæ a Pomponio Leto, atque item Græcas Florentiæ a Demetrio Chalchondyle edoctus, optime callebat. Cum itaque huius generis litteræ ſibi forent in delicijs, Bibliothecæ conſtruendæ, quæ hodie in Aedibus Farneſianis reperitur, diligentem operam dedit: eamq. Græcis codicibus, Latiniſq. manuſcriptis non paucis exornauit: quam Alexander Farneſius Pauli III. Nepos, vir inſignis, & S. R. E. Cardinalis ſingularibus libris a Petro Craſſo Epiſcopo Viterbienſi, qui ei olim inſeruiebat, relictis locupletauit. Eandem Bibliothecam multis Græcis, & Latinis item codicibus manuſcriptis auxit Raynutius eiuſdem Pauli Nepos, & S. R. E. Cardinalis ſancti Angeli nuncupatus, & Feſto Pompeio tam celebri decorauit: hos autem libros Michael Silu. & S. R. E. Cardinalis Viſeus ei ex teſtamento reliquit. Hæc denique Bibliotheca præſens in tempus ab Odoardo Farneſio Alexandri Card. ꝓnepote ex fratre in litteris perpolitis egregie erudito, & magnæ expectationis iuuene, Græcis, Latinis, Hebraiciſq. manuſcriptis, atque omni genere ſcientiarum refertiſſima diligenter cuſtoditur, & aſſeruatur.

Extant præterea Romæ Bibliothecæ priuatæ non paucæ, quarum vna eſt non tam multitudine, quàm bonitate librorum inſignis, quàm Sfortiadem a Familia nobiliſſima ſic dictam vocant. Hæc maxima ſane cura, & diligentia cuſtoditur, cum in ea non ſolũ Græca volumina, & vetuſta quidem, verum etiam Autographa ipſa reperiantur, quæ non vulgari curioſitate ſpectari, & legi ſolent, quippe quæ auctoritate non modica pollere dignoſcantur.

Nec ſilentio prætereunda eſt Bibliotheca, quam Scipio Lancellotus Romanus, vir quidem doctiſſimus, & S. R. E. Cardinalis extruxit. Hæc quamuis manuſcriptis & antiquis codicibus non ſit referta, eſt tamen celebris tum ob librorum copiam (ſunt enim ad ſeptem millia volumina) tum etiam

ob



ob perpulchram codicum compaginem, ordinem mirificum, & magnificum ornatum: quibus rebus nobiliſſima iudicatur.

F. Michael Bonellus S. R. E. Cardinalis Alexandrinus non niſi ad præclara omnia, & ſe ipſo, hoc eſt Pij V. Nepote digniſſima contendens, Bibliothecam nobiliſſimam, quam Eremum appellat, ſumma impenſa inſtituit. Eſt enim Bibliotheca, & commoditate loci, vnde magna ex parte Roma conſpicitur, & forulis ipſis, armarijs ſcilicet, in quibus reponuntur libri, maximo ſumptu factis, necnon ditiſſimis librorum compagibus adeo inſignis, vt nulla alia hiſce in rebus ex ijs, quæ nunc extant, cum ea conferri queat. Hæc quotidie codicibus impreſſis, & manuſcriptis augetur, perpulchro digeritur ordine, necnon picturis ad Eremum, & ſtudioſos pertinentibus, atque imaginibus exornatur. Bibliothecam hanc Eremum nominauit, Platonem, & Ariſtotelem (vt opinor) imitatus: nam in loco nemoroſo ab Athenis mille paſſus diſtante Academia Platonis erat Gymnaſium inferius dictum: ſuperius autem, quod erat Ariſtotelis, Lycæum dicebatur. Fuit etiam Academiæ nomine villa Ciceronis nuncupata ad Auernũ lacum non procul a Puteolis in littore ſita, porticu, & nemore inſignis: a qua etiam Academicis quæſtionibus, quas in hac Villa conſcripſit, nomen impoſuit. Id quod factum ab ijs creditur, quia locum ab hominum frequentia, rerumq. familiarium negotijs remotum ſtudijs philoſophandi maxime accommodatum eſſe compertum eſt. Hinc Cicero in villa ſua Tuſculana Quæſtiones philoſophicas ab Agro Tuſculano dictas conſcripſit. Quod ad imagines pertinet, ſecutus eſt Aſinium Pollionẽ, qui primus Bibliothecam Romæ inſtituit aut promulgauit, vt Plinius, & Iſidorus teſtantur, Auctorum imaginibus Bibliothecæ atrium exornauit: inter quas ſolius Marci Varronis viuentis imago erat, vt idem Plinius ait. Hæc de Eremica, ſiue Alexandrina Bibliotheca, vt ad ceteras Bibliothecas priuatas accedamus.

*Plin. libro 35. cap. 2. Iſid. lib. 6. capit. 3. Plin. lib. 7. cap. 30.*

Hieronymus de Ruuere in omni ſcientiarum genere apprime eruditus, & bonis animi dotibus optime præditus, ac S. R. E. Cardinalis, inſignem, vt Anaſtaſius Germonius in libro 3. de ſacrorum immunitatibus teſtatur, habet Bibliothecam in oppido Vicinoui ſuæ ditionis, Græcis, & Latinis codicibus, manuſcriptis & impreſſis refertiſſimam.

*Lib. 3. c. 6. num. 67.*

Aſcanius

Aſcanius Columnius S. R. E. Cardinalis, vir ſane doctiſſimus, & non minus animi magnitudine ac liberalitate, quàm familiæ nobilitate apprime inſignis, Bibliothecam non ſolum ingenti codicum impreſſorum copia, ſed libris etiam manuſcriptis, & reconditis quidem refertiſſimam coaceruauit: is enim nonniſi ad heroica præſtanda, ac ſe ipſo digna natus, ſummis emit impenſis Bibliothecam illam Cardinalis Sirleti locupletiſſimam ac celeberrimam: cui etiam Marci Antonij Marſilij Columnæ, Archiepiſcopi olim Salernitani Bibliothecam inſignem, & ſuos ipſius libros quàmplurimos hinc illinc conquiſitos adiecit: eamq. in dies auget, & exornat.

Multæ aliæ ſunt Illuſtriſſimorum S. R. E. Cardinalium Bibliothecæ, quæ, quia ex omni diſciplinarum genere, tum impreſſis, tum etiam manuſcriptis libris refertæ non conſtant, licet ſatis copioſæ ſint, eas tamen ſilentio prætereundas exiſtimaui: ſingula enim quæque eos ſcientiæ libros complectitur, cui quiſque præcipuam olim nauabat operam, aliqua tamen aliarum diſciplinarum, ac Theologicæ præſertim facultatis varietate admiſſa.

Quamuis autem multæ priuatorum item hominum Bibliothecæ ſint prætermittendæ, fieri tamen non poteſt, quin de Latini Latinij, ac Fuluij Vrſini Bibliothecis mentio fiat: ille enim vir ſane vndequaque doctus, & magnæ exiſtimationis vir, Bibliothecam habet librorum varietate ſatis refertam, quam viuens Canonicis Viterbienſibus, ſuis conciuibus, donauit. Hic autem, Fuluius ſcilicet Vrſinus, vir quidem eruditiſſimus, & omnium antiquitatum notitia clariſſimus, Bibliothecam habet nobiliſſimam tum librorum varietate, & bonitate, tum multarum etiam rerum antiquitate: quamuis enim admodum numeroſa libris non ſit, codices tamen ij ſelectiſſimi ſunt fere omnes, & vere ſingulares, tum Græci tum Latini: nam inter Græcos libros ſunt quædam ſcripta maiuſculis litteris exarata, & præſertim celebre **Dionis** hiſtorici fragmẽtum, Biblijs Græcis, quæ in Bibliotheca Vaticana reperiuntur, antiquius. Extant etiam in ea libri aliquot a Theodoro Gaza, Conſtantino, & Ioãne Laſcare, a Scipione Cartaromacho, & ab alijs huius generis doctiſſimis, & inſignibus viris conſcripta. Sunt itẽ inter Latinos libros aliquot codices litteris quoque maiuſculis manu-



manuſcripti, & præſertim Terentius, quem Petrus Bembus Cardinalis olim poſſedit, tempore Alexandri Seueri Imperatoris conſcriptus, quo Angelus Politianus, & alij huiuſce claſſis viri, libros antiquiores non reperiri affirmant. Sciẽdum præterea eſt, huius codicis margines ſcholijs charactere Longobardico conſcriptis eſſe refertiſſimas, necnon aliquot Menandri verſibus Græcis ab ipſo Terentio in Latinam linguam olim translatis, & ſuo Poemati inſertis, & poſtremo a Petro Victorio promulgatis. Libri autem emendationes a Card. Bembo, qui dum in iuuenili ætate vna cum Politiano ipſum codicẽ cum alijs contulit, prius præſtitæ fuerunt, deinde a Gabriele Faerno, nunc vero ab Fuluio Vrſino. Extat inibi Virgilius, quem prius Pontanus, deinde Bembus poſſederunt. De hoc libro manuſcripto mentionem facit Pierius confirmans emendationem præſtitam in illum Virgilij verſum:

*Conuulſum remis, roſtriſq. tridentibus æquor.*

Legebatur enim in 5. libro & mendoſe quidem, vt nunc legitur in omnibus exemplaribus, quæ videre potui, *ſtridentibus* pro *tridentibus*: ſed in 8. lib. vbi extat idem verſus, *tridentibus* legitur, aſteriſco tamen appoſito: in hoc autem vetuſtiſſimo codice, nonniſi *tridentibus*, legitur: nam prima huius dictionis ſyllaba eſt longa, quæ in hoc verſu admitti non poteſt: illius autem, breuis. Hanc denique lectionem eſſe veram, illam vero mendoſam, perſpectum omnino fuit ex carmine illo Valerij Flacci dicentis:

*Virg. lib. 5. non procul a prin. Idẽ verſus legitur in 8. lib. nõ procul a fine.*

*Inſinditq. ſalum, & ſpumas vomit ære tridenti.*

Hic codex antiquior eſt Virgilio, qui extat in Bibliotheca Vaticana, necnon Virgilio, qui olim fuit Pomponij Læti, deinde Angeli Colotij Epiſcopi Nucerini, & in Bibliotheca extat Medicea. Aſſeruantur præterea in hac Fuluiana Bibliotheca libri Italica, & politiori quidem lingua, quam Hetruſcam nouam appellant, conſcripti: qui partim ex Bibliotheca Petri Bembi, partim ex alijs deſumpti ſunt, & præſertim Petrarca, hoc eſt liber ille inſignis non niſi verſibus rhythmicis conſtans, & ipſius Auctoris manu conſcriptus, quæ res ſingularis eſt. Quædam etiam hic aſſeruantur lingua illa, quam vulgo Prouenzalem vocant, conſcripta, in quibus Petrarcæ manus apparet. Quædam item Ioannis Boccacij, & aliorum virorũ inſignium manu exarata inibi videre eſt. Hæc denique Bibliotheca, vt huic tandẽ

Eee narrationi

narrationi finem imponam, a Fuluio Vrſino quadraginta ab hinc annis, ac plurimo ad id efficiendum ex Patrimonio ære collato, inſigniter conſtructa eſt, multis alijs rebus antiquis exornata, ob magnam codicum antiquitatem, & raritatem, & (quod caput eſt) bonitatē inſignis, ac ditiſſima ab omnibus, qui eam viderūt, exiſtimatur: atque hiſce tribus in rebus præſertim alias excellit Bibliothecas, atque item Vaticanam, quæ alijs de cauſis nō ſolum Fuluianā, ſed ceteras omnes ſuperare iudicatur.

Extat denique Romæ Bibliotheca inſignis Fratris Alphonſi Ciaconi Hiſpani, viri eruditiſſimi ex inſtituto ſancti Dominici. Hæc enim & librorū copia, & codicibus manuſcriptis, necnon rerum antiquarum varietate, & quàmplurimis virorum inſignium imaginibus ornata eſt, ac refertiſſima.

Nec ſilentio prætereunda videtur Manutiana illa Bibliotheca, mira librorum copia, & varietate, codicibus ſcilicet non ſolum impreſſis, ſed manuſcriptis etiam vetuſtiſſimis, Autographisq. refertiſſima, quam ipſemet Aldus iunior, vir ſane doctus, tum de bonis, ac politioribus litteris, tum etiam de litteratis viris, bonarumq. artium cultoribus optime meritus, ſuis ſumptibus, Principum tamen liberalitate adiutus, inſtituit, auxit, atque Romam aduexit: cum enim ipſe primum Romæ cum Paulo Patre viueret, eam ſtruere cœpit, poſtmodum Venetias profectus a Senatu Veneto in ſecretariorum numerum allectus, & præcipua humaniorum litterarum, vt dicitur, lectura inſignitus, aliquot ibi vixit annos, donec Bononiam accerſitus præcipuum in ea Ciuitate locum tenuit: inde Piſas a Franciſco Medice Hetruriæ Duce ad Latinam, & Græcam linguam de ſuperiori loco docendam vocatus, ibiq. iuris ciuilis, & canonici laurea decoratus. Romam tandem Sixti V. auſpicijs petens, minore potitur ſtatu, ſi præſentem ſpectemus: maiore, ſi eius merita, ſi Romanam ciuitatem, ſi, quod denique caput eſt, Pontificiam & indeficientem Sixti V. beneficentiam perpendamus: nulla enim alia res, vt opinor, hominem ipſum potuiſſet adducere, vt vel animo cogitaſſet, vel vt perficeret quod certe perfecit: octuaginta enim librorum ſalmas, & ſupra octuaginta voluminum millia, in quibus multa extant, quæ admodum ſingularia ſunt, Romam deferendas curauit: quibus in itineribus ad duo fere aureorum millia inſumpſit, animo ſane ſu-

ne ſu-



ne ſupra vires priuatas; hac fortaſſe ſpe ductus, vt tandem aliquando ab ijs, qui de litteratis viris bene mereri ſolent, ac debent, aliqua ſibi ex parte reſarcitum iri putaret, etiam ſi ipſe non niſi bonum, ornamentumq. publicum ſpectet, Aldum Auum, & Paulum Patrem non ſolum imitatus, ſed quodam etiam modo ſuperans: quorum omnium Aedes vbique locorū, vt optime noui, litteratis & probis hominibus ſemper patuerunt: ex quibus item tamquam ex equo Troiano viri præcipui, Card. Hieronymus Aleander Motenſis, Card. Rodulphus Pius Carpenſis, a cuius Familia Aldus ſenior in eam adoptatus Pij nomen accepit, Epiſcopi permulti, & alij innumeri: A Paulo M. Antonius Muretus multorum inſtar, & alij, quos longum eſſet recenſere, prodiere. De his omnibus, tribus ſcilicet Manutianis, qui nonniſi iuuandæ Reipublicæ Chriſtianæ diligentē nauarunt operam, memini me aliquando luſiſſe hunc in modū:

*Viri inſignes, qui e domo Manutianæ prodiere.*

*Aldus Manutius ſenior moritura Latina,*
*Græcaq. reſtituit mortua ferme typis.*
*Paulus reſtituit calamo monumenta Quiritum,*
*Vtq. alter Cicero ſcripta diſerta dedit.*
*Aldus dum iuuenis miratur Auumq. Patremq.*
*Filius atque Nepos, eſt Auus atque Pater.*

Aldus enim ſenior publicæ conſuluit vtilitati, dum impreſſoriā artem miro exercuit ſtudio, vt Latinam linguam, & Græcam, quas optime callebat, in priſtinum ſplendorem, Ioanne Baptiſta Alberto, Nicolao Peroto Epiſcopo Sipontino, Franciſco Philelpho, Io. Iucundo, Theodoro Gaza, Trapezuntio, Laſcare, Chryſolora, Muſuro, Vrbano, & Beſſarione ad eandem rem præſtandam in ſcribendo adlaborantibus, typis perpulchris reſtitueret: nam ea tempeſtate Græca, & Latina lingua maximā patiebantur iacturam. Paulus autem Aldi filius, alter Cicero in Latine ſcribendo, Romanam linguam collabētem in priſtinum nitorem ſtuduit reuocare, dum Latinorum monumenta diligēter ſcrutatus eſt. Aldus denique iunior Aldi Nepos, & Pauli filius, dum Auum, & Patrem, & typis, ac ſcriptis imitatur, vtriuſque linguæ non ignarus, Auum & Patrem imitatione repræſentat. Hæc de Aldina Bibliotheca, tribusq. Manutianis, necnon de inſignioribus Bibliothecis, quæ hac noſtra extant ætate. Nūc reliquum eſt, vt ad alia pertinentia ad Bibliothecas accedamus.

# *DE BIBLIOTHECARVM SITV, & librorum ordine, atque conſeruatione.*

NEc ab re futurum ſpero, ſi de Bibliothecarũ loco ſiue aſpe-ctu, librorum ordine & conſeruatione nonnihil dicatur. Quod ad locum pertinet, vt breuibus agam, eum editiorem, & humiditatis omnino expertem, ad orientemq. vt Vitruuio placet, ſpectare debere ſentio: vſus enim librorum matutinum expoſtulat lumen, quod non ſolum ſtudioſis, verumetiam codicum conſeruationi plurimum prodeſſe compertum eſt: nam in locis ſole carentibus, & præſertim in Bibliothecis opacis ob chartarum naturam humiditati, & corruptioni facile expoſitam, lanugo quædam, ſiue ſordes, aut illuuies illa, qualis naſcitur inter opaca domus, quæ diu non repurgatur, & ſitus etiã dicitur, non modo odorem quendam tetrum & aſpernabilem parit, qui aerem intra Bibliothecam incluſum inficit, & olfacientium nares offendit, verumetiam codicibus ipſis non parum obeſt. Huius generis incommodum euitari poterit, ſi Bibliotheca hinc inde habeat feneſtras, ex quibus lumen excipiat, & aer incluſus a ventis percuſſus habeat exhalationem, & expurgetur: verbis enim explicari vix vmquam poſſet, quantum damni & hominibus, & rebus denique omnibus aer corruptus afferre ſoleat.

*Vitruu.*

Quoniam vero non ſolum ſitu, aut putredine, ſed etiam puluere vermiculus ille, qui ligna, veſtes, & libros abrodit, & tinea dicitur, naſci ſolet, ne libri a tinea lædantur, eos frequenter euerrendos, & interdum excutiendos eſſe iudico: libri enim puluere obducti a tineis non parum vexantur, vt experientia monet: ad quam vexationem fugiendam, cedrino item oleo, cupreſſinisq. arcis vtebantur antiqui, vt Plinius ait, & Horatius hunc in modum teſtatur dicens:

*Horat. in arte Poet.*

> ———*Speramus carmina fingi*
> *Poſſe linenda cedro, & læui ſeruanda cupreſſo?*

Hoc loco Horatius appellat carmina cedrino oleo linẽda, quæ immortalitatem promerentur, & eiuſmodi iudicantur, vt poſteritati conſecrari debeãt: quæ enim huius arboris ſucco illinuntur, vel in arculis cupreſſinis cuſtodiuntur, cariem, aut tineam non ſentiunt. Plinius idem de cedri natura ſentit dicens: Ex cedro reſina laudatiſſima. Materiæ vero ipſi æternitas. Itaque & ſimulacra deorum ex ea factitauerunt. Cedrinus eſt Romæ in Delubro Apollo Soſianus Seleucia aduectus. Idem Plinius alibi de vſu cedrino in chartis perungendis loquens, ab Hemina in Annalibus ſcriptum fuiſſe ait, libros Numæ Pompilij repertos a Cn. Terentio ſub Ianiculo non computruiſſe, quamuis annis D XXXV. infoſſos, eo quòd cedrati eſſent. Dioſcorides autem inquit viuentium corpora a cedrino liquore corrumpi, corpora vero mortuorum conſeruari: hinc cedrum mortuorũ vitam a nõnullis vocitari affirmat. Seruius in illud Virgilij: *Antiqua ex cedro* oleo cedrino conſeruari chartas ait, quia cedrus ex vetuſtate nec tineas patitur, nec corruptionem: & propterea mortuorum imagines ex cedro teſtatur fieri ſolitas, vt aſſeruari perpetuo poſſent. Hinc natum eſt prouerbium: *Cedro digna*, ideſt æterna laude, vel immortalitate, quale eſt illud Perſij:

*Plin. li. 13 cap. 5.* — *Pl. lib. 13. c. 13. & li. 16. c. 40.* — *Dioſc. lib. 1. c. 86.* — *Seru. in li. 7. Virg.* — *Perſius ſati. 1.*

> ———*Cedro digna locutus.*

Huc ſpectat illud Martialis ad ſuum librum loquentis hunc in modum:

*Martial. libro 1. in princ.*

> ———*Cedro nunc licet ambules perunctus*

Et libro 5. Epigrammate 7. ait:

*Et libro 5. epiſt. 7.*

> *Quæ cedro decorata, purpuraq.*
> *Nigris pagina creuit vmbilicis.*

Et Ouidius libro 1. de Triſtibus.

*Ouid. lib. 1. de Triſt. Eleg. 1.*

> *Nec titulus minio, nec cedro charta notetur:*

Librorum igitur conſeruationi ſuccus cedrinus mirum in modum confert, ſicut eruditi viri teſtantur. Ego autem idem præſtari poſſe credo, ſi ex folijs cedrinis exſiccatis puluis conficiatur, deinde per libros diſpergatur, vel libri forinſecus eo perfricentur. Studendum præterea eſt, vt glutinum, quo libri compaginandi ſunt, ex farina & aceto, atque ex æris rubigine, ſiue viridi, vt aiunt, ære conſtet excoctum: ſi enim non ſit excoctum, vel ex farina, & aqua tantum conficiatur, non ſolum glutinum, verumetiam paginæ ipſæ, vt ego non ſemel expertus vidi, fiunt proculdubio tinearum eſca. Hæc de librorum conſeruatione, vt ad ordinem, ſeu diſpoſitionem accedamus.



De

*De librorum diſpoſitione, & ordine.*

NVnc reliquum eſt vt ad eorundem librorũ diſpoſitionem, & ordinem deueniamus: ordo enim, qui eſt in ſuo loco rei vniuſcuiuſque collocatio, adeo omnibus in rebus eſt neceſſarius, vt ſine eo cuncta confundãtur, & inter ſe permiſceãtur. Id quod in ijs præſertim, quæ ad rem litterariam ſpectant, euenire ſolet, cum ordo, vt ait Orator, memoriæ maxime lumen afferat: immo, eodem teſte, quidquid peccatur, perturbatione rationis & ordinis peccatur: nam ſi exempli cauſſa, Grammatica cum Mathematica, Poeſis cum Theologia, Theologia item cum Grammatica, & Poeſis cum Mathematica commiſceantur, ſicut nihil eo eſt perturbatius, ita nihil ſtudioſis incommodius euenire poteſt. Ordo igitur, vt rerum confuſio, & ſtudioſorum perturbatio de medio auferantur, ſeruandus eſt. Quamuis autem in doctrinarum ordine, ſiue in librorum diſpoſitione ſeruanda diuerſi diuerſa ſentire videantur, omnes tamen aliquẽ obſeruant ordinem non incommodum ſtudioſis.

*Cic. off. libro 1.* *Cic. lib. 2. de Orat.* *Cic. in Paradox.*

Dicam igitur ego quod ſentio: quodq. a multorum opinione non abhorret. Quælibet Bibliotheca in plures diuidenda eſt claſſes, quarum ſingula quæque multos complectatur libros: ſed vt a nobilioribus ſumam exordium, Biblia (quo nomine libri ſacri per excellentiam appellantur, cum ſit Liber doctrinam diuinitus inſpiratam complectens, omneſq. libros excellens) primo loco ſtatuenda credendum eſt. Sed inter varias Bibliorum conuerſiones manuſcriptas atque impreſſas, Biblia ſacra Vulgatæ editionis ad formam præſcriptam a Concilio Tridentino, & in Decreto ſacrorum Bibliorum contentam, primum locum tenere iure quidem debent: deinde Biblia Hebraica impreſſa, & manuſcripta, atque item Græca iuxta antiquitatis ordinem: poſtremo denique Commentarij omnes in Scripturam Sacram eodẽ antiquitatis ordine ſeruato ſequãtur.

*Prima claſſis.*

Hoc autem loco haudquaquam ſubticendum videtur quod de Biblijs manuſcriptis mihi ſeſe offert: vidi enim multa Bibliorũ exẽplaria manuſcripta, alia alijs antiquiora, quæ ſuis in Aedibus Romæ Antonius Cardinalis Carafa non ſine magno labore, atque impenſis coaceruauit, vndique ijs conquiſitis: nam de Biblijs Vulgatæ editionis ex Decreto ſacroſancti Concilij Tridentini



dentini emendãdis Congregationem iam inde a Pio IV. inceptam, in eiuſdem Cardinalis Aedibus haberi Sixtus V. mandauit. Vidi igitur multa Bibliorum exemplaria ex mẽbranis: ſed duo inter omnia tum temporis antiquitate, & characterum excellentia, tum etiam alijs nominibus nobiliſſima iudicantur. Horum vnum exemplar fuit Caroli Magni, magnificentiſſime ſcriptum, quod in Aedibus ſancti Pauli extra Vrbem aſſeruatur: alterũ vero in vetuſtiſſimo Ciſtercienſium Monaſterio Montis Amiatæ Agri Senenſis cuſtoditur totum litteris maiuſculis exaratum ſicut antiquitus apud Romanos ſcribi paſſim ſolebat. Id quod antiquitatem illam redolens circiter iam mille a Chriſto nato Redemptore noſtro annos exiſtimatur ſcriptum: nam tempore Beati Gregorij Magni conſcriptum fuiſſe omnino exiſtimatur, de quo in Commẽtarijs Pij II. fit mentio, dum de dicto Monachorum Cœnobio ſermo habetur, hiſce verbis: Sacram ſupellectilem habuit pretioſam, & Bibliothecã nobilem, cuius pauca extant volumina, inter quæ vnum maximum, & admirabile veteris & noui Teſtamenti litteris maiuſculis exaratum, quod Pius Pontifex cupide vidit. Nec ſilentio prætermittendũ cenſeo quod penes Hieronymum Cardinalem Ruſticucium ſeruatur: eſt enim exemplar vetuſtum, & in membranis ſcriptum, ſed ita magnifico & regio ſumptu, hoc eſt omnibus Bibliorum hiſtorijs per pictoriam artem ad amuſſim, & ad viuum per varios colores, & pulcherrimos quidem repræſentatis ornatum, vt nihil hac in re pulchrius, aut præſtantius deſiderari queat. Quæ quidem res Cardinale Ruſticucio, hoc eſt ſua ipſius magnificentia, atque ſplendore digna eſt. Huius generis Bibliorum exemplaria nobiles Bibliothecas reddunt inſigniores, in quibus poſt Scripturam ſacram Cõcilia, Diplomata, ſeu Bullæ ſummorum Pontificum, & ius Canonicum: deinde omnes in ſacram Paginam Commentarij tum ſcholaſtici, tum ſcripturales, ſed hi primo loco inter Commentarios ſtatuendi ſunt, deinde, vt ſic dixerim, Sermonarij, poſtremo autem opuſcula ad Theologicam facultatem, & Chriſtianam fidem ſpectantia, necnon Summæ ad conſcientiæ caſus pertinentes, Eccleſiaſticiq. denique libri ſunt apponendi. Hæc de prima, & digniori claſſe.

*Lib. 9. non procul a princ.*

Secunda Claſſis Philoſophiã complectens ſecundo apponatur

*Secunda claſſis.*

*Aul. Gell. lib. 20. c. 4. Cic. lib. 5. de fin.*

tur loco. Philoſophia vero iuxta ordinem Ariſtotelicum erit diſtribuenda: Ariſtoteles enim, vt Gellius tradit, & Cicero teſtatur, duas philoſophiæ ſpecies tradidiſſe dicitur: nam quædam exoterica: alia vero acroamatica dicebantur.

*Exoterica ſcripta.*

Exoterica, vt Gellius ait, dicebantur quæ ad Rhetoricas meditationes, facultatem argutiarum, ciuiliumq. rerum notitiam conducebant: hæc a Cicerone populariter ſcripta vocitabantur. Acroamatica vero a verbo Ἀκροάω, quod eſt audio, dicebantur ea, in quibus Philoſophia remotior, ſubtiliorq. agitabatur: quæq. ad naturæ contemplationes, diſceptationesve dialecticas pertinebant: quæ a Cicerone limatius, & perpolitius ſcripta nuncupabantur. Huius generis videntur eſſe omnia, quæ de natura ſubtilius ſcripta ſunt, & præſertim pars illa, quæ Phyſica, ſiue de phyſico auditu inſcribi ſolet, ac debet: hæc enim Philoſophiæ pars nonniſi maxima percipi poteſt difficultate, ſicut ex Epiſtola Ariſtotelis ad Alexandrum Magnum diſcipulum ſuum conſtat dicentis: Acroamaticos libros, quos editos quereris, & non perinde vt arcana abſconditos, neque editos ſcito eſſe, neque non editos: quoniam ijs ſolis, qui nos audiunt, cognobiles erunt. Hæc ex Gellio, qui vtrarumq. Epiſtolarum recitat exempla. Primum igitur locum, vt ordinem primæ Claſſis ſequamur, occupabunt Phyſicorum libri, & aliæ philoſophiæ naturalis partes, quæ multæ ſunt: deinde Politica, Ethica, Oeconomica, poſtremo autem Logica: Commentarij etiam, eodem primæ Claſſis ordine ſeruato, necnon Metalla, Alchimica, & Opuſcula quæcumque, ceteraq. omnia ad philoſophiam naturalem pertinentia ſtatui debent: poſtremum vero locum Indices, & alia id genus ſibi vendicabunt.

*Acroamatica ſcripta.*

*Gellius li. 20. cap. 4.*

*Tertia claſsis.*

Tertia Claſſis omnia, quæ ad Mathematicam ſpectant, complectitur. Huius ſcientiæ partes hoc ordine ſtatui poſſunt: Aſtrologia, Aſtronomia, Coſmographia, Geometria, Geographia, Muſica, & Arithmetica, necnon ea, quæ ad haſce diſciplinas reduci queunt: vt Statica de ponderibus: & Metrica de menſuris, & alia id genus permulta. Idem denique de Commentarijs, & opuſculis, & alijs rebus intelligendum erit quod ſuperius dictum eſt.

*Quarta claſsis.*

Quarta claſſis, quæ eſt de Medicina, ordinem ſuperiorem ſeruabit, quem in Philoſophicis libris ſecuti ſumus.

Quinta



*Quintæ claſsis.*

Quinta erit de iuris ciuilis prudētia, ordine ſuperiori ſeruato.

*Sextæ claſsis.*

Sexta erit de Grammaticis Hebraicis, & Græcis, ac de linguis, ac Dictionarijs, de Hiſtoria, Poeſi, Rhetorica, Dialectica Græce conſcriptis.

*Septimæ claſsis.*

Septima, ordine item ſuperiori ſeruato, complectatur Grammaticos Latinos, Hiſtoriam, Poeſim, Rhetoricam, Dialecticam, & in haſce artes Commentarios, necnon Dictionaria.

*Octauæ claſsis.*

Octaua erit de rebus mechanicis, quarum partes ſunt Ars Militaris, Agricultura, Architectura, Pictura, & Sculptura, Venatio, Aucupium, & Piſcatus.

*Nonæ claſsis.*

Nona erit de Opuſculis quibuſdam, quæ ſunt, Res vxoria, Aulica, Nautica, Ars natandi, & Culinaria.

*Decimæ claſsis.*

Decima complectatur Stromata, Encyclia, & Catholica: illa varias res, hæc diſciplinarum orbem continent.

De Bibliothecis hactenus, vt quæ de Typographijs dicere ſtatuimus, tandem aggrediamur. Qui plura de librorum ordine in Bibliothecis ſeruando ſcire cupit, Robertum Conſtantinum in inſignium Scriptorum Nomenclatore, necnon Ioānem Baptiſtam Cardonam Epiſcopum olim Dertoſanum de Regia ſancti Laurentij Bibliotheca legat. Hic etiam videre eſt quæ Fuluius Vrſinus de Bibliothecis in genere ſcripſit, necnon de Vaticana ex Onuphrij Panuinij non editis collegit: hæc enim Cardona typis mandanda curauit. Ego vero nonnulla de Bibliothecæ Vaticanæ Bibliothecarijs, & Cuſtodibus ex eo codice deſumpſi, vt ſuo loco ante Appendicem cernere licet.

# DE TYPOGRAPHICAE ARTIS INVENTIONE, ET PRÆSTANTIA.

TYPOGRAPHICAE artis inuentum vſui chartarum apud nos frequenti, & valde vtili, ita præſtat, vix vt verbis vmquam explicari queat. Hoc enim nouo ſcribendi genere, tantum vno die ab vno homine litterarum imprimitur, quantum vix toto anno, vt Polydorus teſtatur, a pluribus ſcribi poſſet. Hinc non ſolum mira li-

*Poly Virg. lib. 2. c. 2.*



brorum

brorum copia ad nos manauit, atque ita, vt quiſque, quamuis egenus, litterarum ſtudijs facilius incumbere queat, verum etiam Scriptorum monumẽta ab omni prorſum interitus periculo vindicata ſunt, & quotidie non modo ab huiuſmodi interitu, ſed ab alijs etiam incommodis, quæ multa ſunt, vindicantur. Quamuis autem impreſſoria huius generis ars in Europa, anno a partu Virginis 1442. fuerit inuenta, vt multi ſcribunt, eã tamen in magno Sinarũ Regno, ante annos plus minus bis mille in vſu fuiſſe, atque nunc eſſe accepi a multis, qui inibi diu vixerunt, & præſertim a Michaele Rogerio Neapolitano e Societate Ieſu, qui, cum vndecim annos ad Chriſtianam fidem propagandam eo in Regno vitam duxerit, nunc Romam ab eius Regni incolis miſſus, ait ſe legiſſe libros verbis, & characteribus Siniacis impreſſos ante Saluatoris noſtri aduentum annos circiter quadringẽtos. Typographica vero ars, quæ dicto in Regno exercetur, diſtat a noſtra: ea enim non habet characteres ex plumbo, ac ſtanno conflatos, quibus vtuntur noſtrates, ſed in tabulis inſculptos, quales nos interdum effingimus, cum figuras in tabulis ligneis, vel laminis æreis incidendas curamus, & alia id genus permulta. Vtuntur præterea Sinarum incolæ in imprimendo paginis tenuiſſimis ex cuiuſdam arboris

*Pag. 341. & 379.*

cortice confectis, vt ſupra a nobis non ſemel dictum eſt, cum de quodam libro apud Siniacos impreſſo, quem Frater Spiritus Vicentinus, ſummus olim Auguſtinianorum Magiſter Sixto V. dono dedit, mentionem fecimus. Huius item generis libros aliquot vidi aſſeruatos penes Michaelem Rogerium, nuper a me nominatum, qui mihi paginam Oratione Dominica, & Salutatione Angelica inſignitam, & verbis, & characteribus Siniacis impreſſam donauit. Vtuntur denique variorum colorum atramento, & vice glutinis alumen adhibent in paginis conglutinandis, aut tenuiſſime illinendis, vt quandam eis ſoliditatem, aut tenacitatem ad characteres recipiendos tribuant: nam ob miram chartarum tenuitatem, nonniſi altera cuiuſque paginæ facies imprimi ſolet, vt ego ipſe vidi. Hoc autem admiratione dignum eſt, omnes dictiones Siniacæ linguæ eſſe monoſyllabas, vt in Oratione Dominica, quam ſuo iam loco appoſuimus, videre eſt. Multos igitur poſt annos ars Typographica in

*Poly. Virg. lib. 2. c. 2.*

Europa anno ſalutis noſtræ 1442. inuenta fuit, vt Polydoro placet,



a Ioanne Guthembergio natione Theuthonico, equeſtri dignitate viro, ſicut ab eius ciuibus ſe audiſſe ait, in Oppido Germaniæ, quam *Moguntiam* Latine dicunt, vulgari vero ſermone *Maintz*. Decimoſexto deinde anno, qui fuit ſalutis humanæ 1458. quidam nomine Conradus, eodem Polydoro teſte, homo

*Pol. Virg.*

itidem Germanus, Romam primo in Italiam attulit, quam deinde Nicolaus Ienſon Gallus mirum in modum illuſtrauit. Hæc Polydorus. Volaterranus autem, duos fratres Alemannos in Italiam aduexiſſe artem impreſſoriam, & anno ab Orbe redempto 1465. Romæ inſtituiſſe, & Libros ſancti Patris Auguſtini de Ciuitate Dei, & Lactantij Firmiani inſtitutiones primum impreſſiſſe affirmat.

*Libri primum omnium impreſſi.*

Alij eiuſdem Auguſtini Confeſſiones primum impreſſas fuiſſe aiunt. Sunt qui velint huius artis inuentores fuiſſe Ioannem Fauſtum, & Iuonem Schœfferum anno Dominicæ incarnationis 1440. deinde a Ioanne Guthembergio eam illuſtratam fuiſſe in Germania: anno vero 1460. a Conrado item Germano Romam, a Sixto autem Ruſſinger Argẽtinate Neapolim aduectam, & in Italia ab Aldo ſeniore illuſtriorem fuiſſe redditam, & a Nicolao Ienſone Gallo in Galliam aſportatam. Sed in tot Scriptorũ controuerſia, apponere libet quod manu Mariangeli Accurſij exaratum in prima Donati Grammatici pagina inueni. Aldus enim iunior, vir quidem eruditus, & in Antiquorum monumentis indagandis accuratiſſimus, oſtendit mihi librum Donati ex membranis confectum, & impreſſum, in cuius priori pagina hæc ſcripta leguntur:

*Ioannes Fauſt, Ciuis Moguntinus, auus maternus Ioannis Schœffer, primus excogitauit imprimendi artem typis æreis: quos deinde plumbeos inuenit: multaq. ad artem poliendam addidit eius Filius Petrus Schœffer. Impreſſus autem eſt hic Donatus, & Confeſſionalia primum omnium anno 1450. Admonitus certe fuit ex Donato Hollandiæ prius impreſſo in Tabula inciſa.* Hæc ibi, vbi etiam a latere eadem manuſcripta leguntur: *Hæc ſcripſit Mariangelus Accurſius.* Hic liber eſt Grammatica Donati; non parum autem, quantum ad ordinem pertinet, ab ea diſtans, qua in Italia vti ſolemus: immo principium eſt adſimile Grammaticæ inſtitutioni Guarini, qui ab eo multa accepiſſe iudicatur. Huius codicis typi, & imminutus imprimendi modus rudem illam inuentionem præſeferunt:

*Antiquorum typi.*

characteres enim a primis illis Inuentoribus non ita eleganter,

& expedite vt a noſtris fieri ſolet, ſed filo in litterarum foramen immiſſo, connectebantur, ſicut Venetijs id genus typos me vidiſſe memini. Vtcumq. autem ſit, Typographia non ſolum a nobilibus, & eruditis viris, ac ditiſſimis quidem fuit inuenta, ſed etiam ab huius generis hominibus diu exculta. Hac autem tempeſtate, in qua per totum fere terrarum orbem exercetur, viliſſimus quiſque, perpaucis exceptis, egenus præterea, nulliusq. eruditionis homunculus eam illotis tractat manibus, ſpe tantum lucri aut mercaturæ exercendæ gratia ductus. Hinc factum eſt, vt ſoli fere Mercatores, quorum multi nullum norunt litterarum elementum, pauperrimis hanc artem hominibus exercendam cōmittant, quæſtum inde omnem deſumētes, & non niſi labores litterarum concinnatoribus, qui & Compoſitores dicuntur, necnon ijs, qui prælo præſunt, & Torculares vocitantur, relinquentes. Correctores inſuper vel ſatis mediocriter eruditi ob tenuiſſimam mercedem ad corrigendi artem eligūtur, vel ſi eruditi ſint, accurati eſſe non poſſunt, ob ingentem ſarcinam humeris imparem, quam tamen ſponte ſuſceperunt, vt die nocteq. adlaborantes victum quotidianum ſibi comparare queant. Id quod etiam Compoſitoribus, Torcularibus, ac Proto, ceteriſq. huiuſce artis operarijs euenire ſolet. Dira igitur lucri cupido, pace bonorū dixerim, hanc nobiliſſimam artem, & omni laude dignam deturpauit, viliſſimamq. reddidit. Quamuis autem hæc ars a priſtino illo ſplendore degenerarit, characteribus exceptis, qui nūc pulchriores ſunt, & in maiori extant varietate, addito item multarum rerum ornatu, non defuerunt tamen noſtra ætate viri eruditiſſimi, publicam vtilitatem adamantes, & honorem magis, quàm quæſtum ſectantes, qui ipſam diligenter excoluerunt, & in maxima conſeruarunt exiſtimatione. Quos inter, Aldus Pius Manutius ſenior primum hac in re locum occupauit, atque ita, vt omnibus in rebus quidquid exacti, quidquid pulchri, quidquid denique boni appareat, idipſum Typographiæ Aldinæ nomine ex prouerbio nuncupari ſoleat: fuit enim doctiſſimus, ac non minus re, quàm cognomine, Pius, omniq. laude dignus, vt in Bibliotheca Aldina fuſius dictum eſt. Audiui enim ab ijs, qui cum eo diu verſati ſunt, vt alias poſtabeam diligentias in Typographia præſtitas, duo ad ſummum folia, ſingula quaque hebdomada imprimi

*Pag. 402. & ſeq.*

ſolere,



ſolere, cum hodie totidem fere in ſingulo quoque prælo quotidie cudantur, nulla præſtita multis in locis accuratione, quin etiam (proh ſceleſtum, & nefarium facinus) poſthabito Correctore. Hinc fieri non poteſt, quin libri multis conſperſi mendis, atque hæreſibus imprimantur, vt frequentiſſime vidi. Huic ſane rei Principes Ciuitatum non ſolum priuatæ, ſed publicæ etiam vtilitati conſulentes, toto conatu inuigilare deberent: vix enim verbis explicari poſſet, quantum boni ex huiuſmodi arte naſcatur, ſi diligenter; contra vero, ſi negligenter, & ſpe ſordidiſſimi ſolum quæſtus exerceatur: cuius enim bonus vſus, illam rem bonam dicas oportet: contra vero, cuius vſus malus, ſicut de pecunijs, de armis, & de alijs dicendum eſt, & præſertim de ſclopo, quem vulgo vocitant arcumbuſium ab arcu & foramine, quod Itali *buſium* dicunt. Idem ſentiendum eſt de tormento illo æneo, quod *Bombarda* a *bombo*, *ardeo*, & *do*, paſſim nuncupatur: nam facit bombum terribilem ſcilicet ſonitum, ardet, & dat. Quamuis enim huiuſmodi tormentum bellicum, vt ait Polydorus, caſu repertum a quodā Germano homine admodum ignobile, ſed vt ait Genebrardus, a Bertholdo Schuartz, ſiue Nigro, quem deinde huius machinæ vſum Venetijs in illo bello, quod ad Foſſam Clodiam cū Genuenſibus anno ſalutis humanæ 1330. geſtum eſt, primum oſtendiſſe affirmat, non propterea diabolica res appellari debet, ſi vſus bonus ſit, hoc eſt in defenſionem Eccleſiæ, iuſtiſq. alijs de cauſis adhibeatur. Artis etiam Typographicæ vſus ſi ſit bonus, quantum inde boni naſcatur, vix vnquam dici poſſet: ſi autem ſit malus, alterum tantum mali ex eo oriri neceſſe eſt, vt experientia ipſa docet. Studendum igitur eſt, vt Ars typographica recte, & cum ſplendore tractetur non ſecus atque Aldus fecit, quem magna ex parte imitati ſunt Badius Aſcenſius, Frobenius, Iunctæ, Sebaſtianus Gryphius, Chriſtophorus Plantinus, & alij perpauci: ſed, vt verum dicam, nunc a ſplendore illo deſciuerunt. Quare Sixtus V. ad præclara omnia, & ſane pia contendens, Typographiam Apoſtolicam Vaticanam magnificentiſſime inſtituit, viris doctis vndique conquiſitis ad Concilia Generalia imprimenda, Sanctorumq. Patrum monumenta reſtituenda, Eccleſiaſticoſq. libros promulgandos, necnon ad catholicam diſciplinam toto

*Vſus bonus rē bonam reddit.*

*Lib. 2. c. 5.*

*Genebr. li. 4 anno Domin. 1380. Ex Platina, Herburto & alijs.*

*Typographia Vaticanæ initium.*

terrarum

terrarum orbe propagandam: quantum enim iacturæ paſſa ſit vniuerſa Theologorum, catholicorumq. Schola, quantove diſcrimini expoſita ſit, optime ipſe nouit. Hinc nobiliſſimã Typographiam, rem quidem Pontifice, quin ſe ipſo dignam in Vaticano inſtituit, Dominico Baſa Veneto, Typographo, homine quidem nauo & induſtrio ac ſagaci ad Typographiam erigendam atque regendam electo, qui pro huiuſmodi re præſtanda circiter quadraginta aureorũ millia inſumpſit nulli parcens incommodo, nulliq. impenſæ. Hæc præterea Typographia Apoſtolica Vaticana & elegantia, ac varietate, ingentiq. characterum copia, Latinis ſcilicet litteris, Græcis, Hebraicis, Arabicis, & Seruianis, necnon chartarũ pulchritudine ac bonitate, alijsq. rebus imprimendi arti neceſſarijs, ceteras Typographias longe antecellit, viris eruditiſſimis ad exemplaria (quod caput eſt) recognoſcenda & illuſtranda ſelectis. Id quod Typographiam ipſam reddit nobiliorem, in qua Scripturæ ſacræ, Concilia, Sanctorum Patrum ſcripta, aliorumq. Doctorum libri tum ſcholaſtici, tum ſcripturales, omneſq. denique codices ad Theologiam, catholicamq. diſciplinam, hiſtoriaſq. Eccleſiaſticas pertinentes accurate in dies imprimuntur. Hæc ſunt arma, quæ contra aduerſariorum machinas veritati tantopere oppugnatæ opem ferunt: hæc denique ſunt arma illa, ad quæ
*Epheſ. 6.* cohortatur nos Beatus Paulus dicens: Induite vos armaturam Dei, vt poſſitis ſtare aduerſus inſidias diaboli. Et infra: in omnibus ſumentes ſcutum fidei, in quo poſſitis omnia tela nequiſſimi ignea extinguere: & galeam ſaluris aſſumite, & gladium Spiritus, quod eſt verbum Dei. Hæc profecto arma a Franciſco Lamata Doctore Theologo, ex Prouincia Aragoniæ, viro quidem erudito, ſua in Epiſtola ad Sixtum V. ſatis belle explicantur. Quare ego, cum hæc mecum conſidero, in hanc deuenio ſententiam, nihil Typographiæ Vaticanæ erectione præclarius & opportunius ad catholicam fidem defendendam excogitari potuiſſe. Faxit autem Deus, qui bonum incipit opus & perficit, vt diuina hæc erectio illud habeat incrementum, quod a bonis ſperatur ac deſideratur. Hæc de Typographijs.

DE



# *DE SIXTI V. Aedificijs.*

QVoniam in Bibliotheca Vaticana ad pictoris arbitrium repræſentatur rerũ geſtarum Sixti V. Theatrum nobiliſſimum, a ratione alienum fore non puto, ſi in eiuſdem Bibliothecæ Appendice, omnia Aedificiorum genera a Sixto V. magnificentiſſime ad hanc vſque diem perpetrata hoc loco ſummatim apponantur, quamuis de nonnullis ſermonem iam habuerim, vt ſuis in locis videre eſt.

Anteaquam Sixtus V. omni immortalitate digniſſimus ad Pontificatum fuiſſet aſſumptus, Cardinalitia tamen dignitate decoratus, Palatium ſtruxit ſuo in horto, vel Viridario ampliſſimo picturis vndequaque ornatum, vbi nunc æſtiuo tempore frequenter habitare ſolet. Cum primum ſummus Pontifex diuina prouidentia creatus fuit, ſtatim Sacellum, in Aedibus ſanctæ Mariæ maioris ad Præſepe, quod nunc Sixtianum dicitur, aggreſſus eſt, atque Sacellum vetuſtiſſimum, quod Præſepe nuncupatur, eò integrum transferendum curauit. Hiſce in Aedibus cernuntur Statuæ Pij V. & Sixti V. egregiæ, necnon eorumdem ſepulchra magnificentiſſime ab eodem Sixto conſtructa. Miram huius Sacelli ſtructuram ſupra videre eſt. Scalam ſanctam in ſplendidiorem locum tranſtulit, eamq. necnon Sancta Sanctorum mirifice exornauit: ambulacrum, ſiue porticum ſuperiorem, & inferiorem Eccleſiæ ſancti Ioannis in Laterano, vbi ſummus Pontifex benedictionem in die ſancto Paſchatis elargiri ſolet, a fundamentis inſtaurauit, & illuſtriorem reddidit: atque inibi Palatium Pontificium a fundamentis reſtituit, ampliſſimum reddidit, admirabili ſtructura exornauit, & Pontificia dignitate dignum, in quo publica etiam Conſiſtoria celebrantur. Eccleſiam ſancti Hieronymi, & Illyricorum Nationi Hoſpitium a fundamentis, ſuisq. impenſis conſtruendum mandauit, vt fuſius ſuo iam loco dictum eſt. Scalam item longiſſimam & ampliſſimam, & pulcherrimis picturis ornatam Pontificum commoditati in Vaticano aperuit, qua ire poſſunt a Palatio Põtificio ad ſanctum Petrum abſque eo quod

*Pag. 30. 36. 280. et 281.*
*Pag. 17. et 22. de Scala S. & de pal. Later. De ſcala item pag. 247.*
*Pag. 24. et 265.*
*Pag. 239.*

in publicum exeant. Eccleſiam ſanctæ Sabinæ, vbi Cappel-
*Pag. 10. 17. 33. 37. & 273. & ſequen.* la Pontificia in die Cinerum celebratur, inſtaurauit. Obeli-
ſcos quattuor maximis quidem impenſis transferendos, & eri-
gendos curauit, vt ſuis iam locis fuſiſſime dictum eſt. Hoſpi-
tium, vel Xenodochium, ſiue Ptochodochium, & Ptochotro-
*Pag. 34.* phium, vt ſupra videre eſt, quam domum mendicantium vo-
cant, ad Pontem Sixtum extruxit. Statuam ſancti Petri aeneã,
*Pag. 13. 35. 281. & 283.* & inauratam ſupra Columnam Traianam: & Statuam ſan-
cti Pauli ex ære, & auratam ſupra Columnam Antonianam
*Pag. 263.* erexit, quam etiam multis in locis inſtaurauit. Lauacrũ mulie-
rum pauperum commoditati, & locum publicum Sericæ arti
commodum ad Thermas, Lanæ autem ad viam Felicem ad
Amphitheatrum, vel, vt dicunt, Coliſeum vſque inſtituit. Aquã
Felicem per longos aquæductus ex Agro Præneſtino ad XXII.
*Pag. 24. 25. & 26.* duo mille paſſ. Romam vſque ad Quirinalem mirificis impen-
ſis adduxit, eaq. Romam vndique irrigandam conceſſit. Mi-
rificam Fontis in Quirinali ſtructuram, & alia ſcitu digna ſuo
loco videre eſt. Ampliſſimum Pontificum commoditati Pala-
tium in Quirinali ſtruit, & exornat. Hoc in monte Phidiæ, &
Praxitelis equos & Aurigas inſtaurauit, necnon in ſplendidio-
rem tranſtulit locum & viam, quæ ab equis ad Portam Piam
ducit, excauauit, complanauit, & commodiorem reddidit, vt co-
*Pag. 254. & ſeq.* pioſius alibi dictum eſt, vbi multa de equis, digna quidem ſcitu,
videre eſt. Fontes publicos Romæ multos ſtruxit: Plateas com-
planauit, multasq. vias ſtrauit, quarum vnam Felicem vocant
ad quingentos, ac duo mille paſſus longam. Duas item lon-
gas, latasq. ad populi commoditatem, ac deuotionem ſtrauit
vias, quarum vna a Porta ſancti Laurentij extra muros ducit ad
Aedes ſanctæ Mariæ maioris ad Præſepe: altera vero ex eodem
*Pag. 27.* loco ad Thermas, ſicut vberius alibi narratum fuit. Nouam
item ſtrauit viam ab Aedibus ſanctæ Mariæ ad Præſepe ad ſan-
ctum Marcum, alteram ab Aedibus ſancti Ioannis in Latera-
no ad Amphitheatrum, aliam a Porta Salaria ad viam Piam.
Montem ſanctæ Mariæ Maioris, & Plateam ſancti Ioannis in
Laterano complanauit, & viam, quæ ducit ad Eccleſiam
ſanctæ Mariæ ad Præſepe, repleuit, & altiorem, commodio-
remq. reddidit. Plateam ſanctæ Mariæ Angelorum exor-
nat, ruderibus, parietumq. ruinis, aut veterum Aedificiorum
excidijs



excidijs vndique amotis. Turrim Nicolai Papæ in editiſſimo lo-
co ſitam ad nemus, vulgo Beluedere dictum, ſiue Pulchrum
viridarium prope Vaticanum Palatium, maiorem, ſiue altio-
rem reddidit, & aliqua ex parte reſtaurauit. Aedes in Palatio
Vaticano, loco aperto, ac ſalubri, gratoq. Vrbis aſpectu inſi-
gnes Pontificum commoditati facit, vt inſcriptio ipſa docet.

## *DE THOLO BASILICAE ſancti Petri.*

THOLVS Eccleſiæ ſancti Petri ſphæricus eſt, ſicut in-
fra videre licet, opus ſane adeo admirandum vt in toto
terrarum orbe nihil ex antiquis aut nouis ædificijs cum eo
conferri queat. Quamuis autem de ipſo ſatius ſit ſilere, vt
ille dixit de Carthagine, quàm pauca dicere, nonnulla ta- *Salluſt. de bello Iugurt. in princ.*
men tenui ſaltem penicillo deſcribenda eſſe cenſeo, vt qui
Romæ non adſunt, aliquam notitiam habeant. Huius ge-
neris opus tam immenſum, tantaq. admiratione dignum, Bra-
mante Architecto egregio, vt alibi dictum eſt, Iulio II. iubente *Pag. 4. & 252.*
cœptum fuit: deinde ab alijs Pontificibus intermiſſum, ſed Pau-
lo III. mandante, a Michaele Angelo Bonarota Architecto,
& Pictore eximio, & numquam ſatis laudato, reformatum eſt,
& auctum. Sacra hæc ſancti Petri Aedes, immenſa quidem,
& admirationis plena a ceteris deinde Pontificibus fuit conti-
nuata Sacello Gregoriano, Iacobi a Porta opere, & aliquot
teſtudinibus aucta: Tholus vero, quem Cupulam vocant,
tamquam moles operoſior, immo operoſiſſima ceterarum
totius machinæ partium, tum ob impenſas ſane ingentes, ſum-
mosq. labores, tum ob temporis diuturnitatem ab alijs Pon-
tificibus deſperatus, iubente Sixto V. ad res ſane arduas, ac *Sixti V. magnanimitas.*
præclaras producendas nato, duorum ac viginti menſium
ſpatio centum millibus aureorum ſingulo quoque anno con- *Impenſæ pro Tholo conſtruendo.*
ſumptis per operarios homines ad octingentos perficitur,
ſumma induſtria Fabij Blondi Patriarchæ Hieroſolymitani, &
opera ac labore incredibili Iacobi a Porta Architecti egregij, *Tholi Præfectus.*
tota Vrbe exultante, & admirante. Nam etſi ceteri ſum-
mi Pontifices huius generis opus tam pium, tamq. arduum

Ggg maiorem

maiorem in modum affectarunt, quod tamen vehementer cupiebant, executi non ſunt: eos enim impenſæ magnitudo deterruit, ac temporis longinquitas ab opere faciundo reuocauit: Architecti namque non niſi quinque decies centenis nummum aureorum millibus, decemq. annorum ſpatio mirificam, & operoſiſſimam illam molem erigi poſſe omnino affirmabant. Sixto autem V. illud idem aſſequi cupiente, aliquot magnæ exiſtimationis Architectos accerſiuit: ſed ij manifeſtam operis difficultatem, & breue temporis interuallum intuiti duriſſimam renuerunt prouinciam, quam Iacobus a Porta ingenij excellentia præditus, & egregie cordatus homo, Architectuſq. nobiliſſimus, omnium admiratione ſuſcepit, remq. ipſam iiſdem impenſis eodemq. temporis ſpatio ſupra enarratis vniuerſæ Vrbis, & Orbis exultatione abſoluit: moles enim ipſa operoſiſſima extrui cœpit anno ſalutis noſtræ M. D. LXXXVIII. Menſe Iulio ineunte, anno vero M. D. XC. die 14. Maij ſuam recepit perfectionem, exceptis laminis plumbeis, quibus Tholus contegitur, & bracteis aureis, quibus coſtæ mirifice ornantur; necnon Laterna columnis extructa, pila & Cruce inauratis ſuper Tholum collocatis: quæ omnia ſeptem deinde menſibus confecta ſunt: Menſibus autem vndetriginta, cuncta ſuis omnibus numeris fuerunt abſoluta.

*Architecti laudes.*

Vt autem aliquid de Tholo intimius a nobis deſcribatur, eius altitudinem, & latitudinem, necnon alia ad tantam molem conſtruendam, & ad Tholi ornatum pertinentia explicabimus. Tholus ipſe, ſphæricæ figuræ moles, a ſuo ipſius pauimento ad faſtigium vſque, hoc eſt ad initiũ vſque machinæ, quam vulgo Laternam vocant, quingentis palmis Romanis conſtat, latitudine vero diametrali, ducentis: ſuſtentatur autem, huiuſmodi moles quattuor paraſtatis, ſiue, antis immenſis marmorũ varietate incruſtãdis, quæ columnæ quadræ, ſiue pilaſtri a noſtris vocitãtur: ſingula autẽ quæque paraſtata eſt latitudinis octuaginta palmorũ ex qualibet parte aut facie. Super paraſtatis fornices quattuor ingẽtes ducti ſunt, quorũ quilibet centum inanitatis, aut vacuitatis palmos habet. Supra Tholi faſtigium, quod oculus dicitur, duæ ac triginta columnæ Tiburtinæ ſuper baſes ſphærice locatæ ſunt, quarum vnaquæque palmis viginti



viginti conſtat. Hæc res inſignem refert ornatum ad alterius Tholi, ſiue templi ſphærici formam conſtructa, quam vulgo Laternam vocant: & hac, puto, ratione hunc Tholi ornatum Laternam dictam, eo quòd laternam quandam repræſentet, quæ in Turribus, & in alijs id genus locis editiſſimis prope mare apponi ſolet, vt nauigantibus iter tutius præbeatur, quo cautius ad portum peruenire queant. Id quod etiam in triremibus præcipuorum virorum fieri ſolet, quarum puppis laterna inaurata ornatur, quã nonnulli Italiæ populi *Fanale* vocitare ſolent, alij autem, *Lanterna*, Veneti vero, *Phano* vocant, vocẽ mutuati a Græcis, a quibus dicitur Phanos, φανὸς, Latine autem laterna. Supra Tholi laternam locatur pila ænea inaurata, quæ ex diametro eſt latitudinis duodecim palmorum. A pauimento autem Laternæ ad cacumen vſque pilæ eſt altitudo palmorum centum. Supra pilam cernitur Crux item ænea et aurata, altitudinis palmorum quinque ac viginti. Quæ quidem omnia, haud facile dici poteſt, quantum ipſi Tholo ſplendoris afferant, & ornamenti. Hæc de Tholi altitudine, & latitudine. Reliquum eſt, vt exteriorem eiuſdem molis ornatum aliqua ex parte explicemus.

*Laterna.* *Phanos.* *Pila aurata.*

A quattuor feneſtrarũ ordinibus, & a culmine ipſo aperto ad latitudinẽ palmorum 200. ex diametro, Tholus excipit lumen, quarum quiſque ſexdecim feneſtris conſtans lucem item non ſolum amplis præbet ambulacris, quæ totum Tholum intra duos, & profundos quidem fornices circumeunt, ſed concauitatibus, & conuexionibus vndequaque lumen ſubminiſtrant: vndequaque enim a pauimento ad faſtigium vſque Tholi per Scalas fornicatas parietem interſecantes, partim planas, partim vero gradibus conſtructas commode iri poteſt: mira eſt enim parietum craſſitudo, atque ita, vix vt credi queat: ſexdecim autem ſunt ſcalæ inter vnam atque alterã Tholi coſtam ductæ, quibus ad Tholi culmen aſcenditur. Quæ profecto res eſt adeo narratu difficilis, vt non niſi ab ijs, qui eas viderunt, recte intelligi poſſit. Primus autem feneſtrarum ordo machinæ fornicatæ, Tholo ſubiacens (vt eo, vnde digreſſi ſumus, reuertamur) lapidibus Tiburtinis concinnatis & ſculptis, necnon duabus ac triginta columnis ornatus a baſibus ad epiſtylia, ſiue capitula, eſt altitudinis palmorum viginti.

Supra hunc primum feneſtrarum & columnarum ordinem opus egregium & admirandum Sixto V. ſedente ac iubente fieri cœpit, & abſolutũ fuit, ſaxis Tiburtinis conſtructum ad altitudinem palmorum 200. latitudinem vero ex diametro totidem palmorum. Huic ordini ſuccedit moles illa arcuata aut fornicata, in qua tota verſatur difficultas, mirumq. omnium ædificiorum artificium. Huius generis machina, ac ſtructuræ perfectio quamuis omnium peritorum iudicio ſeptem ad minimum annorum ſpatium poſtulaſſet, maxima tamen pecuniarum & operarum copia, vt ſupra diximus, induſtria item eorum, quibus hæc cura commiſſa fuit, ſuis omnibus numeris dictoq. temporis ſpatio ad finẽ deducta eſt: nam non ſolum moles arcuata aut fornicata laminis plumbeis vndequaque contegitur ſiue incruſtatur, ſed coſtæ item ſexdecim ab imo ad ſummũ ſubductæ vitro teſſellato, ac bracteis inaurato incruſtatæ cernuntur: quarum ſplendor tantus eſt, vt oculos intuentium reddant cæcutientes. *Pag. 417.*

*Inſtrumẽta ad Tholum conſtruẽdum adhibita.* De ijs, quæ ad tantam molem erigendam fuerunt neceſſaria, ſubticendum cenſeo, quia longum eſſet ea recenſere. Dicam tamen ex rudentibus quingenta librarum millia fuiſſe conſumpta, innumerosq. funes ad lapides Tiburtinos, columnas, lateres, cæmenta, aquam, ligna, ferrum, & alia id genus permulta ab Eccleſiæ pauimento ſurſum trahenda: cui ſane rei, die noctuq. incumbebatur: nam quotidie pro duobus Tholi fornicibus connectendis, ingenti Tholi oculo in eius ſummitate relicto, a quo lumen excipitur, ex ferramentis triginta librarum millia ſurſum extracta ſunt, tribus officinis Ferrarijs adhibitis. Armaturæ, vt aiunt, forinſecæ, ſiue fercula, ſuper quibus operæ ſuam exercebant operam, fuerunt innumera: ſed interior fuit tantum vna, quæ in vltima ex tribus Tholi partibus fuit adhibita: Hæc erat lignorum connexio præter ceteras trabes minores circiter mille, centum & amplius trabibus conſtans, quarum multæ erant ad longitudinem palmorum centum, atque ita craſſæ vt duo homines amplecti eas non poſſent: compactio vero lignorum omnis ſtuporis plena: erat enim ita ingenioſe facta, vt ſuper ſe fundata, nullo prorſus adminiculo adiuuante, in aere pendens videretur, iuxta Ciceronis dictum de terra, quam vndique in ſeſe nutibus ſuis conglobatam ait: *Cicero de Nat. Deo.*

atque



atque iuxta Pſalmographi ſententiam dicentis, terram firmatam eſſe ſuper ſtabilitatem ſuam, ideſt ſuper mundi centrum: ad quod terræ partes ita vndequaque ex ſui tendunt natura, vt ab ipſo centro declinare nullo penitus modo queant. Et Iob: Appendit terrã ſuper nihilum, nullum ſcilicet infra ſe habẽtem elementũ, ſuper quo fulciatur, hoc eſt ſuis libratam ponderibus, Ouidio teſte. Huius generis videbatur connexio lignorum illa. *Pſal. 103. Iob 26. Ouid. lib. 1. Metam. in prin.*

Quoniam vero nobiliſſimum beati Petri Templum ab ipſius Tholi magnitudine, & excellentia haudquaquam diſcrepat, immo ei, vt Anaſtaſius Germonius in ſuo de Sacrorum Immunitatibus libro erudite docet, omnino reſpondet omnem habens Symmetriam, hinc nonnulla de auguſtiſſimo Templo explicanda cenſeo. Templum igitur ordine Corinthio intus & foris extructum, lapidibusq. Tiburtinis diligentiſſime concinnatis, miroq. ordine diſpoſitis vndequaque incruſtatum, atque item hemicyclis, balauſtijs, acroterijs, ſemicorollis & floribus, & frondibus, atque fructibus contextis, Eccleſiæ ſanctæ inſignibus, epiſtylijs, triglyphis, acanthis, & id genus alijs rebus diſtinctum. Quæ omnia tantam afferunt elegantiam, tantamq. artis præſtantiam, quanta vix vnquam verbis exprimi poſſet. *Lib. 3. c. 1. num. 8. Templi deſcriptio. De his Vitruuius li. 4. cap. 3. & alibi.*

Ad Templum autem per plurimos aſcẽditur gradus, ad quorum aſcenſum ſeſe primum offerunt ſacræ beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli Statuæ in edito loco ſitæ. Poſt graduũ aſcenſum ſequitur Porticus perpulchris ſuſtentata columnis, deinde Templi frontem excelſam, & ob marmorum varietatem, multos hemicyclos, multasq. feneſtras, necnon ob alia ornamenta nobiliſſimum. Per quinque autem ianuas, quarum primaria nobiliſſima eſt, aditus patet ad Templum, inſtar Crucis formatum, Sacellis quattuor, Altaribus, hemicyclis, in quibus Statuæ collocandæ ſunt; columnis, picturis, atque alijs inſignitum rebus, quibus hodie abundare cernitur Gregorianum Sacellum, in quo non deeſt marmorum varietas ac nobilitas, nec item diſcolores deſiderantur columnæ, non muſiui, vermiculati ac teſſellati operis præſtantia, non picturæ ab excellenti effictæ artifice, nec denique auri copia. Hiſce omnibus de rebus copioſiſſime, ac doctiſſime quidem ſcripſit, præſertim vero in nominibus rerum explicandis, Aſcanius Valẽtinus Romanus Cardinalis Nouocomenſis a ſecretis, qui eruditum *Eccleſiæ gradus. Gregorianum ſacellum.*

edidit

*S. Gregorij Naziãzeni translatio.*

edidit libellum de Gregoriano Sacello, in quo ſancti Gregorij Nazianzeni corpus, nobiliſſima & admiranda, ſed ſacra quidem pompa 1580. die vndecima Iunij, feſto die ſancti Barnabæ ab Eccleſia ſanctæ Mariæ de Campo Martio Romæ a Monialibus Ordinis ſancti Benedicti religioſe exculta iuſſu Gregorij XIII. tranſlatum requieſcit, brachio tamen eiuſdem Sancti dicta in Eccleſia relicto.

De hac Tranſlatione, Italica lingua nonnulli ſcripſerunt, & præſertim Fortunius Lælius Cornetanus, & Io. Bernardinus Raſtellus Peruſinus. De Sacello Gregoriano ſcripſit item Laurentius Frizolius Poeta clariſſimus, & Lilij Gregorij Gyraldi Ferrarienſis celeberrimi viri alumnus.

*Reliquiæ ſacræ in Baſilica S. Petri aſſeruata.*

Ad Gregoriani Sacelli formam tria erunt altera, atque hunc fere in modum Altaria, quæ permulta ſunt, ornabuntur, & præſertim Altare illud celeberrimum ſancti Petri, in quo Sanctorum Apoſtolorum Petri & Pauli oſſa maximo aſſeruantur honore ac pietate iam inde a Silueſtro Papa, qui eorumdem Apoſtolorum corpora diuiſit, medietatemq. hoc in Templo, alteram vero in Baſilica ſancti Pauli: ſed capita eorumdem Apoſtolorum maxima cuſtodiuntur veneratione in Baſilica ſancti Ioannis Lateranenſis. Aſſeruatur denique hac in Baſilica ſancti Petri caput ſancti Andreæ, Sudarium ſanctæ Veronicæ, Saluatoris noſtri effigiem habens expreſſam: Lapis ſatis grandis, in quo multi Chriſti fideles martyrij coronam meruerunt: Lapis item porphyreticus, ſuper quem ſanctorum Apoſtolorum corpora a Silueſtro diuiſa ſunt, & Sedes ſancti Petri ex Antiochia tranſlata. Extat etiam inibi columna perbelle inſculpta ex Hieruſalem aducta, cui Saluator noſter, dum prædicaret, innixus fuit: eaq. maligni ſpiritus humana corpora vexantes abiguntur. Eodem in Templo ſanctorum Pontificum, aliorumq. Martyrum corpora requieſcunt; reliquiæ vero, quæ inibi magnæ cuſtodiuntur veneratione, innumeræ fere ſunt, & pretioſæ quidem, quas longum eſſet recenſere.

*Timantis exemplũ.*

Hæc de vniuerſa, atque immenſa Templi machina, totoq. fere terrarum orbe celeberrima breuiter dicenda viſa ſunt: cetera enim, quæ a me explicari non potuerunt, ſilentio inuolui, Timantem imitatus: qui quæ pingere non valebat, velamine picto tegebat. Vt autem de hoc auguſtiſſimo ac celeberrimo Templo aliquam notitiam viſu perceptibilem ijs, qui ab Vrbe abſunt, præbeam, eius Ichnographiam iuxta Bramantis delineationem a Michaele Angelo Bonarota reformatam hoc loco apponere libuit, vt infra videre licet.



## AEDIFICIA EXTRA VRBEM extructa.

SIXTVS V. Bononiæ Picentũ commoditati Collegium Scholarium erexit, & redditibus opulentis dotauit. Ciuitatem ad Aedes Lauretanas inſtituit, magniſq. impẽſis conſtruendã curat in honorem Deiparæ Virginis. Montaltum item patriam ſuam Ciuitatis iure donauit, multiſq. ædificijs auget, & exornat, vbi mons complanatur, atque officina Monetaria inſtituta eſt. Ad Centumcellas aquarum potabilium penuria laborantes, Aquæductus conſtruendos curauit, & ciuitatem ſalubribus aquis ditauit. Pontem inter Burghettum & Ocriculum ſupra Tibrim omnium commoditati ſtruendum curat: quæ res tanti momenti eſt, vt haud facile dici poſſit.

### Auctor operis ad Lectorem.

*Peroratio operis.*

ERrare poſſum, corrigi volo: homo enim ſum, & humani a me nihil alienum puto. Siquid igitur hiſce in meis commentarijs ob temporis anguſtiam mihi a grauioribus negotijs conceſſam minus recte dixerim, aut explicarim, in ijs præſertim, quæ ad Fidei doctrinam pertinent, S. R. E. cenſuræ me ſubiectum & emendationi paratiſſimum eſſe declaro: immo pro fide catholica meum profundere ſanguinem, & libentiſſime quidem: quin ſi mihi id eueniret, ſummæ felicitati aſcriberem.

*De erroribus Typographicæ artis.*

Quod autem ad impreſſionẽ libri attinet, ſcio nonnulla irrepſiſſe menda: ſed mirandum non eſt, cum fieri haudquaquam poſſit, vt liber vllus abſque ijs in lucem prodeat, ſicut experientia docet: verbis enim vix vmquam exprimi poſſet, quanta in mendis admittendis, omni etiam diligentia adhibita, ſit facilitas. Qui autem artem Typographicam norit, hac in re fidus mihi poterit eſſe teſtis: nemo enim eſt tam Lynceus, qui nuſquã ceſpitet,

*Typographicæ artis errorũ cauſæ.*

ceſpitet, nuſquam incurrat. tot namque litterarum concinnatorum errata ſunt, & plerumque ob exemplaria nimis confuſe conſcripta, quale fuit noſtrum, quod erat, vt ſic dixerim, illa prima Graphis, aut informatio, vt menda omnia auferri non poſſint: vel ſi auferantur, ab ijs deinde concinnatoribus ob eandem interdum cauſam ſuum in locum recognita non reponuntur. Adde etiam, quòd nonnumquam emendata inter imprimendum ab ijs, qui prælum tractant, corrumpuntur. Typographica igitur ars, vt multa vno verbo cõplectar, nimis eſt erroribus ſubiecta, ſexcẽtæ enim aliæ ſunt cauſæ, quibus facile admittuntur errores, & euitari vix vnquam poſſunt: quis autem tam accuratus eſſe poteſt, vt laqueos omnes vndique ſibi paratos euadere queat? nemo prorſus hominum. Sed vtcumque ſit, menda in fine Indicis videre eſt. Nec ſilentio pertranſeundum cenſeo, me hoc totum fere opus duos iam annos elucubraſſe, & pene abſoluiſſe, magnaq. ex parte iam inde ab eo tempore fuiſſe impreſſum, ſed Sixtus V. e medio curſu me reuocauit, grauioriq. negotio deſtinauit. Hinc factum eſt, vt in huius generis onere mihi impoſito, Biblijs ſcilicet Vulgatæ editionis ex ſacri Concilij Tridentini Decreto, ac præſcripto quàm emendatiſſime in lucem edendis, non ſolum ob multos ſtudiorum labores (Franciſco etiam Toleto e Societate Ieſu, viro ſane doctiſſimo, multisq. ab hinc annis ſummorum Pontificum Concionatore, adlaborante, & conſulente, ipſumq. Pontificem adiuuante, præuia tamen eorumdẽ Bibliorum vtilitate in Aedibus Antonij Card. Carafæ præſtita) verum etiã ob plurimas corporis defatigationes, quibus diẽ totum, maioremq. noctis partẽ conſumebam: quotidie enim, negotio poſtulãte, Sanctiſſ. Dom. non ſemel alloqui opus mihi erat, non ſolũ dum in Vaticano degebat, ſed eo etiam æſtiuo tempore, in Quirinali monte commorante, illuc vſque, ſolis ardore ſæuiente, e Vaticano adibam. Hiſce igitur de cauſis in diuturnam incidi febrem, atque adeo grauem, vt quater ab omnibus mortuus fuerim exiſtimatus. Sed qui me creauit, me denique recreauit, vt vita ſuperſtite ei melius inſeruire ſtudeam. Quare opus iterum ſum aggreſſus, ac tandem aliquando ad finem perduxi Deo fauente, cui ſit honor perpetuus, & gloria ſempiterna.

*Auctor ab opere reuocatus.*

*Summorũ Põtificum concionator.*

*F I N I S.*



INDEX

# RERVM PRAECIPVARVM QVAE IN HOC LIBRO CONTINENTVR.

## A.

AARON & Moyſes quomodo Chriſtū repræſentent. f.187
A, littera vnde ortum habuerit. 113
A, littera cur ſalutaris ex Cicerone. 114
A, initium primæ litteræ Alphabeti cuiuſcumque apud omnes fere Nationes non ſine myſterio. 92
A, non eſt ad virum magis quàm ad feminam pertinens. 92. Hinc primus homo Adam dictus eſt. fol. 92
A, plenitudo vocis appellatur, & ex ea fit pentagonum quinque repetita. 296
A, pronunciatur a viris in prima infantis luce, a feminis, E. 92
Abba, vnde Babba vel Babbo. 297
Abel luctus interpretatur. 86
Aborigines quaſi ſine origine, ideſt patribus. 135
Abraham Chaldæus. 85. & 86
Abrahami bellum commiſſum cum Rege Elamitarum. 85
Abrahami artes, quas ipſe inuenit, vel exercuit. 85
Abrahamus Syricarum, et Chaldaicarum inuentor. 84
Abſiſtere pro deſiſtere. 33
Abſiſto pro deſiſto. 33
Abſoluitor pro abſoluatur. 271
Abyſſinæ linguæ propagines duæ. 86
Αὐτὸς ἔφη hoc eſt, ipſe dixit. 127
Αὐτοκράτωρ, quid. 179
Achillis Statij Bibliotheca. 397
Adam primus homo damnauit ſæcula pomo. 79
Adam lingua Syriaca terrenus, vel pulueroſus dicitur. 194. & 195
Adam litteras inuenit. 78
Adam, ideſt terra rubra. 86
Adam primus & ſecundus. 173
Adam, Cain, Abel, & Noe nomina Syriaca. 86
Adam, vocis huius cur prima littera ſit, A. 92
Adam lapſus, ligon, pomum, & veſtis pellicea quid. 78. & 79
Adque pro Atque. 278
Aedificia Sixti V. omnia nominantur. 415
Aeſar, Deus lingua Hetruſca. 333

Aegyptij ſacras litteras à Mercurio edocti. 99
Aegyptij callent omnes Mathematicæ artes, quæ ab ipſis emanarunt ad Græcos: illi enim cælo ſereno perpetuo vtuntur. 115
Aegyptiacum Alphabetum. 108
Aegyptiarum litterarum inuẽtor: & Mercurio, & Memnoni tribuitur a diuerſis. 109
Aegyptiarum litterarum inuentrix ex Auguſtino. 99
Aegyptiarum litterarum inuentio antiquiſſima. 99
Aegyptiarum litterarum inuentores. 96
Aegyptiarum litterarum inuentor. fol. 108
Aenigma elegans de Phœnice aue. fol. 116
Aer inanitatis impatiens. 195
Aer inane dicitur. 195
Aldi Manutij Ortographia maior diffuſe docet, aſpirationem ab antiquis Latinis non niſi in vocalibus fuiſſe admiſſam, a conſonantibus ablatam. 19
Aldi Manutij Bibliotheca. 402
Aldobrandinus Card. & Legatus Poloniæ. 237
Alexander Magnus Gruem imitatus. 124
Alexander III. fugiens Venetias ſuperbiam Federici repreſſit. 201
Alexander Magnus, eiusq. Bucephalus in varijs numiſmatis repræſentantur. 257
Alexanter pro Alexander. 277
Alexandri Magni epiſtola ad Ariſtotelem de ſepulchro Cainan ante diluuium extructo, & de epitaphio inibi inſculpto Hebraicis litteris. 83
Alexandrina Bibliotheca a Philadelpho conſtituta. 47
Allium & cæpe pro Dijs apud Aegyptios. 98
Aliut pro aliud. 277
Alphabeti Hebraici prima littera omnium fere Nationum Alphabeticum primæ litteræ pronunciationẽ, vel ſaltem initium litteræ primæ dedit. 92.118.& 295
Alphabetum Phœnicæum. 117
Alphabetum Chaldaicum. 85
Alphabetum Armeniacum. 156
Alphabetum Iacobitarum. 84
Alphabetum Hebraicum nouum ab Eſdra inuentum. 91
Alphabetum Hetruſcum. 150
Alphabetum Illyricum. 160
Alphabetum Latinum figuras, nomina, formationem litterarum, ac pronunciationem habens. 144
Alphabetum Græcum. 112
Alphabetum Aegyptiacum. 108
Alphabetum Hebraicum antiquius. fol. 79.82.& 88
Alphabetum Hebraicũ vocales non habet. 93
Alphabetum Chaldaicum, & Syriacum cur eiuſdem characteris. fol. 86
Alphabetum Seruianum. 169
Alphabetum Phrygiacum. 104
Alphonſi Aragonum Regis Bibliotheca.





theca. 385. eius dictum de libro Vitruuij ſibi aſportato ſine aſſeribus. ibid.
Alphonſi Ferrariæ Ducis Bibliotheca. 394
Alphonſi Ciaconi Bibliotheca. 402
Alphonſus Ciacon de Cardinalatu S. Hieronymi. 168
Altare ligneum in Baſilica ſolum Lateranenſi reperitur: cur eo nonniſi ſummis Pontificibus liceat vti in ſacrificando. 6. & Cardinalibus Epiſcopis per Pontificiam diſpenſationem. 7
Altare ligneum, eiusq. priuilegium in Baſilica Lateranenſi primum a Conſtantino magnificentiſſime conſtructa. 176
Ambroſius ſanctus Theodoſium Imp. ab ingreſſu Eccleſiæ prohibuit. fol. 233
Ambroſius Maximum, qui Gratianum Imp. occiderat, pœnitentiam agere recuſantem, excommunicauit. 233
Ambroſius ſe Romæ ieiunare ait, Mediolani non item iuxta locorum conſuetudinem. 74
Ambroſius multos hæreticos conuertit, & Auguſtinum Eccleſiæ lumen baptizauit. 233
AMPLIAℲIT, pro ampliauit, &c. 141
Amphionis fabula. 251
Anaſtaſius Germonius de Concilijs habitis ab Imperatoribus, aut Regibus. 58
Anaſtaſius Germonius de Ordinibus Architecturæ iuxta Vitruuij doctrinam. 268
Anaſtaſius Germonius de tribus ord. ædificiorum. 208
Andreæ Apoſtoli caput. 422. vbi nũ aſſeruetur. 422
Angeli num habeant propriam dialectum. 302
Angelis quomodo res corporeæ obediant. 302
Angelorum corporeitas, eosq. pingendi vſus. 75. difficultas quædam grauis explicatur. ibid.
Angelus vno tantum modo loqui poteſt homini. 302
Angelus Angelo quot modis loqui poſſit. 302
Anglia quaſi noſtri orbis angulum. fol. 309
Angli tempore Gregorij Magni ad fidem conuerſi ſunt. 309
Angli quaſi Angeli. 309
Annibal Zitellus de numiſmatis. fol. 257
Annibal Zitellus de antiquitatibus, ac de imaginibus virorum illuſtrium. 180
Anni tempeſtatum emblemata. 197
Anni tempeſtates ab Ouidio deſcriptæ. 197
Annona Vrbi comparata ſatis larga. 34
Annona Vrbi & Italiæ ſubminiſtrata. 12
Animæ, quæ cum Iacob in Aegyptum fuerunt ingreſſæ, cur in Geneſi, et Exodo ſeptuaginta fuiſſe dicantur: in Actibus vero Apoſtolo-

ſtolorum ſeptuaginta quinque. fol. 292
Antipodes quinam ſint. 8
Antiphona ad Laudes Matut. Natiuitatis Domini. 32. & 65
Antiſigma ɔc. a Claudio inuentum. fol. 142
Antonij Auguſtini Bibliotheca. 386
Antonij Card. Carafæ ſumptus, & labores in Bibliorum emendatione. 407
Antonius Querengus de triremibus. 39
Antonius Card. Carafa de Biblijs. fol. 406. & 424
Antoninus Imperator cur pius fuerit nuncupatus. 36. Hic primus permiſit, vt Dominico die Reſurrectio celebraretur. ibid. Huic columnam dedicauit M. Antoninus philoſophus filius adoptiuus. ibidem.
Antoninus Pius Sixto primo ſedente imperauit, & a Sixto V. columna priuatus eſt. 291
Apecs pro Apex, & Gregs pro Grex apud veteres Latinos vſurpabantur. 137
Appendix in Bibliothecam Vaticanam. 272
Appendix in Bibliothecam cur facta. 273
Aput pro Apud. 277
Aqua ab Ouidio cur in poſtremo loco ponatur inter elementa, cum terra ſit aqua inferior, & grauior omnibus elementis. 193
Aqua procreationum origo. 194
Aquæ felicis Emblema 24. cur ſic dicta. 24
Ararat eſt in Armenia. 158
Arborum cortices ſcriptæ in Bibliotheca Vaticana aſſeruantur: etiã apud Aldum Manutium. 379
Arcta eſt via quæ ducit ad vitam, lata ad interitum. 127
Archimandrita quid. 67
Architectus Sixti V. Dominicus Fontana. 262
Architectus Sixti V. 250
Archiuum Romanorum Pontificum maxima exiſtimatione ac veneratione habitum. 52
Argi fabula: cuius caput Pauonis caudæ inſeruit Iuno centum oculos habens. 100
Argus myſtice ſumptus. 100
Ariana hæreſis omnibus amplior, & pernicioſior. 59
Arianæ hæreſis flamma totum depopulata eſt. 59
Arianos libros ex decreto Concilij Nicæni Conſtantinus Imperator comburi iubet. 62. qui autem eos celaſſe deprehenſus fuiſſet, capitali ſupplicio afficiebatur. 62
Arius Concilio Nicæno interfuit, ibiq. præſens fuit condemnatus, deinde Conſtantinopoli ſeceſſum petens exonerandi ventris cauſſa, effluentibus foras inteſtinis miſeram euomit animam. 61
Ariſtæas Ptolemæi Υπερασπιςὴς, ideſt protector. 47
Ariſtotelis & Quintiliani dictum de ſermone humano quomodo intelligatur. 106
Armeni, Græci, & Aetiopes ad fidei vnitatem redeunt. 216
Armeni nunc dicuntur Chriſtiani ſancti Thomæ e cinctura. 158
Armeniæ rex regno renunciat, & in Ordinem Franciſcanum ſe abdidit. 213
Armeni a S. Ioanne Chryſoſtomo Euangelicam doctrinam, & ſcripturam ſacram in Armenicam linguam translatam acceperunt. fol. 157. & 158
Armenorũ vulgaris lingua eſt Turcica, & Tartarica multas voces habens Hebraicas. 158
Armenicarum litterarum inuentor 155. Alphabetum. 156
Aſcanij Columnij Bibliotheca. 400
Aſcanius Valentinus de Sacello Gregoriano. 421
Aſina Balaam quomodo loquuta dicatur. 304
Aſiſij Bibliotheca in Cœnobio ſancti Franciſci. 394
Aſpiratio non in conſonantibus, ſed in vocalibus ab antiquioribus admitti ſolebat. 18. id quod a Cicerone item fuit obſeruatum. 19
At pro Ad. 277
Athanaſius ſanctus Concilio Nicæno interfuit, & contra hæreticos diſputauit. 60
Athanaſius falſo accuſatus de maleficio, Dei beneficio liberatur. fol. 247
Athenarum inſignia, noctua. 110
Attila a Leone primo placatur, dum clero & cruce ei occurrit. 66
Atſigno pro Adſigno. 277
Aud pro Aut. 278
Auguſtini ſententia de antiquitate linguæ Hebraicæ. 88. De Hebraicis exemplaribus corruptis. 95. 96
Auguſtinus maior Hieronymo, & Hieronymus maior Auguſtino, quomodo huius generis dictum intelligatur. 166
Auguſtinus, vt ipſemet fatetur, ab Ambroſio fuit baptizatus. 74
Auguſtinus morte præuentus intereſſe non potuit Concilio Epheſino. 65
Auguſtinus de ieiunio Sabbati conſuluit Ambroſium, qui ei reſpondit, ſe Romæ ieiunare in die Sabbati; Mediolani non ieiunare iuxta locorum conſuetudinem. fol. 74
Auguſtinus a ſanctiſſimæ Trinitatis indagatione dehortatur a puerulo nucis putamine aquam e mari hauriente. 243. & 244
Aues Memnoniæ, earumq. hiſtoria. 109
Auenionem Clemens V. Romanam Sedem tranſtulit, Gregorius XI. reduxit. 213
Aulai, & Aurai, Animai, Aquai, Terrai pro Aulæ, Auræ, Animæ, Aquæ, Terræ. 139

B.

B pro F, apud antiquos ſcriptores vt Bruges pro Fruges, &c. 141

B, pro

B, pro V, & V, pro B, tempore Gothorum Itali pronunciabant. 153
Badeſius de Sacello Sixtiano. 33
Balaam aſina quomodo loquuta dicatur. 304
Baptiſmi forma ab Apoſtolis tradita, eſt eadem implicite cum ea a Chriſto data. 73. cur ab Apoſtolis ad tempus mutata. ibid. Fuit mutatio non ſubſtantiæ ſed modi ſiue ritus. ibid. Hæc poteſtas mutandi ſemper fuit in Eccleſia, vt Concilium Tridentinum teſtatur. ibid.
Baptiſmum Conſtantini, & SS. Apoſtolorum Petri, & Pauli ei apparuiſſe multis auctoritatibus probatur. 181
Barbarus quot ſignificet. 294
Barbariſmus quid, & vnde dictus. fol. 314
Bargæus de Obeliſco. 11. & 20
Baſilica Lateranenſis quinque nominibus, aut titulis vocitari ſolet. 7
Baſilica cur ſic dicatur. 22
Baſilica ſancti Petri a Silueſtro primo, & ſub nomine eiuſdem Pontificis conſtructa Conſtantini Imperatoris impenſis: eiusq. deſcriptio. 3. & 4
Baſilica Lateranenſis a Fratribus olim culta, canonici vero ſacra tantum faciebant in ea, & ſacramenta ſubminiſtrabant. 22
Baſilica ſancti Petri a Conſtantino ædificata quamuis eiuſdem Petri prima dicatur, non tamen Archiepiſcopatus, nec Metropolis, nec Epiſcopatus: & cur prima dicatur. 7
Baſilium Magnum miraculis præpotentem Valens Imp. in exilium eijcere non valuit. 249
Bacca pro vacca. 297
Becus Patriarcha Conſtantinopol. in carcerem truditur. 210
Beccus vel Bech Phrygia lingua panis eſt. 105
Beccus roſtrum apud Gallos, & Italos. 105
Bedyi apud Phrygas aqua dicitur. fol. 105
Benicus de Tholo ſcripſit Latino verſu. 4
Benedicti Ariæ Montani Bibliotheca. 386. Hic edidit bellum contra Turcas. 217
Beſſarion Platonicus. 391
Beſſarion Trapezuntius Cōcilio Florentino interfuit. 216
Beſſarionis Bibliotheca Venetijs. 387
Beſſarionis Epiſtola ad Remp. Ven. de Bibliotheca ei data. 388
Beſtiæ num peculiarem habeant linguam. 304
Beta non vita dicendum in Alphabeto Græco. 297
Biblia manuſcripta Montis Amiatæ litteris maiuſculis. 407
Biblia manuſcripta antiquiora. 406
Biblia manuſcripta Caroli Magni in Aedibus ſancti Pauli extra Vrbem. 407
Biblia ſacra emendata ex Decreto ſacroſancti Concilij Trident. 229
Bi-



Biblia Quadrilinguis. 386
Bibliotheca Græca a Piſiſtrato inſtituta, a Xerſe ad Perſas aſportata, a Seleuco Athenis reddita. 46
Bibliotheca Vaticana velut quædam cancellaria, ſeu ſecretaria erat. fol. 54
Bibliotheca Alexandrina a Philadelpho conſtructa. 47
Bibliotheca Hebraica vnde ortum, & incrementum habuerit. 42
Bibliotheca Cæſarienſis triginta voluminum millibus conſtans a Pamphilo martyre fuit conſtructa. 50
Bibliotheca Eſdræ. 43
Bibliotheca Hieroſolymitana ab Alexandro Epiſcopo, & martyre conſtructa. 49
Bibliotheca canonicorum S. Petri. fol. 397
Bibliotheca tribus ordinibus conſtructa. 268
Bibliotheca Pontificia ortum a B. Petro habuit. 52
Bibliotheca Palatina. 49
Bibliotheca Ptolemæi. 47
Bibliotheca Romanorum. 48
Bibliothecæ Vaticanæ librarij, vel ſcriptores, & numerus. 56
Bibliothecæ Lateranenſis Gregorius II. 54
Bibliothecæ Pontificiæ. 52
Bibliothecæ Vaticanæ breuis deſcriptio, & ſumma. 1. & 2
Bibliothecæ Vaticanæ inſtitutores. fol. 387
Bibliothecæ Vaticanæ cuſtodes. 55
Bibliothecæ veſtibulum multas picturas comprehendit, & inſcriptiones duas, quarum vna continet Bibliothecæ inſtitutionem, incrementum, & tranſlationes: altera excommunicationem. fol. 269. & 270
Bibliothecæ Græcæ in monte Atho. 386. vbi extant viginti Monaſteria Monachorum Græcorum. fol. 386
Bibliothecæ Vaticanæ appendix. fol. 272
Bibliothecæ inſigniores ætate noſtra extantes. 383. & ſeq.
Bibliothecæ antiquorum. 384
Bibliothecæ Vaticanæ Præfecti iam inde a Sixto IV. ad hunc vſque diem. 54
Bibliothecæ Romanorum priuatæ permultæ. 48
Bibliothecæ Romanorum publicæ vndetriginta. 48
Bibliothecæ Vaticanæ deſcriptio. 78
Bibliothecæ antiquiores & celeberrimæ. 41. & ſeq.
Bibliothecæ noſtri temporis celebriores. 383. & ſeq.
Bibliothecam Pontificiam Aueniomem translatam a Clemente V. qui Romanam Sedem eo item tranſtulit, Romam denique Martinus V. referendam curauit, & in Vaticano locauit. 53
Bibliothecam Romanorum quinam Pontifices eam auxerint & ornarint. 52. & 53.
Iii Biblio-

Bibliothecas tam Græcas quàm Latinas Aſinius. Pollio primus Romæ promulgauit. 48
Bibliothecarum ſitus, & ordo librorum. 404
Bibliothecarum vſus apud omnes Nationes. 41
Bibliothecarum inuentio inſignis, neceſſaria, & omni laude digna. fol. 41
Bibliothecarius in Romana curia quibus nominibus nuncupabatur, eiusq. officium. 54
Bibo pro Vino, quaſi eorum viuere, bibere ſit. 297
Blancus alter Martialis 29. facilis, & purus in dicendo 242. Poeta nobiliſſimus. 266
Bæotia vnde dicatur. 121
Bombardæ vſus bonusne an malus. fol. 413
Bonauentura ſanctus in primarios S. R. E. Doctores refertur. 231
Bonauentura ſanctus de Pſalterio Romano. 94
Bonauentura Card. diſputat cum Græcis. 211
Bononiæ in Cœnobio ſancti Dominici Bibliotheca. 394
Bononiæ in Aedibus Canonicorum S. Saluatoris Bibliotheca. 395
Bordinus de geſtis Sixti V. 40
Bouem locutum fuiſſe tradit Liuius 107. cuinam id tribuatur. ibid.
Bramans Architectus, qui Templum S. Petri delineauit, & Michael vero Bonarota delineationem reformauit. 417
Breuiarium Rom. proprijs ſanctorum aliquot officijs auctum. 231
Bruta num peculiarem habeant linguam. 304
Bua & Pappa quid. 299
Bucephalus cur ſic dictus, & natura. 258
BuchuiZza lingua Sclauorum, id eſt litteraria a quibuſnam populis adhibeatur: Croatica eſt altera. fol. 163

## C.

C, littera cur condemnationis nota. 114
C, littera loco ipſius, Q, Romani vtebantur. 136
C, pro Q, vt Cuando. 299
C, pro Q. 299
C, apud Græcos veteres erat S. 301
C, cur pro centum. 148
CIƆ, quænam ſit nota in numerando. 149
Cabbalæ inuentor apud Hebræos. 89
Cadmi litteræ. 120
Cadmus Thebas condidit. 121
Cadmus Græcarum litterarum inuentor, ſiue inſtaurator. 118
Cadmus vbinam litteras inuenerit. fol. 121
Caduceatores appellabantur pacis Legati. 100
Caduceum quid, legatos pacis repræſentabat. 100
Cain, poſſeſſio interpretatur. 86
Cainam ſepulchrum ante diluuium extructum ab Alexandro Magno viſum. 83. Epitaphium inibi inſculptum. ibid.
Caiſar pro Cæſar apud antiquos ſcript. 141
Calabria multas habet ciuitates, quæ retinent nomina ciuitatum alterius Græciæ. 127
Calaris ciuitas in Sardinia. 360
Cardinales Galero rubro ac purpura donantur. 207
Cardinales cur maiores Epiſcopis, qui olim inter Cardinales preſbyteros, & presbyteros non Cardinales medium locum tenebant. fol. 166
Cardinales quando Galero rubro vti cœperint. 163
Cardinales in primitiua Eccleſia presbyteri nuncupabantur: eorum tituli, & officium. 164
Cardinales donantur veſte coccinea, cucullo inſigni ſiue lacerna donantur a Paulo II. Veneto. fol. 207
Cardinales ab Innocentio IIII. Federico II. Imperatore Galero rubro ac purpura donati fuerunt. 59
Cardinales quando ex Epiſcopis fieri cœperint. 167
Cardinalium laudes. 207
Card. Grimani Bibliotheca. 391
Carmenta a carminibus, vel a carpente dicta. 131
Carmenta latinarum litterarum inuentrix. 131
Cappellæ Pontificiæ a Sixto V. in vetuſtam ſummorum Pontificum conſuetudinem, priſtinumq. ritum reſtitutæ. 198
Capitolium cur ſic dictum. 265. quoties incenſum: de hoc nobiliſſimo olim loco admiranda narrantur. 265
Capitibus de tribus contentiones ſedantur in Concil. II. Conſtantinopol. 69
Capranicenſis collegij Romæ Bibliotheca. 397
Caſtellana lingua in Hiſpania ceteris præfertur. 335
Caſtitatis, & continentiæ triplicis Emblema 28. inſcriptio. 29
Cathari, id eſt puri, qui omittebant, Dimitte nobis debita noſtra, in oratione Dominica. 201. & 202
Catharorum hæreſis. 201
Cælum cur dextrum ac ſiniſtrum proprie non habeat. 80
Cæſariana Bibliotheca Varroni commiſſa. 48
Cæſar nomina Gallice deſinentia, in diſinentiam, & formam Latinam conuertit. 321
Cæſar Nebbius Pictor. 272
Cæſar Baronius de Ioue pluuio. 288
Cecchinus de Italia exulibus liberata. 10
Cecrops cur Diphyes, id eſt geminæ naturæ homo, vel partim homo & partim bellua dicatur. 111
Cecrops cur bicipiti effigie ſculpebatur a priſcis Gentibus. 113
Cecrops Græcarum litterarum inuentor. 110
Cecrops primus omnium Iouem appella-

pellauit, & nonnulla ad religionem ſtatuit. 113
Cedrinum oleum pro conſeruandis libris. 404
Cedro digna, prouerbium. 405
Centum cellæ, & varia huius ciu. nomina. 242
Centumcellæ aquis potabilibus ditatæ. 242. cur ſic dictæ. ibid. olim ciuitas vetus. ibid.
Cæphas & Petrus idem ſunt. 86
Cæphas, vox Syriaca, ideſt petra. fol. 347
Chair mer or hierchins. 158
Chaldaica lingua eſt illa, quam Hebraicam dicimus, & omnibus alijs antiquior. 86
Chaldæi Aſtrologiam inuenerunt, non Aegyptij. 85
Chaldaicum Alphabetum. 85
Chalcedonenſe Concilium contra Eutichen, & Dioſcorum in Chriſto poſt humanitatem aſſumptam non niſi diuinam remanſiſſe naturam aſſeuerantes ſub Leone primo, & Martiano Imp. celebratum. 66
Chalcedonis Ciuit. deſcriptio. 66
Charta, qua nunc vtimur, quomodo conficiatur. 381
Charta tenuiſſima ex Arborum corticibus apud Sinenſes, vel Chinenſes. 379
Charta, qua vtuntur Sinenſes, vel Chinenſes. 410
Charta vox Græca. 308
Charta bibula, & emporetica. 381
Charta vnde dicatur. 381
Charta indica. 348
Chartariæ officinæ inſigniores. 382
Chartarum vſus nouus. 381
Chartarum nomina varia. 381
Characterum ſiue litterarum inuentores. 78. & ſeq.
Chiuril, ideſt Cyrillus, lingua Seruiana. 170
Chriſti regnum quale. 191
Chriſtos Græcis characteribus decuſſatim, quid. 177
Chriſtum exercuiſſe poteſtatem tēporalem auctoritatibus ſcripturæ Euangelicæ probatur. 188
Chriſtus per abbreuiationem quomodo a Græcis ſcribatur. 178. Noſtrates imperiti id perperam ſcribunt. 179
Chriſtus quomodo per Moyſem & Aaron repræſentetur. 187
Chryſoſtomus bis in exilium miſſus, a S. Baſiliſco per ſomnum admonitus in Domino requieuit. fol. 238
Chryſoſtomus Euangelicam doctrinam, & ſcripturam ſacram tranſlatam dedit Armenis. 158
Chryſoſtomus Armenicarum litterarum inuentor. 155
Cicero de aſpiratione ablata in aliquot dictionibus ab antiquis, qui ea in vocalibus tantum vtebantur, ſe aliquando hunc modum ſcribendi vſum fuiſſe affirmat, ac denique concludit, dicens: Vſum loquendi Populo conceſſi, ſcientiam mihi reſeruaui. 19
Cincellum olim centumcellæ. 242

Circus



Circus maximus cur ſic dictus. 33. eius deſcriptio. 34
Ciuitas vetus aquis potabilibus ditata, eiusq. varia nomina. 242
Claoudia pro Claudia apud Latinos. 139
Claudij litteræ tres, Ⅎ, Ↄ, Ⱶ, Ph. 143. ac de litteris hiſce ſcripſit. ibid.
Claudius trium litterarum inuentor, ſed duæ vſu obliteratæ ſunt. fol. 140
Clemens V. Romanam Sedem Auenionem aduexit, eoq. Bibliothecam item Pontificiam tranſtulit. 53
Clemens V. vaſco abſens Pontifex creatur Peruſiæ, Lugduni coronatur multis Regibus adſtantibus, & Sedem Romanam Auenionem tranſtulit. 213
Clementis Papæ Martyrium. 170
Clementinarum decretal. conſt. codex promulgatur in Concilio Vienneſi. 214
Clepo pro furto aliquid ſurripere. fol. 271
Cletus, idem cum Anacleto. 53
Cæpe & allium pro Dijs apud Aegyptios. 98
Columna Traiana Statuæ ſancti Petri dedicata a Petro Galeſinio deſcripta fuit. 14
Columna Antoniana Iouem pluuiū habet inſculptum. 289
Columna, cui innixus Saluator noſter, dum prædicabat: & hac ſpiritus maligni expelluntur. 422
Columnæ Antonianæ deſcriptio. 35. Multa ſcitu digniſſima de ea videre eſt. 283. & ſeq.
Columnæ Traianæ deſcriptio. 13
Columnæ Traianæ inſcriptio antiqua, cuius dictio vna corroſa eſt: & hac in re variæ opiniones. 15
Columnæ Traianæ Epigrammata. fol. 282
Columnæ Antonianæ inſcriptiones nouæ quattuor. 283. & 284
Concilia a Regibus, aut Imperatoribus non ſine ſummorum Pontificum permiſſu, ſeu potius hortatu fuerunt acta. 58
Concilia 4. ab Apoſtolis habita. 57
Concilia orientalia. 58. & ſeq.
Concilia antiquitus apud omnes Nationes habita. 57
Concilia Occidentalia. 200. & ſeq.
Concilium Nicænum primum ac celeberrimum omnium Lateranēſi Generali ſecundo ſub Silueſtro Papa, & Conſtantino Imperatore contra Arianam hæreſim. 58
Concilium non ratum, nullius ponderis abſque ſummi Pontificis auctoritate habitum. 58
Concilium Nicænum chirographis de mortuorum Epiſcoporum miraculoſe ſubſcriptum. 61
Concilium primum a Cornelio contra hæreſim Nouatianam habitum fuiſſe creditur. 57. & 58
Concilijs quattuor tanquam Euangelijs honorem præſtandum eſſe ſanctus Gregorius Magnus affirmauit. 61
Concerpſerit pro laceraueritt. 271

Concor-

Concordantias Hugo Card. edidit. fol. 208
Confeſsio auricularis ſingulo quoque ſaltem anno facienda. 204
Congregationis Oratorij Bibliotheca. 397
Congruo, is, vnde dicatur. 124
Conſtantini donationem verã fuiſſe, etiam per Ethnicos, & Hebræos probatur. 182.& 183
Conſtantini donationem verã fuiſſe multis rationibus, & auctoritatibus probatur. 181.& ſeq.
Conſtantini vera effigies. 180
Conſtantini baptiſmum, & SS. Apoſtolorum Petri & Pauli imagines ei apparuiſſe multis auctoritatibus probatur. 181
Conſtantini reuerentia erga Sacerdotes, & liberalitas erga Concilium quantum ad largiſsimam, & Imperatoriam annonam. 60
Conſtantini numiſma. 180
Conſtantino Imperatore primum Concilium publicum celebrari licuit. 58
Conſtantino Crux in aere apparuit. fol. 176
Conſtantinum ab Arianis fuiſſe baptizatum: Hieronymus refutatur, eiusq. dictum declaratur. fol. 181
Conſtantinus Magnus Imperator Lateranenſe Palatium in Baſilicam conuerſum Silueſtro primo donauit, a quo baptiſmum ſuſcepit. 6
Conſtantinus poſt acceptam victoriam Crucem in vexillo apponēdam iuſsit, eamq. multis modis honorauit. 176
Conſtãtinus Crucem in ſublimi per celebriq. loco Romæ ſtatui iuſsit cum inſcriptione. 176
Conſtantinus Maxentium deuicit, ad Pontem miluium. 176
Conſtantinus Imp. a ſanctis Apoſtolis Petro & Paulo, qui ei apparuerunt, admonitus, accerſit Silueſtrum Papam, a quo lepra ſanatur, & baptizatur. 175.& 176
Conſtantinus multas Baſilicas conſtruendas curauit. 175. ad eius vſque tempus publice celebrare non licebat, nec Eccleſias habere. fol. 175
Conſtantinus in Concilio Nicæno ſedere noluit abſque iuſsu Epiſcoporum: ſedit denique in humiliori loco. 60
Conſtantinopolitana Eccleſia nõ eſt æqualis Romanæ Sedi præciſe & omnino, ſed quantum ad æqualia priuilegia & poſt Romanam Sedem primum locum obtinet, & ita intellexit ſexta Synodus. 73
Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ Patriarcha cur laicus in Concilio Conſtantinop. fuerit electus. 63
Conſtantinopolitano Concilio quattuor interfuerunt Patriarchæ. fol. 63
Conſtantinopolitanam Eccleſiã primum poſt Romanam primatum obtinere, nouamq. Romam eſſe in Concilio Nicæno decretum eſt. fol.





fol. 63
Conſtantinopolitanum Concilium IIII. ſub Hadriano II. & Baſilio Imp. contra Photium hæreticum. 76
Conſtantinopolitanum Concilium ſub Damaſo Papa, ac Theodoſio Imperatore cõtra Macedonium, qui Spiritũ ſanctum creaturam eſſe affirmabat. 62
Conſtantinopolitanum II. Concilium ſub Vigilio Papa & Iuſtiniano Magno Imp. contra Anthymum, Sergium, ac Theodorum Mopſueſtenum Neſtorianos, & alios Trinitatem ſanctiſſimam crucifixam fuiſſe affirmantes. 68
Conſtantinopolitanum III. Concilium ſub Dono, Agathone, & Leone II. tempore Conſtantini Imp. IIII. contra Sergium & alios, vnam tantum naturam & voluntatem in Chriſto affirmantes. 69
Conſtantinopolitanum Concilium IIII. & VIII. Generale ſeptem Generalia præcedentia confirmat. 77
Conſtantinopolis ciuitatis deſcriptio, variaq. nomina. 62
Contemptibiles de Eccleſia, ideſt ſæculares. 186
Continentiæ triplicis Emblema. 28
Conuiuium, Græce Συμπόσιον, pro compotatione, & concœnatione apud Græcos. 133
Συμπόσιον, ideſt conuiuium pro computatione, & concœnatione ſumitur apud Græcos. 133
Copia pro Dea habita apud Poetas. fol. 13
Corneliæ Graccorum matris puritas loquendi Latinæ, & eloquentia. 153
Cornelij Taciti locus emendatur. 125
Cornelius Tacitus de Græcarum litterarum inuentoribus. 113
Cornucopia nomen quid, & cuinam datum. 13
Coronatio Sixti V. 3
Coronatio Summorum Pontificum cur ante Aedes ſancti Petri, & non in Baſilica Lateranenſi. 3
Coronationis Sixti V. Inſcriptio verſu Latino. 5
Coruus & Pſittacus & Pica cur proprie loqui dici non debeant. 106
Croatica, & Buchuizza quid. 163
Crocodili lacrymæ quid. 98
Crocodilus cur Aegyptum repræſentet, eiusq. aſtutia. 97
Crocodilus quid, eiusq. natura. 97
Crocodilus cur ab Aegyptijs colebatur. 97
Croton ciuitas vetuſtiſsima in Calabria. 126. in poſtilla. Metapontum ciuitas vetuſtiſsima Apuliæ 126. in poſtilla.
Cruce ſignati. 208
Crucem Conſtantinus multis modis honorat. 176
Crucem in ſublimi ac percelebri loco Romæ ſtatui iuſſit Conſtantinus, cum Inſcriptione. 176
Crucis ſignum, quod Conſtantino appa-

apparuit, varie narratur. 178.
Ex nummis varijs item. 179
Crux triplex in numiſmate Conſtantini quid ſibi velit. 180
Cuſtodes Bibliothecæ Vaticanæ. 55
Cybeles per terram ſignificatur. 194 quot nominibus nũcupetur. ibid.
Cydaris quid. 187
Cypriani canon de hæreticis rebaptizandis a ſexta Synodo non recipitur totus. 72. quomodo recipiatur. 73
Cyrilli ſancti corpus tranſlatum in Eccleſia ſancti Hieronymi Illyricorum. 170
Cyrillus Hieroſolymit. Concilio Conſtantini interfuit. 63
Cyrillus pro Dalmatis impetrauit, vt ſuo idiomate diuinum officium recitare poſſent, & Romam corpus ſancti Clementis Papæ aſportandum curauit, & Seruianum Alphabetum inuenit. 168
Cyrillus aliarum Illyricarum litterarum cultor præcipuus. 168
Cyrillus, lingua Seruiana, Chiuril dicitur. 170
Cyrillus Alexandrinus Patriarcha Epheſino Concilio præfuit. 65
Cyrillus deuictum philoſophum proterit, & conculcat. 239

D.

D, littera pro numerandi ratione cur pro ſexqui millen. numero. 149
Damaſceni hiſtoria de manu ſibi abſciſa, & miraculoſe reſtituta. fol. 241
Daniel cum ſocijs in ſchola Babylonica 44. vbi non nulla digna de Daniele narrantur.
Dauar, Dauer, & Deuer apud Hebræos quomodo differant variatis punctis. 94
Dauid ſolium, in quo Chriſtus ſedere debebat, nonniſi poteſtas temporalis fuit. 188
Demarathi hiſtoria de eius aduentu in Hetruriam. 150
Demarathus Hetruſcarum litterarum inuentor. 149
Demetrius Phalereus Ptolemæi Bibliothecæ præfectus. 47
Decuſſare quid ſit. 177
Deus cur quattuor tantum litteris apud omnes appelletur: eiusq. nomina. 102. & 103.
Dialecti, ſiue linguæ omnes. 291
Dialecti Græcorum quinque. 293
Dialectus quid. 293
Dianæ Templum ab Heroſtrato Epheſio combuſtum. 33
Didaci canonizatio. 249
Digamma Aeolicum Ϝ, a Claudio inuentum. 141
Dioſcurias ciuitas trecentas Nationes habuiſſe fertur. 293
Dioſcorus primus contra Papam libellum confecit. 67
Diphthongi Græcæ a Latinis vſurpatæ. 138
Dolor & labor habent vnum tantum nomen apud Græcos. 133. πόνος pro dolore ac labore apud Græcos. 133

INDEX.

Dolus malus pro fraude. 271
Dominicus ſanctus contra Albigenſes hæreticos pugnam ſuſcepit: ab Honorio III. ſui ordinis confirmationem accepit, Auguſtini regulam recipiens. 205
Dominicus Baſa Typographus Vaticanus. 414
Dominicus Fontana quattuor tranſtulit Obeliſcos, & ædificia multa, librumq. de his, & de modo transferendi confecit. 250. 267. & 272.
Dominicus Fontana Sixti V. Architectus. 250
Domitiana Bibliotheca. 48
Domus Mendicantium 34. De hac domo inſcriptiones. 35
Donatio Conſtantini a multis Imp. & Reg. confirmata. 184
Donationem Conſtantini veram fuiſſe multis rationibus, & auctoritatibus probatur. fol. 181. & ſeq.
Donationem Conſtantini verã fuiſſe, etiam per Ethnicos, & Hebræos probatur. 182. & 183
Donationis Conſtantini Scriptores omnes recenſentur. 184
Donationis Conſtantini decretum Græce conſcriptum in Bibliotheca Vaticana aſſeruatur, & a Gratiano citatur, & in Decretis reperitur. 184
Duo pro Δύο dictione Græca, Υ, in u conuerſa. 139
D, pro T, & T, pro D. 278
D, pro Z, vt Medentius pro Merentius. 138

E.

E, vox eſt magis feminæ, quàm viri, vt in prima infantis luce experimento diſcitur. fol. 92
Ego ſum principium, & finis: primus & nouiſſimus, explicantur. fol. 174
Ei, pro, i, quando fuerit vſus. 139
Elementorum ordo ex Ouidio. fol. 193
Elementorum emblemata ad feneſtras Bibliothecæ. 193
Elingues pene ſumus in Latina lingua. 154
Elephas quomodo intelligere dicatur. 305
Elephantis natura. 304
Emblema de Epiſcopatus Lateranenſis poſſeſſione a Sixto V. capta, Iaponibus Regibus comitãtibus, cuius rei faciendæ Pontificia deſcribitur pompa. 6
Emblema de Iubileo in initio Pontificatus Sixti V. celebrato. 16. magnam Populi deuotionem hac in re deſcriptam inibi videre licet. fol. 16
Emblema de Sacello Sixtiano. 30
Emblema de triplici caſtitate, & continentia. 28
Emblema primum de coronatione Sixti V. 3
Emblema de annona Vrbi & Italiæ ſub-

ſubminiſtrata. 12. Emblematis explicatio. ibid. eiuſdem inſcriptiones. ibid.
Emblema de aqua felici 24. cur ſic dicta. 24
Emblema de domo Mendicantium. fol. 34
Emblema de Italia prædonibus, & exulibus liberata 8. eiuſdem Emblematis declaratio. 9
Emblema de Statua ſancti Petri in columnæ Traianæ faſtigio erecta. 14
Emblema de Obeliſco ſanctæ Mariæ de Populo. 33
Emblema de vijs a Sixto ſtratis. fol. 27
Enoch ſcripta, & quid contineant. 383. Hæc ſcripta fuiſſe multi viri docti, & antiqui teſtantur. ibidem. Idem ait B. Iudas. fol. 384
Enos cœpiſſe inuocare nomen Domini quomodo intelligatur, cum eum Abel & Cain eum præceſſiſſent. 83
Epheſinæ Ciuitatis deſcriptio. 64. Huic Concilio præfuit Cyrillus Patriarcha Alexandrinus. fol. 65
Epheſinum Concilium ſub Cæleſtino Papa, & Theodoſio iuniore coactum contra Pelagium, & Neſtorium, qui Chriſtum purum hominem eſſe ſentiebant. fol. 64
Epicharmi litteræ. 120
Epicharmus duarum litterarũ inuentor apud Græcos. 128
Epigrammata duo de Aqua & Fonte felici. 25
Epiſcopatus Lateranenſis poſſeſſio a Sixto V. capta, cuius rei faciendæ Pontificia pompa deſcribitur. fol. 6
Epitaphium in ſepulchro Cainam inſculptum. 83
Epitaphium Seruiana lingua inſculptum in Templo ſanctæ Mariæ de Aracæli reperitur. fol. 170
Equi Phidiæ & Praxitelis tranſlati in honeſtiorem locum, & inſtaurati. 254
Equus viſa equæ ſtatua hinnitum edidit. 255
Eſdras Prophetarum volumina correxit, & ſacros omnes libros reparauit, vetusq. Teſtamentum in duos ac viginti libros diſtinxit, vt tot eſſent libri in lege, quot habentur & litteræ. 90
Eſdras Bibliothecam Hebraicam reparauit, multos libros emendauit, & præter duos illos canonicos, quattuor ac ducentos libros edidit, & Cabbalam tradidiſſe fertur: hosq. libros picus Mirandulanus ſe habuiſſe ſcribit. 43
Eſdras quomodo propheta dicatur: Hebraicarum litterarum recentiorum inuẽtor, Cabbalam apud Hebræos collegit. 89
Eſdras Codicis Iudæorum per ſententias, membra, & verſus, atque per interualla quædam diuiſit. 90
Eſdras cur mutauit litteras antiquiores in Aſſyriacas, quibus nunc vtuntur Hebræi. 92
Eſdræ tertius, & quartus libri non ſunt canonici, nec vnquam recepti, immo nunc e Biblijs expuncti ſunt. 89. 90. ſunt tamen a Patribus citati, & ab ijſdem non canonici appellati, quamuis ſint alicuius auctoritatis. 46. & 90
Eſdræ libri duo Bononiæ in Bibliotheca Cœnobio S. Dominici. 394
Eſdram accentuum, ac punctorum inuentorem fuiſſe Hieronymus negat. 90
Eſter liber in corio conſcriptus in Bibliotheca S. Saluatoris Bononiæ. fol. 395
Eſto pro ſit. 271
Etruſcarum litterarum inuentor. fol. 149
Euander apud Aborigenes litterarum inuentor. 135
Euandri litteræ Latinæ ſex. 136
Eugubij tabulæ æneæ inſculptæ litteris. 151
Euphrates idem quod Hebra. 86
Eutiches archimandrita, & eius hæreſis. 67
Exulum, & prædonum expulſio ab Italia. 8
ΕΝ ΤΟΥ ΤΩΙ ΝΙΚΑ, ideſt in hoc vince. 176

F.

F, littera a Claudio inuenta. fol. 140
F, littera eſt duplex Gamma Græcum Γ, Γ. 141
F, pro H, vſurpabatur ab antiquis Scriptoribus, vt Fordeum pro Hordeum, & Feneti pro Heneti, deinde Veneti. 141
F, littera pro Ph. in varijs inſcriptionibus marmore inciſis reperitur vſurpata. 260
F, pro V, apud antiquos Script. vt Finum pro Vinum, Fulgus pro Vulgus, Fixit pro Vixit. 141. hæc pronunciatio in Gallia Ciſalpina vſurpatur, vt Bref pro Breue. ibidem.
Ⅎ, littera pro V, vt AMPLIAⅎIT. pro ampliauit. 141
Ⅎ, Digamma Aeolicum a Claudio inuentum. 141
Fabius Blondus Patriarcha Tholi ſtructuræ præfectus. 4. 17 & 417
Farneſiana Bibliotheca. 398
Federici Vrbinatis Ducis Bibliotheca. 394
Federicus Valuen. 56. & 272
Federicus II. Imperator ab Innocentio IIII. imperio priuatus eſt. 187
Felis Lunam ſignificabat apud Aegyptios. 97
Felis oculi, Luna creſcente, maiores: decreſcente, minores fiunt. fol. 97

*Fidei, aut bonis moribus non repugnans indifferenter ſeruari poteſt, quomodo intelligatur.* 74
*Figura quadrata ſtare cernitur, quacumque vertatur.* 5
*Florentia olim Fluentia.* 215
*Florentiæ Bibliotheca in conuentu S. Marci, vbi commorantur patres S. Dominici.* 393
*Florentinum Concilium* 215. *quid contineat.* 216
*Foderunt manus meus,&c. Hæc verba ab Hebræis fuerunt corrupta. fol.* 94
*Fons Capitolinus, olim Tarpeius. fol.* 265. & 266
*Fons felix in colle Quirinali.* 24. *eiusq. inſcriptiones ibid.* & 26. *cur ſic dictus* 24. *tria admirabilia comprehendit.* 25. *hiſtoriæ in eo exculptæ, ibidem. eiuſdem deſcriptio.* 26
*Fons Caballinus cur muſis ſacr. fol.* 121
*Fons Caballinus vnde ortum habuerit.* 121
*Fortunius Lælius de Tranſlatione ſancti Gregorij Nazianzeni. fol.* 422
*Forum Iulium quam linguam habeat.* 348
*Franciſci Ximenis Bibliotheca complutĩ. Hic vniuerſitatem complutenſem erexit, & Biblia complutenſia ſumptibus ac laboribus immenſis edidit.* 386
*Franciſci Mariæ Ducis Vrbini Bibliotheca.* 394
*Franciſci I. Gall. Regis Bibliotheca. fol.* 386
*Franciſcus Lamata de armis contra hæreticos ad Sixtum V.* 414
*Franciſcus Toletus de poteſtate temporali, quam habuit & exercuit Chriſtus, & Apoſtoli. fol.* 189
*Franciſcus Toletus pro lingua ſancta intelligenda quattuor ac viginti cauſas conſcripſit, quibus Hebraica ſcriptura corrupta fuit, atque corrumpi poteſt.* 93
*Franciſcus Toletus de Biblijs a Sixto V. editis.* 424
*Franciſcus Pena de Canonizatione S. Didaci.* 250
*Franciſcus Auantius Canonizationem Didaci Latine conſcriptam in Italicam linguam emendatiorem feliciter tranſtulit.* 250
*Franciſcus S. viſus eſt Innocentio III. per quietem Eccleſiam Lateranenſem humeris ſuſtinere* 205. *hinc ab eodem Pontifice Ordinis ſui confirmationem ſuſcepit. fol.* 204
*Franciſcus ſanctus de Pſalterio Romano.* 94
*Franciſcus Badeſius de Sacello Sixtiano.* 33
*Franciſcus Bencius de Tholo ſcripſit verſu Latino.* 4
*Francorum Regem Zacharias regno priuauit.* 187. & 190
*Frater ſpiritus Vicentinus.* 397
*Fructus Virginum, Coniugatorum, ac Viduorum.* 29
*Fuggerorum Bibliotheca.* 386
*Fuluij Vrſini Bibliotheca.* 400
*Fyo, vel Fya quid.* 145. *de hoc nomine multa ſcitu digna narrantur.* 145. 146. & 147. & *vide veriorem ſententiam in poſtilla. fol.* 147

G.

GALLICAE *quædam voces, quibus Itali vtuntur.* 347
*Gallicæ quædam voces explicantur. fol.* 369
*Galliæ Legatio.* 237
*Georgiana lingua Armenicæ, & Tartaricæ media eſt.* 158
*Germanicæ linguæ propagines multæ.* 86
*Gibellinorum & Guelforum ſectæ. fol.* 201
*Gladij duo, quos penes ſe Apoſtoli eſſe dixerunt Chriſto, nonniſi duplicem poteſtatem repræſentabant.* 190
*Gladius in vaginam reponendus ad tempus.* 191
*Gladius eſt naturalis & artificialis. fol.* 106
*Glutinum pro compaginandis libris quale debeat eſſe.* 405
*Gordiana Bibliotheca.* 48
*Gothicam linguam Romani didicerunt, teſte Auguſtino.* 153
*Gothi, Oſtrogothi, & Vuiſigothi quinam ſint.* 153
*Gothorum litterarum inuentor. fol.* 152
*Gothorum tempore B, pro V, & V, pro B, ab Italis pronunciabantur.* 153. & *hic pronunciandi modus apud multos populos remanſit.* ibid.
*Gothorum tempore mira Latinæ linguæ iactura.* 153
*Gothorum immanitas, et barbaries, quam vniuerſa Italia, & Roma præſertim omnibus in rebus paſſa eſt.* 153
*Grammatica Aethiopica Mariani Victorij.* 93
*Græca, & Latina linguæ interdum coarctantur: multa enim nec de Græco in Latinum, nec de Latino in Græcum transferri poſſunt. fol.* 134
*Græca Bibliotheca a Piſiſtrato conſtructa.* 46
*Græca mercari pecunia quid. fol.* 326
*Græcæ litteræ antiquæ eædem pene fuerunt, quæ nunc ſunt Latinæ. fol.* 132. & 136
*Græcæ linguæ propagines quinque. fol.* 86
*Græcæ litteræ myſticæ quinque apud Græcos.* 128
*Græci ab Aegyptijs varias diſciplinas, & philoſophiam acceperunt, quam multi inter Græcos inquilinam eſſe aiunt. fol.* 114
*Græci appellant omnes barbaros. fol.* 294
*Græci an ante Homerum litteris caruerint.* 120

Fugge-

Græci

Græci ad vnionem Eccleſiæ redeũt. fol. 210

Græci quinque vtuntur dialectis. fol. 122

Græcam linguam non eſſe Latina vberiorem, immo e conuerſo, multis rationibus, & auctoritatibus probatur. 133

Græcarum litterarum inuentores ex Cornelio Tacito. 113

Græcarum litterarum inuentor Cecrops. 110

Græcorum natura ex Cicerone. 326

Græcum Alphabetum. 112

Gregs pro Grex, & Apecs pro Apex apud veteres Latinos vſurpabantur. 137

Gregorius II. Bibliothecæ Lateranenſis præfectus, qui a Sergio Papa Subdiaconus, & Diaconus & Sacellarius fuit creatus. 54

Gregorij Magni Moralia quomodo inuenta. 241. & 242

Gregorij Nazianzeni Tranſlatio. fol. 421

Gregorius Vndecimus Sedem Romanam Auenione Romam reduxit. fol. 213

Gregorius X. Placentinus abſens Pontifex creatur. 209. hic Conclaue, & alia ad Conclaue pertinentia, modumq. eligendi Pontificem decreuit. 209

Gregorius Nazianzenus cur ſponte Epiſcopatu ſe abdicauit. 247

Gregorius Nazianzenus Concilio Conſtantinopolitano interfuit, et Patriarchatu Conſtantinop. ſe abdicauit. 63

Gregorianum Sacellum. 421

Grues docuerunt nos ordinem aciei, ac vigilias. 124

Gruum ordo litteratus appellatur. fol. 124

Gruum natura admiranda. 124

Guelforum & Gibellinorum ſectæ. fol. 201

Guillelmus Blancus Martiali comparatur: quibus in rebus conueniant, ac diſcrepent. 29


## H.


H, pro V, vt Veneti pro Heneti. 141

Haut pro Haud. 277. & 278

Hebra eſt idem quod Euphrates. fol. 86

Hebraica lingua multas habet dictiones, ac litteras æquiuocas, ſeu ambiguas abſque punctis. fol. 94

Hebraica exemplaria fuiſſe corrupta, multorum ſanctorum Patrum auctoritatibus probatur. fol. 94. & 95

Hebraica lingua in fine mundi omnes loquentur. 81

Hebraica lingua myſteriorum plena: hac Deus locutus eſt ad primos parentes, & hac omnes tandem loquentur, & cur ita. fol. 80. & 81

Hebraica exemplaria non fuiſſe corrupta, & fuiſſe corrupta ex Hieronymi





ronymi ſententia quomodo intelligendum ſit. 95

Hebraica lingua omnium matrix, & mundo coæua, cuius propagines 72. duæ ſunt. 86

Hebraica lingua omnes populi loquebantur. 81

Hebraicæ litteræ, quibus nunc vtuntur Hebræi, ſunt Aſſyriacæ, in quas antiquæ mutatæ ſunt, ne cum Samaritanis communicarent vllo ſacrorum vſu. 92

Hebraicæ litteræ ab Adamo inuentæ. 78

Hebraicæ litteræ ſunt duæ ac viginti. 92

Hebraicæ ſcripturæ deprauatio facilis, vnde oriatur. 93. & 94

Hebraicæ litteræ ſunt quadratæ, cuiuſmodi non erant prius. 93

Hebraicæ litteræ antiquiores ab Hebræis relictæ Samaritanæ ſunt nuncupatæ, quibus Samaritani vſque ad tẽpora Hieronymi vtebantur. 93

Hebraicæ, Chaldaicæ, Arabicæ, & Græcæ linguarum Studium in quattuor Europæ Academijs inſtituitur in Concilio Viennenſi. fol. 214

Hebraici Alphabeti cũ prima littera omnium Alphabetorum primæ litteræ eundem fere in initio ſonum habent. 2

Hebraicus ſcribendi ac legendi modus a dextro ſcilicet in ſiniſtrũ latus an ſit naturalis, vel e conuerſo. 80

Hebraicarum litterarum inſtaurator Moyſes. 87

Hebraicarum litterarum recentiorũ inuentor Eſdras. 89. hic Cabbalam apud Hebræos collegit. ibidem.

Hebraicarum litterarum puncta a quonam, & quando inuenta. 87. & diffuſius. 93

Hebraicum Alphabetum vocales nõ habet. 93

Hebraicum Alphabetum nouum ab Eſdra inuentum. 91

Hebræi vnde dicantur. 331

Hebræi in geminatis a natura &c. dualem habent, non pluralem. fol. 310. & 331

Heic pro Hic apud Latinos. 139

Henricus Card. Caetanus Galliæ Legatus Henrico III. Rege interfecto: & huius Legationis Prælati. 237

Hercules Phrygiarum litterarum inuentor. 104

Hercules pro ſapientia apud Gallos. fol. 104

Herculi, qui montem Auentinum, extremamq. Italiæ partem prædonibus liberauit, Sixtus comparatur. 10

Hæreſis Ariana omnibus amplior, & pernicioſior. 59

Herodotus hiſtoriarum pater. fol. 110

Heroſtratus Epheſius incendit templum Dianæ. 33

Hetruſca lingua vetus, & noua. fol. 333


He-

*Hetruſca lingua recentior ceteris præſtantior.* 334
*Hetruſcæ litteræ apud Romanos in pretio habitæ.* 334
*Hetruſcarum litterarum inuentor. fol.* 149
*Hetruſcarum litterarum cur varia Alphabeta.* 150
*Hilarus ſanctus Pontifex non Hilarius duas in Palatio Lateranenſi conſtruxit Bibliothecas originem a B. Petro trahentes. fol.* 52
*Hieremiæ verba quædã ab Hebræis corrupta.* 94
*Hieroglyphica quædam explicatur, non autem quæ in Obeliſco videntur.* 19
*Hieroglyphica ceteris litteris antiquiora, a ſacerdotibus, non a vulgo intelligebantur.* 101
*Hieroglyphica in Obeliſco Lateranenſi exculpta ſunt litteræ, quibus Aegyptij vtebantur.19. Hodie a nemine intellecta quæ in Obeliſco cernuntur. 20. Ab Hermapione Græce fuerunt interpretata quantum ad ſenſum, non autem diſtincte quantum ad ſignificationem cuiuſcunque Hieroglyphici.* 20.& 21
*Hieronymi de Ruuere Card. Bibliotheca.* 399
*Hieronymi Seripandi Card. Bibliotheca.* 397
*Hieronymi ſententia de Hebraicis exemplaribus corruptis, & non corruptis, quomodo intelligatur. fol.* 95
*Hieronymi Card. Ruſticucij Biblia manuſcripta.* 407
*Hieronymi Templum a Sixto V. extructum, ac Xenodochium, ſiue Hoſpitium.* 239
*Hieronymi dictum de linguæ Latinæ paupertate explicatur. fol.* 134
*Hieronymus Brunellus.* 20
*Hieronymus S. quinque linguas callebat.* 159
*Hieronymus ſanctus an fuerit Cardinalis.163. vſque ad 168. & hac in re multa ſcitu digna narrantur.* ibid.
*Hieronymus ſanctus ab Angelo per ſomnum verberibus cæſus a Ciceroniana lectione deterretur. fol.* 235
*Hieronymus ſanctus fuit Damaſi Papæ a ſecretis.* 164
*Hieronymus ſanctus Illyricarũ litterarum inuentor.* 159
*Hieronymus a quo nam presbyteratum accepit, presbyter Eccleſiæ Romanæ fuit.* 167
*Hieronymus Franciſcanus, qui fuit Nicolaus IIII. Tartarorum Regem ad baptiſmum duxit. fol.* 211
*Hieronymus ſummo Sacerdotio a Romanis dignus iudicatus, vt ipſemet teſtatur: Hoc declaratur.* 164
*Hieronymus cur ad pedes leonem habere a pictoribus repræſentetur.* 51
*Hieronymus Brunellus, & Petrus Angelius Bargæus inſcriptiones Græcas de Hieroglyphicis Latine reddiderunt.* 20
*Hieronymus, & Gennadius vndique Eccleſiaſticos libros conquiſiuerunt.* 51
*Hieronymus maior Auguſtino, & Auguſtinus maior Hieronymo, quomodo huiuſmodi dictum intelligatur.* 165.& 166
*Hieronymum ſanctum non fuiſſe Illyricum rationibus, & auctoritatibus probatur.* 162
*Hieronymum fuiſſe Cardinalẽ multis rationibus, & auctoritatibus probatur.* 163.164.165.&c.
*Hieroſolymitana Bibliotheca ab Alexandro Epiſcopo, & martyre conſtructa.49. in hac Bibliotheca Alexander, Narciſſus, & Origenes per pictores repræſentantur. fol.* 50
*Hiſtoria miraculoſa in Bello Germanico multis auctoritatibus approbatur.* 287
*Hoc vince.* 176
*Hoc eſt nomen, quod vocabunt eum, Dominus iuſtus noſter. Hæc verba ab Hebræis fuerunt corrupta. fol.* 94
*Hominem prius audire neceſſe eſt, vt poſtea loquatur.* 105
*Homo natus inter mutos, eum diſcere loqui neceſſe eſſet, ſi loqui vellet, ex Auguſtino.* 105
*Homo naſcitur mutus & ſurdus ex Ariſtotele.* 105
*Homouſion quid.* 153
*Hoſius Cordubenſis Cardinalis celeberrimus, & Conſtantino gratiſſimus Concilio Nicæno præfuit.* 59
*Hugo Cardinalis Concordantias ſiue Indicem ſcripturæ ſacræ edidit.* 208
*Hyacinthi fabula.* 146


## I.


*I littera omnibus Alphabeti elementis formandis deſeruit.* 147
*I, cur pro vnitate.* 147
*Iacobitarum Alphabetum.* 84
*Iacobus a Porta Architectus.4.et* 417
*Iaijn vinum, & Lechem panis apud Hebræos.* 107
*Iani numiſma curioſe conſideratur. fol.* 39
*Ianus in Italiam venit.* 39
*Iapones Sixtum V. euntem ad Epiſcopatus Lateranenſis poſſeſſionem capiendam comitantur.* 6
*Iaponum & feminæ nobiliſſimæ iam inde ab Aphrico ſinu ad Vrbem acceſſus quid.* 8
*Ibæ epiſtola damnatur.* 69
*Ibis ciconiæ adſimilis cruribus diſpoſitis formam refert triangularem & litteram, A.* 113
*Ibis natura & cur ab Aegyptijs colebatur.* 98
*Ibis pro inuido.* 98
*IϽ, quænam numerandi nota.* 149
*Ichnographia Templi ſancti Petri in*

in fine operis. 422
Ichreo, & Ichreu quomodo differãt apud Hebræos. 94
Iehouah nomen admirandum, & magnæ venerationis. 83
Iehouah quid. 102
Ieiunium in die Sabbati non eſſe obligatorium quomodo intelligatur. 74
Ieiunium cur in die Sabbati obſeruatum Romæ ab Ambroſio, non autem Mediolani. 74
Ieſus per abbreuiationem quomodo a Græcis ſcribatur. 178. noſtrates imperiti id perperam ſcribunt. 179
Ignatij Martyris, qui fuit beati Petri diſcipulus, teſtimonium de beati Petri ſucceſſoribus. fol. 52. & 53
Igne quædam animalia gigni ait Ariſtoteles alienam opinionem ſequutus, cum dicat vireonem animal in igne procreari fabuloſum eſſe. 196. & 197
Igni nihil diu reſiſtit. 196
Ignis procreationis expers. 196
Ignis a gignendo per antiphraſim dictus. 196
Illyrica lingua quot Populi vtantur, eorumq. nomina. 337. & 338
Illyrica lingua a Conſtantino philoſopho inuenta, vt Ioan. VIII. ſcribit. 316. & 337
Illyrici, Miſſas, Codicem horarium, ceterasq. diuinas preces Illyrica lingua conſcriptas habent. 162
Illyricarum litterarum aliarum inuentor Cyrillus. 168
Illyricarum litterarum inuẽtor Hieronymus. 159. & Alphabetum. 160
Imagines ſacræ quomodo venerandæ, atque item ſanctorum reliquiæ. 75
Imago beatæ Mariæ ſemper Virginis. 76
India Crocodilos habet. 341
Infans quidam 24. horis vix completis locutus & perniciem regni paterni pronunciauit, ſtatimq. obijt. 107
Infantem ante idoneam loquendi ætatem locutũ rurſus obmutuiſſe Ariſtoteles teſtatur, donec veniſſet idoneum loquendi tempus, vel ſtatim obijſſe ait. 107
Infantes inter pecora educandi traditi ad periculum faciendum, num ſit lingua homini naturalis. 105
Infantes inter pecora educandi traditos, lechem, & Iaijn pronunciaſſe nonnulli tradunt, ideſt panem & vinum. 108
Infideles quatenus infideles efficere poſſunt aliquod opus bonum de genere bonorum, quod eſt peccatum, ſi ad idolum, vel ad mundi gloriam referatur. 290
Innocentius IIII. Federicum II. Imperatorem imperio priuauit. fol. 187
Innocentius IIII. Peruſii obijt. fol. 208
Innocentius IIII. Anagninus. 206





Inſcriptio de Italia prædonibus, & exulibus liberata. 9
Inſcriptio Lateranenſis Obeliſci. 22
Inſcriptio de Columna Traiana Statuæ ſancti Petri dedicata. 14.
Inſcriptio ſuboſcura declaratur. 14
Inſcriptio de poſſeſſione Epiſcopatus Lateranenſis capienda. 8
Inſcriptio Emblematis de Coronatione Sixti V. 5
Inſcriptio de Iubileo. 16
Inſcriptiones de rebus geſtis Sixti V. in fornice camerarum depictæ. 227. & ſeq.
Inſcriptiones Græcæ in Latinum tranſlatæ quæ ab Aegyptijs in Obeliſcis inciſa Romæ cernuntur. 20. & 21
Inſcriptiones duæ in marmore inciſæ. 270
Inſcriptiones de annona Vrbi, & Italiæ ſubminiſtrata, ac de Pontinis paludibus exſiccatis. 12. et 13
Inſubrium pronunciationes. 345
Inſulæ felices, homines loqui voce humana, & auium, vnumq. hominem cum duobus ſimul loqui ob linguam diuiſam Diodorus ait. 293. & 294
Ioachim Abbatis libellus contra Magiſtrum ſententiarum damnatur. 203. & 204
Ioann. Baptiſta Nouarien. Pictor. fol. 272
Io. Bernardinus Raſtellus de Tranſlatione ſancti Gregorij Nazianzeni. 422
Ioan. Damaſcenus falſo accuſatus, abſciſa a Principe manus, diuinitus reſtituitur. 240. & 241
Ioannes Fontana de aquæductibus. fol. 27
Ioannes Franciſcus Bordinus de geſtis Sixti V. 40
Ioann. Guerræus Pictor. 272
Ioannes VIII. de lingua Sclauonica, a quodam Conſtantino philoſopho inuenta. 316
Ioannes Paulus Euſtachius Neophytus exprimit dictum cuiuſdam Hebræi. 183
Ioſephi Patriarchæ Conſtantinop. Chirographum de fidei confeſſione dum mors ſibi inſtaret. fol. 216
Ioſephus Caſtalio de Tholo ſcripſit Latino verſu. 4
Ioſephus Caſtalio de Columna Antoniana. 288
Ioſephus Stephanus de poteſtate coactiua. 189
Iſide Regina nullum apud Aegyptios numen maius. 99
Iſis pro Luna ſuſcipitur. 97
Iſis Regina Aegyptios litteras docuit, & colere inſtituit. 96. pro Dea habebatur. 98
Iſis lingua Aegyptiorum terra nuncupatur. 96
Italia prædonibus, & exulibus liberata a Simone Cecchino diſtichis ingenioſe, & feliciter decantata. 10
Italiæ longitudo, & latitudo. 342
Italica lingua retinet voces quaſdã Gallicas. 347

Italica lingua Latinæ prima propago. 343
Italica lingua cur Barbarorum vocibus quibuſdam vtatur. 346
Italicæ linguæ variæ pronunciationes, & voces. 342
Italiæ Prouinciæ omnes. 342
It pro Id. 277
Iubileum in initio Pontificatus Sixti V. celebratum, magnaq. Populi hac in re deuotio deſcripta. fol. 16
Iulianus apoſtata omnium Imperatorum impijſſimus 45. eius impietates horrendæ. ibid.
Iuppiter pluuius in Columna Antoniana inſculptus. 289
Iuſtus non eſt qui iuſta agit niſi iuſte agat. 290

K.

Kalendæ, & Kyrie non niſi per, K, ſcribi debent. 137
Kalendæ, Karta, Karus & id genus alia nonniſi per K ſcribi debent, vt Scauro placet. 137
Kappa littera cur ſuperflua apud Latinos. 137
Kappa dicitur inuenta a Salluſtio ludimagiſtro. 137. cur inuenta. fol. 137
Kappa habens vim, C, tam apud Græcos, quàm Latinos, non vſurpatur niſi in dictionibus Græcis. fol. 137
Karù, & Kaari quid. 94
Katarina Boſnenſis Regina in Templo ſanctæ Mariæ de Aracæli ſepulta. 171

L.

L cur pro quinquaginta. 148
L, pro N, & e conuerſo. fol. 148
Labarum quid ſit. 177
Lapis porphyreticus, ſuper quem Sanctorum Apoſtolorum oſſa a Beato Silueſtro diuiſa. 3. 4. & 422
Lapis, in quo multi fideles martyrij coronam meruerunt. fol. 422
Laterna ſupra Tholum ſita cur ſic nominetur. 419
Lateranenſe I. Concilium Generale contra Vualdenſes, & Catharos: in hoc Concilio prohibētur torneamenta, & decretum editur de duabus tertijs ſuffragiorum in eligendo Pontifice. fol. 201
Lateranenſe Concilium II. omniū Conciliorum celeberrimum, in quo Abbatis Ioachim errores dānantur, & ſacrum bellum de recuperanda Hieroſolyma cruce ſignati inſtituuntur. 204
Lateranenſe Palatium a Laterano Ciue Romano dictum, & a Conſtantino Magno in Eccleſiam ſancti Saluatoris conuerſum. fol. 6
Lateranenſe III. Concil. contra conciliabolum Piſanum coactum contra Iulium. II. 217

Late-



Lateranenſis Obeliſci inſcriptio. 22
Lateranenſis Baſilica quando fuerit ædificata. 8
Lateranenſis Palatij reſtitutio, & Obeliſci dedicatio. 17
Lateranenſis Palatij variæ nomina. 21. & 22. eius reſtitutio. 22
Lateranenſis Baſilica quinque nominibus, aut titulis vocitari ſolet. 7
Lateranenſis Epiſcopatus poſſeſſio a Sixto V. capta: cuius rei faciendæ Pontificia deſcribitur pompa, Iaponibus Sixtum comitantibus. 6
Lateranenſis Baſilica a Fratribus olim culta: canonici vero ſacra tantum in ea faciebant, & ſacramenta ſubminiſtrabant. fol. 22
Lateranenſis Baſilica cur primaria, & Lateranenſis dicatur. 6
Latinam linguam omnibus indifferenter Romæ & in Italia fuiſſe communem, quam pueri cum lacte ipſo imbibebant, cum nulla alia apud Romanos eſſet lingua, multis rationibus & auctoritatibus probatur. 154
Latinam linguam non ſuperari a Græca, immo ea vberiorem multis rationibus, & auctoritatibus probatur. 132. & 133
Latinæ litteræ retinentes eaſdem figuras, poteſtates & pronunciationes. 138. aliæ tantum figuras. fol. 138
Latinæ linguæ miſeranda iactura Gothorum tempore. 153
Latinæ litteræ, quæ numerandi modo deſeruiunt. 147
Latinæ linguæ propagines. 86. 322. 335. & 343.
Latinæ litteræ a Cadmo ex Phœnicia in Græciam primum allatæ, Græciſq. adſimiles. 132
Latine loqui cur multis iam ſæculis nemo fere ſciuerit. 153
Latini antiquiores non in conſonātibus, ſed in vocalibus aſpiratione vti ſolebant. 18
Latini Latinij Bibliotheca. 400
Latini Alphabeti pronunciatio, figuræ, nomina, & litterarum formatio. 144
Latinarum litterarum inuentrix. fol. 131
Latinarum litterarum formatio. 144. earundem numerus. 145
Latinorum quorumdam error in ſcribendo, Chriſtus & Ieſus abbreuiatim. 302
Laurentius Frizolius de Sacello Gregoriano. 422
Lauretum ciuitatis iure, & Epiſcopatu donatum. 253
Lauretum mœnibus cinctum. fol. 229. & 230
Lechem panis, & Iayn vinum apud Hebræos. 107
Legatio Galliæ. 237
Legati pacis caduceatores dicebantur. 100
Legatus Poloniæ Card. Aldobrandinus, & Prælati huius legationis. 237

Leo

*Leo dum vigilat , oculos clauſos, dum dormit apertos habet.* 9. *cur ſic.* ibid.
*Leo cur ad Hieronymi pedes pingatur.* 51
*Leones marmorei ſiue ænei cur in Fanorum valuis , ſacrarumq. Aedium veſtibulis ſtatui ſoleat. fol.* 9
*Leo primus Attilæ occurrens ipſum Cruce placauit.* 66
*Lex nulla ſine auctoritate Papæ. fol.* 186
*Libri quomodo conſeruari debeant. fol.* 404
*Libri primum omnium impreſſi. fol.* 411
*Librorum diſpoſitio & ordo per claſſes diſtributa.* 406
*Linus Græcarum litterarum inuentor.* 122
*Linus doctiſſimus.* 123
*Lipſii ſententia de tertia littera a Claudio inuenta.* 143
*Lipſius Taciti locum reſtituit.* 125
*Lingua vna omnes populi olim loquebantur.* 81
*Lingua nonniſi ad ſignificandum aliquid alteri contributa eſt. fol.* 106.& 304
*Lingua homini naturalis quænam ſit.* 105
*Lingua mollis, lata , & abſoluta locutioni accommodatior ſicut in quibuſdam auibus , & bobus. fol.* 106
*Lingua nulla naturalis homini ex Auguſtino.* 105
*Linguæ omnes , ſiue dialecti. fol.* 291
*Linguæ omnium Nationum ordine Alphabetico digeſtæ.* 305
*Linguæ omnes ( Hebraica , Græca , & Latina exceptis ) barbaræ dici poſſunt.*294.*hiſceq.tribus Biblia conſcripta , ac Titulum Crucis non ſine myſterio eſſe dicendum eſt.* 294
*Linguæ omnes cur quinque & ſeptuaginta , vel duæ ac ſeptuaginta.* 291
*Linguarum trium communicatio, vel ſymboleitas in litteris Alphabeti.* 295.& ſeq.
*Linguarum confuſio ad ædificationem turris.* 81
*Litteræ cuiuſcumque Nationis ortum habent in aliquibus ab Hebraicis.* 118
*Litteræ rubeæ cur in librorum vel capitum fronte ſcribi ac imprimi ſoleant.* 117
*Litteræ myſticæ quinque apud Græcos.* 128
*Litterarum inuentores.* 78.& ſeq.
*Locutio propria quænam ſit : & quodnam poſtulet , vt propria & vera ſit.* 106
*Lucanus de litteris Phœnicæis. fol.* 117
*Ludouicus Rex Francorum Hieroſolymitanæ expeditionis Dux deſignatur.* 208
*Lugdunenſe I. Concilium de Terra ſancta recuperanda.* 208
*Lugdunenſe primum Concilium. fol.* 206
*Lugdunenſe ſecundum Concilium. fol.* 209
*Luna ſoli aduerſatur.* 97
*Luna per Iſidem apud Aegyptios ſumebatur , & colebatur.* 97
*Luſus quidam , ſed myſticus , de nummo in ſublime iacto quid. fol.* 40
*Lyſippus Alexandri Magni ſtatuarius.* 259

*M.*

M, *littera hoc modo interdũ ſcripta.* ꟽ. 149
*Malateſtarum Bibliotheca Ceſenæ in Cœnobio ſancti Franciſci. fol.* 394
*Maledictus omnis,qui non permanſerit in omnibus , quæ ſcripta ſunt in libro legis. Hæc verba fuerunt corrupta ab Hebræis. fol.* 95
*Mamma , & Tata quid.* 299
*Mammare quid ſit.* 300
*Manutiana ex domo viri inſignes prodiere.* 403
*Manutiana Bibliotheca.* 402
*Manutianorum Epigramma.* 403
*Mammoli & Mammolæ quid. fol.* 299
*Marcellus Ceruinus quid in Bibliotheca Vaticana præſtiterit. fol.* 56
*Maria ſemper Virgo Chriſtotocos , ideſt Chriſti mater , ſed etiam Theotocos , ideſt Deipara , vel Dei mater in Concilio Epheſino declaratur.* 65
*Maria ſemper Virgo ſine exemplo Virgo , quæ nec primam ſimilem viſa eſt , nec habere ſequentem.* 32
*Mariæ ſemper Virginis imago a beato Luca per pictoriam artem expreſſa.* 76
*Mariani Victorij Rheatini Grammatica Aethiopica Marcello Ceruino Card. dicata.* 93
*Marinus TemperiZza de lingua Seruiana.* 170
*Marinus Valuen.cuſtos Biblioth.* 56
*M. Aurelij Imp. in chriſtianos propenſio.*285.*eiuſdem ad Senatum Rom.in fauorem Chriſtianorum propter beneficium a vero Deo acceptum,Chriſtianis orantibus. fol.* 285
*M. Aurelij Jmp. geſta cur in Columna Antoniana inſculpta. fol.* 284
*M. Aurelij hiſtoria miraculoſa in Columna Antoniana inſculpta. fol.* 284
*Martianus Jmp. duas conciones , Græcam ſcilicet , & Latinam in Concilio Chalced. habuit. fol.* 67
*Martiani capellæ ſententia de tertia littera a Claudio inuenta. fol.* 143
*Martinus V. Bibliothecam Vaticanam Auenionem tranſlatam Romam reportandam curauit. fol.* 53

Marſi-

*Marſilius Ficinus Platonicus.* 391

*Matrimonij decretum in Sexta Synodo non dicit diſſolutionem, ſed ſeparationem.* 74

*Matthiæ Coruini Bibliotheca. fol.* 385

*Mediceorum Bibliotheca.* 391

*Mediceorum Typographia Arabica, & Chaldaica.* 393

*Mediolani Bibliotheca in Cœnobio S. Marci.* 391

*Melitius Antiochenus Concilio Conſtant. interfuit.* 63

*Membranæ vſus in ſcribendo. fol.* 379

*Memnon quiſnam fuerit: in auem mutatus.* 109

*Memnon cur Phoroneo æqualis dicatur.* 110

*Memnon litterarum Aegyptiarum inuentor.* 18

*Memnonis ſepulchrum ab auibus eius quotannis, vel quinto quoque anno perlustratum.* 109

*Memnonis ſtatua in Aethiopia magno in honore viſitur.* 110

*Memnoniæ aues earumq. historia. fol.* 109

*Mendici per Vrbem ire non cernuntur.* 35

*Menna præfuit Concil. II. Constantinop.* 68

*Mercurij multæ inuentiones. 99. & 163. eiusq. deſcriptio.* 100

*Mercurij varia nomina a Patre ſancto Augustino declarata. fol.* 100

*Mercurij Triſmegisti liber habet hæc verba: Hic eſt Filius Dei benedicti.* 115

*Mercurius Sol a Macrobio dicitur, hinc peruſtus fingitur, & quia ſoli propinquior.* 101

*Mercurius cur Thoyt vel Thout appelletur.* 102

*Mercurius Thoyt, Theut, Thout, Theutates, Taatus, Thoor, & Thoth appellatus.* 103. & 104

*Mercurius ſacras litteras Aegyptijs tradidit.* 99

*Metalla rufa quænam ſint.* 278

*Metapontum ciuitas vetuſtiſſima Apuliæ. 126. in postilla.*

*Michael Mercatus de Obeliſcis. fol.* 11. & 252

*Michael Mercatus inſcriptiones vetustas Obeliſci Lateranenſis e ruderibus eruit, & corroſas in pristinam formam ingenij perſpicacitate restituit. fol.* 276. & 278

*Michael Mercatus de hac dictione Triumfus per, f, non per ph. fol.* 260

*Michael Angelus Bonarota Tholi delineatio a Bramante factam reformauit.* 417

*Michael Rogerius.* 410

*Michael Rogerius chartas impreſſas a Sinis, idest China in Jtaliam aduexit.* 379

*Michaelis Bonelli Card. Alexandrini Bibliotheca, quam Eremum vocat.* 398

*Michaelis Thomaſii Bibliotheca. fol.* 386







*Millenarij numeri nota, ∞, * 149

*Mineruæ statua.* 255

*Miraculum de duobus libris in ſepulchro ſanctæ Euphemiæ noctu reconditis in Concil. Chalc.* 67

*Miraculum de Cruce, quæ Constantino apparuit, varie narratur. 178. Ex nummis item varijs.* 179

*Mitra cur ſummus Pontifex ſemper & vbique vti ſoleat, Tiara vero, quæ Regnum mundi vocitatur, non item.* 5

*Mitridates duarum ac viginti Gentium ore locutus.* 293

*Moguntia, vbi inuenta fuit Typographia.* 411

*Monothelitæ & Monophyſitæ quid. fol.* 70

*Mons Quirinalis, ſiue Caballus multis rebus illuſtratus.* 263

*Montis Caballi via ab equis ad Portam vſque Piam complanata, multisq. commoditatibus donata. 260. Hæc omnia a Blanco in quodam Epigrammate feliciter quatt. verſ. decantantur. fol.* 263

*Montaltum ciuitatis iure & epiſcopali dignitate donatum. fol.* 264

*Moyſes leges 449. & amplius in monte condidit, quæ postea ad 614. excreuerunt.* 87

*Moyſes Hebraicarum litterarum instaurator.* 87. & 88

*Moyſes fuit eruditus omni ſapientia Aegyptiorum.* 115

*Moyſes præcepta affirmantia. 248. quot hominum oſſa: negantia vero 365. quot dierum anni condidit.* 87

*Moyſes quomodo litteras Hebraicas inueniſſe intelligatur, cum ante diluuium extiterint.* 88

*Moyſes Hebraicam linguam punctis inſigniuit in monte a Deo edoctus.* 87

*Moyſes cur ab aqua dictus.* 306

*Moyſes & Aaron quomodo Chriſtum repræſentent.* 187

*Muris oculi, Luna creſcente, maiores: decreſcente minores fiunt. fol.* 97

*Mus ad ſolem pertinere dicitur. fol.* 97

*Mutus ac ſurdus naſcitur homo ex Aristotele.* 105

N.

N, *& L, quænam notæ erant apud Latinos.* 114

*Natiuitas Saluatoris noſtri omnium festorum metropolis a Io. Chryſoſt. nuncupatur.* 38

*Nauis curioſe & mystice conſideratur ex vſu ipſius nauis incidendæ in numiſmata apud Romanos.* 40

*Nauis apud Athenienſes & Romanos felicitatem, & ſalutis indicium præſeferebat. 40. Nauis in anulo ſummi Pontificis, & in aureis Apoſtolici fiſci nummis expreſſa quid.* ibid.

Neapoli Bibliotheca S. Seuerini, & Pauſylipi in Aediculis Auguſtinianorũ, & Card. Seripandi. 396
Nicænum Concilium nonnulla addidit Symbolo Apoſtolorum in declarationem eius contra hæreſes inſurgentes. 59
Nicænum Concilium II. ſub Hadriano I. Et Conſtantino VII. Imp. contra Iconomachos. 75
Nicænum Concilium Chirographis demortuorum Epiſcoporum miraculoſe ſubſcriptum. 61
Nicolai IIII. ſepulchrum, Statua, & Epitaphium. 212
Nicolaus V. Bibliothecam Vaticanam auxit, ac diſtinxit. 53
Nicolaus Myræ Epiſcopus Concilio Nicæno interfuit. 60
Nicoſtrata latinarum litterarum inuentrix. 131
Niobis fabula, & Statua. 255
Noctua Athenarum inſignia. 110
Noe interpretatur requies. 86
Numæ Pompilij libri in membranis. 380
Numerandi modus Illyrice. 341
Numerandi modus Græcus & Latinus. 328. & ſeq.
Numerandi modus apud Hebræos. fol. 332
Numerandi modo Latinæ litteræ deſeruientes. 147
Numerus quaternarius totus numerus, ſacer, & ſolidus dicitur apud Pythagoricos. 102
Numiſma de Alexandro Magno, & Bucephalo impreſſum cum inſcriptione Græca. 258
Numiſma Conſtantini. 180
Numiſma Iani curioſe conſideratur. 39
Numiſmata varia varie repræſentant Crucis ſignum, quod Conſtantino apparuit. 179
Numiſmata multa Alexandrum Magnum, & Bucephalum repræſentant. 257. & 258

O.

OBeliſci tranſlatio, & dedicatio a Petro Galeſinio deſcripta: quæ autem ad Obeliſcos in genere pertinent a Petro Angelio Bargæo, & a Michaele Mercato, & magna quidem eruditione declarata ſunt. 11
Obeliſci Vaticani tranſlatio in Bibliotheca Vaticana mirifice repræſentata. 250
Obeliſci Lateranenſis deſcriptio, ac tranſlatio, Inſcriptiones vetuſtæ. 117. & 275. nouæ. 23. Inſcriptiones hieroglyphicæ ex Græco in Latinum tranſlatæ. 20. & 21
Obeliſci Lateranenſis diſputatio, num ſcilicet Heliopoli primum fuerit erectus. 273. & 274
Obeliſci ſanctæ Mariæ de Populo Emblema, & Jnſcriptiones. 33
Obeliſci S. Mariæ de Populo Jnſcriptiones. 279
Obeliſci Lateranenſis Jnſcriptiones. fol. 23
Obeliſci Vaticani Jnſcriptiones. fol. 10. & 11
Obeliſci Lateranenſis Jnſcriptiones vetuſtæ. 276. a Michaele Mercato e ruderibus erutæ, & in priſtinam formam ingenij perſpicacitate reſtitutæ. 276
Obeliſci S. Mariæ ad Præſepe tranſlatio, & quis eum olim erexerit. 37. Jnſcriptiones. 38
Obeliſcus quid ſit. 10. Soli dedicabatur a Gentilibus. 11. huius molis inuentor Mytres. 11
Obeliſcus Vaticanus tranſlatus, & ſanctiſſimæ Cruci dedicatus. 10
Obeliſcus S. Mariæ de Pop. minor Vaticano, & Lateranenſi, cur maximus a Blanco dicatur. 34. eiuſdem Obeliſci Jnſcriptio vetus ibidem: nouæ autem. 279
Obeliſcus eſt nomen diminutiuum ab Obelo dictum. 23
Obſeruantor pro obſeruentur. 271
OCTAℲIVS, & DIℲVS, pro Octauius, & Diuus, & alia id genus permulta. 142
∞, quænam numerandi nota. fol. 149
Oratio Dominica varijs linguis conſcripta. 365. vſque ad pag. 376
Orationis Dominicæ variæ voces declarantur. 366
Ordinatus quis ex vxoris conſenſu continebat, ſin ſecus non ordinabatur. 74
Origenis errores refelluntur in Concilio Conſtantinop. II. & de tribus capitibus contentiones ſedantur. 69
Oſtrogothi, Vuiſigothi, & Gothi quinam ſint. 153

P.

PAgina vnde dicatur. 381
Palatina Bibliotheca. 49
Palamedes quattuor litterarum Græcarum inuentor. 123. & 125
Palamedis inuenta. 124
Palatij Lateranenſis varia nomina. 21. 22. eius reſtitutio. 22
Paleologus Jmp. Catholicæ fidem, & ritus ſuſcipere renuentes varijs mulctauit modis. 210
Palmarum vſus in ſcribendo. 378
Paludes pontinæ exſiccatæ. 12. & 233 huius facti Jnſcriptiones. fol. 233. & 234
Paludum Pontinarum exſiccatio quoties fuerit præſtita ab antiquis, & vtilitas orta ab exſiccatione, Sixto V. ſedente. fol. 12. & 13
Pamphilus martyr Cæſareæ inſignem inſtituit Bibliothecam, & manu ſua Origenis ſcripta deſcripſit. 51
Papa eſt Vicarius & miniſter legis diuinæ. 186
Papa ſua auctoritate leges Jmperiales corrigere poteſt. 186
Papæ electio a duabus ſuffragiorum tertijs Cardinalium in Concilio Lateranenſi primo ab Alexandro III. ſancita. 201
Paphnutius ſanctus Aegyptius, & Epiſcopus Concilio Nicæno interfuit.

fuit. 60
Papyrus pro charta, eiusq. deſcriptio. 378
Parſimonia Sixti V. 245. multa ſcitu digna. ibid.
Patauij viri illuſtres in litteris. fol. 394
Patauium omnium bonarū artium Emporium. 394
Patriarchales Eccleſiæ Romæ ſunt quinque. 7
Patrum monumenta in Vaticano imprimuntur. 228
Pauli Apoſtoli Statua in Columnæ Antonianæ faſtigio erecta. fol. 35. & 290
Paulus Apoſtolus ad Columnam fuit alligatus, & verberatus ſicut & Petrus. 36. ſed copioſius. 14. vbi multa ſcitu digna narrantur.
Paulus cur a dextris, Petrus a ſiniſtris ponantur in Bullis. 166
Paulus quomodo maior Petro, & Petrus maior Paulo. 166
Paulus Aemilius Romam primus librorum copiam aduexit. 48
Paulus IV. quid in Bibliotheca Vaticana præſtiterit. 56
Paulus Manutius nouus Latinæ linguæ inſtaurator. 134
Pauperes per Vrbem ire non cernuntur. 35
Pauſylipi Bibliotheca in Aediculis S. Auguſtini. 396
Pecunia grandi in Eccleſiæ ærariū repoſitum. 228
Pecunia Græca mercari quid. 326
Pecuniæ collectæ vſus. 245. multa ſcitu digna. ibid.
Peregrinus defert litteras ad Concilium Epheſinum intra arundinem incluſas. 65
Peroratio operis. 423
Peruſii in Cœnobio S. Dominici Bibliotheca. 396
Perſius de fonte Caballino. 121
Petra, vox Græca 86. 347. Syriace Cephas. 347
Petrarchæ liber ſua ipſius manu conſcriptus. 401
Petri ſancti Baſilica vetus, & noua, earumdemq. deſcriptio, & Tholi præſertim breuis 4. amplior 252. ampliſsima vero. 417
Petri ſucceſſores, Linus primo loco, ſecundo Cletus, tertio vero Clemens. 53
Petri Sedes ex Antiochia vbinam aſſeruetur. 422
Petri & Pauli corpora a Silueſtro Papa diuiſa vbi nam aſſeruentur. 422
Petri ſancti Baſilica cur prima dicatur Sedes 7. Patriarchalis habetur, & nominatur. ibid.
Petri Apoſtoli Statua in Columnæ Traianæ faſtigio erecta. 281
Petrum & Paulum exercuiſſe poteſtatem temporalem auctoritatibus probatur. 189
Petrus & Paulus Apoſtoli ad Columnas marmoreas, quæ in Eccleſia Beatæ Mariæ trans Pontem viſuntur, ferreis vinculis fuerunt alligati, & verberibus cæſi. 14. de his Columnis Cæſar Baronius mentionem facit. ibid.
Petrus cum Roma diſceſſit Linum & Cletum Diaconos corepiſcopos, ſiue coadiutores Romæ inſtituit. 52
Petrus quomodo fuerit maior Paulo, & Paulus maior Petro. 166
Petrus & Cephas idem ſunt. 86
Petrus a Paulo iure reprehenſus. fol. 166
Petrus Angelius Bargæus, & Hieronymus Brunellus ex Societate Ieſu Inſcriptiones Græcas de Hieroglyphicis ab Ammiano Marcellino recitatas Latine reddiderunt. 20
Petrus Angelius Bargæus de Obeliſco. 11
Petrus Facchettus Mantuanus Pictor. 267
Petrus martyr ex Ord. Prædicat. in ſanctorum numerum relatus. fol. 208
Petrus Galeſinius de Canonizatione S. Didaci. 250
Phama, Phanum, & Phagus ſcribebantur a Latinis. 141
Phanos quid. 419
Phidiæ & Praxitelis equorum trāſlatio, & inſtauratio. 254
Phidiæ laudes & opera inſignia. fol. 255
Phidias & Praxiteles num fuerint artifices ſimulacri Bucephali, equi Alexandri Magni diſputatur, & diffuſe quidem. fol. 256. & ſeq.
Philoſophia cur inter Græcos inquilina dicatur. 114
Philoſophi habent pennas Struthionum. 290
Philippi Regis Hiſp. Bibliotheca. fol. 386
Philippi dictum ad Filium Alexandrum. 258
Phium, littera apud Armenos, a quo Fyo noſtrum parum diſtat. fol. 158
Photij ſcelera 77. eius chirographa cremantur. ibid.
Photio expulſo, ſanctus Ignatius in Sedem Conſtantinop. reſtituitur. 77
Phœniceæ litteræ affinitatem habent cum Hebraicis, atque Græcis. 117. & cum alijs. 118
Phœnicæum Alphabetum. 117
Phœnicis elegans ænigma. 116
Phœnicis hiſtoria tanquam fabuloſa ab Ariſtotele prætermiſſa eſt, ſed tanquam vera a doctiſsimis viris, & ſanctis Doctoribus narratur. 116
Phœnicis auis in Arabia hiſtoria. fol. 116
Phœnix quomodo concipiatur ac generetur. 116
Phœnix litterarum apud Phœnices inuentor. 115
Phrygia eloquentia laudatur. 105
Phrygiarum litterarum inuentor Hercules. 104
Piceni voces quædam & pronunciationes. 346


Picus

Picus Mirandulanus libros Cabbalæ ab Eſdra editos ſe vidiſſe ait. 89
Pictores præcipui in Bibliotheca pingenda. 272
Pictorum, aliarumq. operarum numerus pro Bibliotheca conſtruenda. 272
Pij V. ſepulchrum, ac ſtatua, eiusq. geſta. 30
Pij V. tranſlatio 36. de hac Tranſlat. Inſcriptio. 37. & epigramma. fol. 280
Platina familiaris Sixti IV. & Bibliothecæ Vaticanæ præfectus. fol. 54
Plato cur Moyſes Atticiſſans nuncupetur. 115
Plato Moyſis & Hieremiæ libros legit ex Patris Auguſtini ſententia. 114
Plato de nomine Mercurij, eiusq. inuentionibus. 103
Platonis dogmata multa recenſentur a Chriſtiana Theologia deſumpta. 115
Platonis lex de pecunia. 246
Platonicis in libris caput Euangelij ſancti Ioannis primum ſe legiſſe ait S. P. Auguſtinus. 115
Poetæ ante Homerum. 120
Poloniæ Regum Bibliotheca. 386
Poloniæ legatio 237. vide, Legatus.
Pontinæ paludes a Sixto V. exſiccatæ: ab antiquis non ſemel. 12. huius generis exſiccatio quantas impenſas poſtulauerit, quantãq. vtilitatem afferat. 12
Pontificibus Romanis a ſancto Petro vſque ad Silueſtrum Papam cur nonniſi in cryptis celebrare licebat, & in Altari ligneo, quod in Eccleſia tantum Lateranenſi reperitur. 6
Poteſtatem temporalem a B. Petro fuiſſe exercitam auctoritatibus Scripturæ ſacræ probatur. 188. & 189. idem dicitur de B. Paulo. ibidem.
Poteſtatem coactiuam tam temporalem, quàm ſpiritualem in Eccleſia eſſe auctoritatibus Scripturæ ſacræ probatur. 189
Poteſtatem rerũ temporalium fuiſſe in Chriſto, & eſſe in omnibus eius Vicarijs, multis rationibus & auctoritatibus probatur. 185
Poteſtatem temporalem a Chriſto fuiſſe exercitam auctoritatibus ſcripturæ Euangelicæ probatur. fol. 188
Poteſtas temporalis tanquam tyrãnice vſurpata a Conſtantino fuit Eccleſiæ reddita. 192
Poteſtas rerum temporalium Principibus ſæcularibus eſt in miniſterium data. 187
Poteſtas coactiua tam temporalis quàm ſpiritualis. 189
Poteſtas rerum temporalium cur Imperatoribus, & alijs ſæcularibus a ſummo Pontifice ſit tributa. 186
Poteſtas Imp. & Reg. ab auctoritate Papæ dependet. 186
Praxiteles Calaber, eiusq. laudes, &



& opera inſignia. 255
Praxiteles duo fuerunt. 259
Praxitelis & Phidiæ equorum trãſlatio, & inſtauratio. 254
Præficæ quænam ſint. 344
Presbyteri primarij, Cardinales erant. 176
Proceſsio Spiritus ſancti in Concilio Lugd. declarata confirmatur. fol. 215
Prophetica doctrina ex Auguſtino omni origine humanæ philoſophiæ antiquior. 99
Proſperi Podiani Peruſini Bibliotheca. 396
Pſalterium Romanum quodnam ſit. fol. 94
Pſammiethicus periculum fecit de prima lingua. 109
Pſittacus, Coruus, & Pica cur proprie loqui dici non debeant. fol. 106. & 304
Pſittacus Ἀντρωπογωττος dicitur. 106
Pſittacus Cæſarem ſalutauit. 106
Ptochodochium, & Ptochotrophium quid. 35
Ptolemæi Bibliotheca ſeptingentis voluminum millibus conſtans. fol. 47
Ptolemæi Bibliotheca a Cæſare incenſa, veteris Teſtamenti tranſlatio diuina prouidentia conſeruatur. 47
Ptolemæus vetus Teſtamentum ex Hebræo in Græcam linguã transferri curauit, & pro hac remunus regium Hebræis donauit. fol. 47
Puerili inter pecora educandi traditi ad periculum faciendum, num ſit lingua homini naturalis. 105
Pulchrum, & ſepulchrum abſque aſpiratione apud antiquos Latinos. 18
Puncta Hebraicis litteris ſunt neceſſaria, quæ a B. Hieronymo accentus vocantur. 93. auferunt multas ambiguitates. ibid.
Puncta in Hebraicis litteris ſicut facilem reddunt intelligentiam linguæ in legendo, ita etiam facilem pariunt corruptionem. fol. 93. & 94.
Puncta Hebraicarum litterarum a quonam, & quando inuenta. 87. fuſius tamen 93. cur addita. 93
Purpura vbi nam conficiebatur optima. 117
Pythagoras vnius litteræ inuentor. fol. 126
Pythagoras philoſophiæ Italicæ princeps, & Architæ Tarentini præceptor. 126
Pythagoras primus cœpit philoſophus appellari ex Auguſtini aliorumq. ſententia. 126. in poſtilla.
Pythagoras Calaber fuit teſte ſancto Thoma: alij volunt eſſe Etruſcum, vt Plutarchus, & alij. 127
Pythagoræ templum in Metaponto Apuliæ, vbi obijt. 126
Pythagoræ ſilentium. 126

Pythagoræ auditores ſexcenti. fol. 126

## Q.

Q, littera apud Latinos tantum reperitur. 136. ſuperflua vocitabatur a Romanis, qui loco eius litteram, c, vſurpabant. 136
Q, per quingenta millia ab antiquis vſurpabatur: nunc autem non eſt in vſu. 149
Quadrata figura ſtare ſemper cernitur, quacumque vertatur. fol. 5
Quaternarius numerus cur apud Pythagoricos totus numerus, ſacer, & ſolidus. 102. Hic numerus cur Mercurio ab Aegyptijs tribuebatur. 103
Querengus de triremibus. 39
Qui firmauit terram ſuper aquas, quomodo intelligatur. 194
Quid mihi de ijs, qui foris ſunt, quomodo intelligatur. 192
Quinque decies centena nummum aureorum millia in Arcem ſancti Angeli repoſita. 228. & 244
Quirinalis via complanata, & alijs commoditatibus donata. 260
Quot pro Quod. 277

## R.

R, pro S, apud antiquos, quæ littera a Claudio inuenta putatur. 142
Rapſerit pro rapuerit. 271
Rauennas Antiſtes Sedi Apoſtolicæ non obtemperans exarchorum potentia factus ad obedientiam redijt. 71
Rauennatis Archiepiſcopi Legatus ad Concilium Conſtantinop. III. miſſus. 70
Rauennatis Antiſtitis electionem irritam eſſe in Concilio Conſtantinop. III. decretum fuit, niſi Romani Pontificis auctoritate comprobaretur. 71
Reddite quæ ſunt Cæſaris Cæſari, quomodo intelligatur. 192
Regnauit a ligno Deus. Hæc verba ab Hebræis fuerunt corrupta. 94
Regnum mundi tribus conſtans coronis cur ſic dictum, eoq. Pontifex non ſemper & vbique vti ſoleat, ſicut & Mitra. 5
Regnum Chriſti quale. 191
Regnum meum non eſt de hoc mundo, multis modis explicatur. fol. 191
Reipublicæ bona quamuis alienari non queant, in vſum tamen meliorem quomodo conuerti debeat. fol. 185
Reipublicæ Chriſtianæ vnio repræſentatur per quaſdam picturas. fol. 263
Reliquiæ ſanctorum, & ſanctorum imagines quomodo adorandæ. fol. 75
Repetentes in Sicilia quæ nam ſint 344. vnde dicta. 345





Reſurrectionem Dominico die poſſe celebrari Antoninus Pius Imp. primus permiſit. 36
Romæ in Aedibus ſanctæ Mariæ ſupra Mineruam fratrum Ord. S. Dominici Bibliotheca. 397. & aliæ Religioſorum.
Romæ laudes permultæ. 17
Romani cur Gothorum, Gallorum, & Longobardorum linguas didicerint. 153
Romani codices multo veriores, quàm Græci. 52
Romanorum Bibliothecæ publicæ vndetriginta. 48
Romanorum Bibliothecæ. 48

## S.

S, pro z, vt Sacynthus & Sethus pro Zacynthus, & Zethus. 137
Sacelli Sixtiani Epigrammata varia. 280
Sacellum Sixtianum ædificio Templi Dianæ comparatum. 32
Sacellum Sixtianum, eius inſcriptiones, ac deſcriptiones. 30. 31. & 32.
Sacellum Gregorianum. 421
Sacerdotalis dignitatis vſus actualem munditiam iure poſtulat. fol. 74
Sacramenti corporis Chriſti feſtum ab Vrbano IV. inſtitutum, officium diuinum a S. Thoma editum, cui dedit in præmium Columnam argenteam: luſtratio huius feſti Papiæ incœpit. fol. 214
Sacramentorum mutationes quomodo ab Eccleſia fieri poſſint. 73
Sd, pro Z. 137
Salamandra non diu viuit in igne, ſed ignem extinguit. 196
Saluator a ſaluo, as, verbo Ciceroniano. 134
Saluator plura maioraq. comprehēdit, quàm Soter. 133
Saluator cur apud Ciceronem non ſit. 134
Saluatoris noſtri natiuitas omnium feſtorum metropolis a Io. Chryſoſt. nuncupatur. 38
Samariæ lingua. 359
Samaritanæ litteræ quænam ſint. fol. 93
Sanctorum reliquiæ, & ſacræ imagines quomodo adorandæ. 75
Sardinia peſtilentior Tigellius. 360. frumenti fertiliſſima: huius populi propriam olim habuerunt dialectum. ibid.
Saturno regnante magna frumenti in Latio vbertas fuit. 13
Scala ſancta in inſigniorem locum tranſlata, eiuſq. ornatus. 23. & 247.
Scauri ſententia de littera, K. 137
Sclauonica lingua a Conſtantino philoſopho inuenta, vt ſcribit Ioan. VIII. 316. & 337
Sclauonicæ linguæ propagines multæ. 86
Scipionis Lancelloti Card. Bibliotheca. 398

*Schola Babylonica, in qua fuerunt Daniel, & ſocij. 43. cur didicerunt Chaldæorum linguam. ibidem.*

*Scorpij mira natura in Lybia. fol.* 304

*Scribendi modus ab initio ferè mundi.* 377

*Scribendi vſus in pellibus caprinis. fol.* 380

*Scribendi modus in Tabulis æreis. 378. in litteris cera obductis. ibidem.*

*Scribendi vſus in corticibus arborum. 378. & in membranis. ibidem.*

*Scribendi modus poſt diluuium. fol.* 377

*Scribendi modus quiſnam ſit naturalis, vel a dextro in ſiniſtrum latus, vel e conuerſo.* 80

*Scriptores, ſiue Librarij, & numerus Bibliothecæ Vaticanæ.* 56

*Sedes Romana Auenionem tranſfertur. 213. Romam reducitur a Gregorio XI.* 213

*Septuaginta interpretes cur nonnulla omiſerint, & quænam ſint. fol.* 96

*Septem mundi miracula 32. eorumq. deſcriptiones. ibid.*

*Sermo eſt naturalis & artificialis. fol.* 106

*Sermo ſoli homini naturaliter inſitus.* 106

*Seruiana lingua omnium ditiſſima, & a Cyrillo inuentore Chiurilizza vocitatur, hoc eſt Cyrilliana.* 170

*Seruianum Alphabetum.* 169

*Seruianis litteris quot Gentes vtantur.* 170

*Seruator cur pro* Saluator *dici non debeat.* 134

*Seth filij Aſtrologiæ inuentores, Hebraicarumq. litterarum cultores.* 81

*Seth filiorum columnæ quid continebant.* 82

*Set pro Sed.* 277

*Sexta Synodus nullum edidit Canonem Conſtantinop. ſed in Trullo coacta tradidit canones duos ac centum.* 71

*Sextæ Synodi acta in Concilio Nicæno II. citata, & approbata.* 76

*Sfortiana Bibliotheca.* 398

*Sibyllini libri a Tarquinio empti maxima veneratione a Romanis habebantur.* 49

*Sicilia cur tot linguarum vocibus vtatur. 343. eiuſdem linguæ pronunciationes.* 344

*Siciliæ Bibliothecæ permultæ extabant, ſed nunc non niſi in Abbatia S. Placidi.* 396

*Siculorum mulierum mos ſæuiſſimus. 345. Idem de Calabria, & Apulia.* 345

*Sigiſmundi Poloniæ Regis Bibliotheca.* 386

*Sihor aarmen, ideſt, Domine miſerere.* 153

*Siluius Antonianus multa, & fere omnia præſtitit in Bibliothecæ Vaticanæ rebus conficiendis ac diſponendis Sixto V. diiudicante.* 272

*Simonides quattuor Græcarum litterarum inuentor.* 129

*Simonides artem memorandi inuenit, octauamq. chordam citharæ ſiue lyræ, & ſonum tertium. fol.* 130

*Simonidis litteræ.* 120

*Simon Cecchinus de Italia exulibus liberata.* 10

*Sixti V. Aedificia omnia nominatim.* 415

*Sixti V. imago ad viuum repræſentata in Tabula lignea ſatis grādi, in qua etiam Card. & alij ad viuum item ibidem expreſſi ſunt a Petro Facchetto Mantuano.* 267

*Sixti V. parſimonia. 245. multa ſcitu digna. ibid.*

*Sixto V. ſedente quot bona olim euenerint.* 16

*Sixtus IV. Bibliothecam Vaticanam amplificauit, & in nobiliorem locum repoſuit.* 54

*Sixtus V. Bibliothecam Vaticanam illuſtriorem, ac celebriorem reddidit.* 54

*Soleciſmus quid, & vnde dictus. fol.* 314

*Solium Dauid, ſuper quod Chriſtus ſedere debebat, nonniſi poteſtas temporalis fuit.* 188

*Sophi in temporalibus dominatur Chriſtianis S. Thomæ.* 158

*Sorex ad ſolem pertinere dicitur. fol.* 97

*Soter vna voce exprimi non poteſt. 133. minusq. comprehēdit, quàm Saluator. ibid.*

*Spiritus ſancti proceſſio declaratur contra Græcos.* 209

*Spiritus ſancti proceſſio declarata in Concilio Lugdunenſi, confirmatur in Concilio Florentino. fol.* 215

*Spiritus ſancti proceſſionis Articulus Latine, & Græce in Concilio Lugd. II. decantatus.* 209

*Spiritus Vicentinus. 341. 343. & 410*

*Spyridion ſanctus Cyprius Epiſcopus Concilio Nicæno interfuit. fol.* 60

*Spyridion prophetiæ, & ſignorum dono clarus, philoſophum quendam ethnicorum in Concilio deuicit, & ad Chriſtianam fidem perduxit.* 60

*Statua ſancti Petri Columnæ Traianæ faſtigio a Sixto V. erecta.* 13

*Stateram ne excedas, dictum Pythag.* 127

*Stribiligo quid ſit.* 155

*Stridon, quæ nunc Strigna vocitatur, in confinio Pannoniæ, ac Dalmatiæ ſita, patria fuit beati Hieronymi, qui non fuit Illyricus.* 162

*Sudarium ſanctæ Veronicæ vbi nam aſſeruetur.* 422

*Sunto pro ſint.* 271

*Surdi omnes muti ſunt.* 107

*Symbolo Apoſtolorum cur aliqua addita.*

dita. 64
Symbolum Nicænæ fidei explicatur in Concilio Epheſino. 65
Symbolum fidei in Concilio Conſtantinop. editum. 64

T.

T crucem refert. 301
T Tabulæ æneæ inſculptæ litteris Eugubij repertæ. 151
Tantali fabula. 243
Tarpeia, a qua dictus eſt mons Tarpeius, arcem Tarpeio patri commiſſam proditionem perpetrauit: eius mors ingenioſa. 266
Taporus cur pro Magnentio. 278
Tarquinius libros Sibyllinos a Sibylla Cumæa emit. 48
Tartaricæ linguæ propagines duæ. fol. 86
Tarcuntis ſepulchrum Volaterris. fol. 151
Tartarorum rex baptizatur. 211
Tatius Romanorum hoſtis, & Sabinorum Dux, arcem in Capitolio, proditione facta, cepit. fol. 266
T, pro D, & D, pro T. 278
Templi S. Petri deſcriptio. 421
Templi Hebræorum inſtauratio. 44. & 45.
Templi Salomonis inſtauratio a Cyro conceditur, ſub Artaxerſe intermittitur, ſub Dario longimano perficitur, ſub Tito, ſed tamen renitente, a militibus comburitur. 45
Templum Hebræorum ſub Tito incenſum, ter Hebræi inſtaurare fruſtra conati ſunt. 45. cur nunquam deinde inſtaurari potuerit. ibid.
Templum Hebræorum dum Iulianus Apoſtata inſtaurare impie conobatur, miraculum diuina virtute ortum fuit. 45
Templum Salomonis ſeptem mundi miracula ſuperauit, centū quinquaginta tribus millibus hominibus ad conſtructionem præſtandam inuentis conſtructum. fol. 44
Terra ſuper aquas fundata, quomodo intelligatur. 194
Terra mari ſecuritas: dictum in nummo Sixti V. 40
Terra per Deam Cybelem ſignificatur. 194
Terra mater omnium. 195
Terræ filius quid. 195
Terentius litteris maiuſculis manuſcriptus. 401
Tetragrammaton quid. 103
Thalmud expurgatur, cur obſcurum. 331
Thau, littera T, quid repræſentet, & cur Hebraicæ recentiori non ſit adſimilis. 83
Thau ſymbolum noſtræ redemptionis ante aduentum Saluatoris noſtri. 84
Thau in Alphabeto Iacobitarum crucis figuram repræſentat. 84
Thau Hebraicum quomodo differat a Theta, ſiue Thita Græco. 84
Thebæ



Thebæ a Cadmo conditæ. 121
Theodorus hæreticus damnatur. fol. 69
Theodoſius Imp. publicam egit pœnitentiam a B. Ambroſio ſibi impoſitam. 233
Thodoriti ſcripta contra Cyrillum damnantur. 69
Theotocos, ideſt Dei mater. 65
Theta, θ, cur mortiferum nuncupetur. 84
Theta, θ, eſt ſignum mortis, Thau vero vitæ. 84. appellatur mortiferum, infelix, & nigrum.
Thita vel Theta, θ, cur nota condemnationis, & mortis. 84. 114. & 129
Tholi Eccleſiæ nouæ ſancti Petri breuis deſcriptio. 4. amplior. 252. ampliſſima vero. 417
Tholi ſancti Petri Ichnographia in Bibliotheca Vaticana repræſentata, atque item Eccleſia, & mirifice quidem. 252. Tholi, & Eccleſiæ deſcriptio copioſa. 417
Thomæ Aquinatis, & Bonauenturæ Card. doctrina non ſemel in Concil. Florentino citatur. 216
Thomæ ſancti ſcripta de Chriſto crucifixo probantur. 236
Thomas ſanctus Bonauenturam viuentem ſanctum appellauit. 244
Thomas ſanctus ad Concil. Lugd. II. accerſitus morte præuentus ire non potuit. 211
Thoyt, Thout, Theuth quid. fol. 102. & 103
Tiara Pontificia, quæ dicitur Regnum mundi tribus conſtans coronis cur ſic dicta: eaq. ſummus Pontifex cur non ſemper, & vbique vti ſoleat, ſicut Mitra. 5
Timantis exemplum. 422
Timotheus Alexandrinus Concilio Conſtantinop. interfuit. 63
Tridentini Concil. Prælati omnes. fol. 221
Tridentini Concilij Legati omnes. 220. Card. non legati. ibid.
Tridentino in Concilio orationes, & conciones habitæ quonam anno, menſe, & die, & nomina Oratorum, & concionatorum. 221. & ſeq.
Tridentinum Concilium contra Lutheranos, Zuinglianos, & Caluiniſtas. 218. quid contineat. 219
Triremes Sixti V. ad abigendos piratas. 38. de hiſce triremibus opinio Guillelmi Blanci. 39. opinio Auctoris Bibliothecæ altera longe diuerſa. 39
Triſagium ab hæreticis quomodo decantatur. 68
Troglodytæ inſtar veſpertilionum loquuntur. 294
Troglodytæ ſerpentibus veſcuntur. fol. 307
Tropæum, ac Triumpus pro Trophæo, ac Triumpho, & id genus aliæ dictiones permultæ. 18
Tropæum pro Trophæum. 277
Triumfus pro Triumphus. 277
Triumpus & Tropæum pro Triumphus, & Trophæum. 138
Trullani canones a Gratiano citantur.

tur. 71. Hos Nicolaus I. approbatos a Ioanne VII. teſtatur. 71. & Synodus VII. ideſt Nicænum II. comprobauit. 72. & 76. necnon Hadrianus primus. ibid.
Trullanos canones authenticos eſſe multis rationibus & auctoritatibus probatur: & obiectiones ad hanc rem ſpectantes ſoluuntur. 71
Turris Nemroth poſt diluuium ædificatur, ad cuius extructionem ſecuta eſt linguarum confuſio. fol. 81
Typographia Vaticana quare inſtituta. 413. & 414
Typographia Vaticana omnes alias excedit multis de cauſis. 414
Typographia ab Indis inuenta. fol. 379
Typographia Indica. 341
Typographia Indiana priuſquam in Italia. 341
Typographia prius inuenta Sinis, quàm in Europa. 410
Typographiæ noſtri temporis vnde damnum patiantur. 412. Inſigniores quænam ſint. ibidem & 413
Typographiæ Vaticanæ initium. fol. 413
Typographica ars a doctis, ac diuitibus exculta. 412. nunc vero non item. ibid.
Typographica ars erroribus ſubiecta. 424
Typographicæ artis inuentor. fol. 409. & 411
Typographus Vaticanus Dominicus Baſa. 414
Typi olim Venetijs, anteaquam ad hanc perfectionem peruenirentur, filo concinnabantur. 411. & 412

## V.

V cur pro quinque. 147
V, pro B, & B, pro V. Gothorum tempore ab Italis pronunciabantur. 153
V, pro B, & B, pro V, in Caſtella Hiſp. 297
Vacuum non datur in rerum natura. 195
Vacuum ruſticale quid ſit. 195
Valla iniquus, mordaciſſimus, & ad obloquendum natus. 182
Varronis ſtatua in Palatina erat Bibliotheca, dum ipſe viuebat. fol. 49
Vaticinium de Turcico imperio euertendo Perſica lingua conſcriptum. 356
Veneris ſtatua, cum qua coïjt iuuenis quidam. 255
Venetæ Reip. Bibliotheca. 387. Bibl. præfectus M. Antonius Sabellicus fuit. ibid.
Venetorum quædam voces, & pronunciationes. 345. & 347
Veſtia pro Beſtia in Hiſp. 297
Vetus teſtamentum a Septuaginta quomodo, & vbi tranſlatum. fol. 47

Ve

INDEX.

Vexilli Auguſtalis deſcriptio. 177. & 178.
Viduitas caſta nuptijs eſt præferenda, ita etiam virginitas viduitati. 28
Viduitas fidei magiſtra, & virginitas vita Angelorum eſt. fol. 29
Viæ nouæ a Sixto in formam ſideris ſtratæ 27. Inſcriptiones de ijs. fol. 27. & 28
Vincentij Pinelli Bibliotheca Patauij. 394
Virginum, Coniugatorum, & Viduorum fructus. 29
Virginitas viduitati præferēda eſt, ita etiam caſta viduitas nuptijs. fol. 28
Virginitas Angelorum vita, & viduitas fidei magiſtra. 29
Virgo Deipara ſine exemplo Virgo, quæ nec primam ſimilem viſa eſt nec habere ſequentem. 32
Virgilij locus reſtitutus. 401
Virtutes ſi ad verum Deum non referantur, ſunt vitia non virtutes. 290
Vlpia Bibliotheca. 48
Vlphilæ mira apud Gothos auctoritas. 152
Vlphilas ad Chriſtianam fidem Gothos conuertit, deinde hæreſim Arianam ſecutus eſt. 152
Vlphilas Scripturam ſacram in Gothicam linguam primus tranſtuliſſe fertur. 152
Vlphilas Gothicas litteras inuenit. fol. 152
Vmbriæ voces quædam, & pronunciationes. 346
Vnitas quid ex Boetio. 147
Voces Barbaræ a Græcis vſurpatæ gloſſæ dicuntur. 293
Vonum binum pro Bonum vinum. fol. 297
Vrbini Bibliotheca a Federico Feltrio Duce Vrbini. 394
Vſus bonus rem bonam facit. 413. malus vſus rem malam reddit. fol. 413
Vualdenſium hæreſis. 201
Vuiſigothi, Oſtrogothi, & Gothi quinam ſint. 153

## X.

X, littera apud Latinos ad Auguſti vſque tempora nondum erat recepta. 137. ſed pro ea C, & S, vel G, & S, vtebantur, vt Apecs, & Gregs, pro Apex, & Grex. 137
X, cur pro decem. 148
X, componitur ex duplici V, vt $\frac{V}{\Lambda}$. fol. 148

## Y.

Y, litteræ a Vrgilio explicatæ Epigramma. 127
Y, littera in V, conuerſa, vt duo pro δύο. 139
Y, littera humanam vitam repræſentat. 127

Y, lit-

*Y, littera omni ex parte conſideratur.* 127
*Y, littera cur Fyo, vel Fya dicatur.* 145.146.& 147
*Y, & Z litteras pro Græcis dictionibus Latini a Græcis ſunt mutuati, ſed apud Romanos ad Augusti vſque tempora admiſſæ non fuerunt.* 137. *pro, Y, vtebantur, I, pro Z.* ss

*Z.*

*Z, littera dentes mortui repræſentat dum exprimitur, hinc ab Appio Claudio deteſtabatur.* 138
*Zacharias Francorum Regem regno priuauit.* 187.& 190
*Zingarorum lingua.* 364

## Emendationes

### Primus numerus paginam, ſecundus lineam.

Pag. 32. l. 33. nec ſimilem, deeſt, primam, p. 36. l. 2. a M. Antonino, p. 51. l. 9. coniectare, p. 53. l. 19. coniectare, p. 72. l. 5. Pogonato, p. 83. l. 31. Alphabeti, p. 101. l. vlt. ea, p. 102. l. 1. repræſentare, p. 111. l. 17. deleatur, φ. in Alphabeto. p. 142. linea 33. Furij, p. 143. l. 22. deleatur, vt Ph. p. 151. lin. 6. apponatur, non a ſiniſtro p. 165. l. 26. vt patet, p. 311. l. vlt. ideſt, Carolus potens, p. 361. l. 26. vocat.

[library stamp]